BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
C
7
NAPOLI

R. P.

MAXIMILIANI SANDAEI

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

MILITIÆ CHRISTIANAE

TOMVS III.

SCHOLA CASTRENSIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo docetur Theologicè, Ethicè, Politicè, varias
eſſe ſpecies Militiæ Chriſtianæ. Et Quomodo in eâ
Militia Equeſtris, Pedeſtris, Naualis inſtruenda inſti-
tuendaque ſit; per conuenientiam ſimilitudi-
nariam cum Militiâ Hebraicâ, Græcâ,
Romanâ, Antiquâ, & Nouâ.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JODOCVM KALCOVIVM. Anno M. DC. LI.

Permiſſu Superiorum & Priuilegio

MARIÆ
COELI TERRÆQVE
REGINÆ.
DEI
MAGNÆ MATRI
MILITIAE CHRISTIANAE
PRÆSIDI ET PATRONÆ
ECCLESIÆ MILITANTIS
PROTECTRICI.

ME libens & meritò millē nominibus
AVGVSTISSIMA MARIA
Tuum profiteor & profitebor iugiter,
Quàm diu ſpiritus hos reget artus.
poſtquam expirauero in omnem Æternitatem.
Cogitata, Dicta, Scripta.
TIBI ego *Me*, meaq́ue omnia
Præterita, Præſentia, Futura
*M*entem, Linguam, Calamum,
Libros, Libellos, Volumina
Signatè hunc *M*ILITIÆ CHRISTIANÆ Codicem
TIBI TVTELÆQVE TVÆ
Committo, ac commendo

Tu *Me*, quæſo Te, Patrona, in Tuum
*A*dmitte: ac Tuêre
Qui Filio Tuo, qui Tibi, qui vtriuſque Honori
Studeo. Dico. Scribo.
Satis magnum Vterque *M*ihi Theatrum eſt
IESVS ET MARIA.
Tu mihi Vna, Tuuſque Filius
Eſtis pro centum millibus.
Patronis alijs non adulor.
TVVS IGITVR EGO SIM

MARIA

Tua ſint, rogo Te, Quæcumque Mea ſunt
Opera hactenus Edita, Adfecta, Inchoata.
Sed Tibi peculiariter debetur
Quam nunc præſento
Tuis aduolutus pedibus
Et ſupplex offero, ac Conſecro

ECCLESIA MILITANS.
MILITIA CHRISTANA.

In quâ, non aliam PALLADEM ARMATAM, vt Præſidem æquè Armorum & Litterarum, non aliam BELLONAM HASTATAM Exercitus Piorum Ductricem, non aliam FORTVNAM STABILEM & ſemper VICTORIOSAM agnoſcit ECCLESIASTES meus CASTRENSIS, quàm, quæ loco fabu-

lo ſa-

loſarum, Palladis, Bellonæ, Fortunæ, venerationem meretur in caſtris & in campo ab Exercitu Chriſtiano.

MARIA.

Cui in Clientes & Seruos perpetuos
Se conſecrant

MILITES CHRISTIANI

QVI TE, VT MATREM AMANT,
UT REGINAM OBSERVANT
VT IMPERATRICEM SVAM COLVNT
VT BELLI PACISQVE MODERATRICEM
VENERANTVR

O
BELLATRIX ÆQVE AC PACIFICATRIX.

MARIA.

MARIÆ BELLIPOTENTI.

QVOD PALLAS olim fuit Paganis in Militiâ profanâ, id eſt hodie B. MARIA V. Chriſtianis in Militiâ Sacrâ: potentior ſanè quàm vlla PALLAS ARMATA fingi potuerit. Et, ſi comparationem aliquam inſtituere licet, bona tua veniâ, Potentiſſima Bellatrix, Fuit illa ſic dicta, quod Pallanta Gigantem necarit. At TV CHRISTIANA PALLAS (fas ſit balbutienti ita loqui) Stygium contriniſti Giganta, cui à DEO TE præſignante dictum: *Ipſa conteret caput tuum.* Illa fabuloſi Iouis: Tv veri Numinis filia. Illa nata fuit ARMATA. Tv ex vtero materno prodijſti: *Terribilis*, vt *Caſtrorũ Acies ordinata*. Illa dicta à Poëta, *Depopulatrix ciuitatum*: Tv diceris ab Eccleſia Catholica, Victrix Hæreſum. Illa immaniſſimam domuit belluam, cognomine Ægida: Tv vitiorum Monſtra omnia. Illi Scutum tribuitur à Poëtis omninò pellucidum, multis anguibus implicitum: Tibi pro vmbone Vigilantiâ, pro Angue, ſeu Dracone (qui videt acutiſſimùm) Prudentia oculatiſſima aſſignatur. Illi Noctua, volucris in medio cæcæ noctis cernens clariſſimè, ſacra: Tibi Solertia, medias inter errorum noctes illuſtrata & illuſtrans. Illi adſignata Cuſpis: Tibi ingenij acumen. Illi vis omnis fingitur à Ioue communicata: Tibi à DEO poteſtas omnis impertita, quo verè queas dicere: Omnia poſſum in eo, quem genui. Sicut Apoſtolus; *Omnia poſſum in eo*, *qui me confortat*. Illi tributa fuit Criſta & Galea: Tibi Comitas & Moderatio, veluti animi ornamenta. Illius Caſsidi inſidebat Gallus gallinaceus, temporum horarumque præcentor: Tuo Capiti Spiritus ille qui omnium eſt Prophetarũ Doctor. Illa fuit formidabilis Vranomachis, Tv Theomachis. Illi creditæ claues vrbium & domorum: TIBI etiam cæleſtium Theſaurorum. Illa poëtico proxima Ioui, vt canebat Venuſinus: *Proximos illi tamen occupauit Pallas honores.* Tv veriſſimo proxima Numinis. Incolumis tam diu Reſp. & Ciuitas cenſebatur, quàm diu Palladium, Palladis nempe ſimulacrum ſeruabatur. Non dubitamus tamdiu felicem fore Ciuitatem, Rempub. Regnum, Imperium, quàm diu in ijs, poſt DEI cultum, ſupremamque Latriam, DEI MATRIS, VIRGINIS viguerit veneratio & Hyperdulia. Ad quod affulge, quæ noctu etiam fulges, Pulchra vt LVNA MARIA!

LVNA *Martipotens, ſcienſque Belli.*
LVNA MYSTICA BELLICOSA LVNA

MARIA.

SYLLABVS

Librorum Tomi III. eorumque Numerus. Inſcripto Compendiola.

I. Militia Chriſtiana Equeſtris. Chriſtus Imperator Eques, inſtructus Arcu, & Sagittis. Milites Chriſtiani Equites.

II. Equitatus Angelicus. Eius Multitudo. Pompa. Magnificentia. Potentia.

III. Equitatus Humanus. De Hominibus in Eccleſiâ Militante, Equitatum Humanum Domini Exercituum, & Chriſti Imperatoris conſtituentibus.

IV. Militia Chriſtiana Pedeſtris. Peditatus Militiæ Chriſtianæ. Allegoricus. Symbolicus. Myſticus. Oppoſitus Peditatui Militiæ Diabolicæ.

V. Militia Chriſtiana Naualis. Eius Antiquitas. Vſus. Neceſsitas. Claſſes Chriſti & Luciferi oppoſitæ. Pugna in Mari magno cum Tempeſtate quomodo inſtituenda.

VI. Naumachia Chriſtiana Eccleſiæ Militantis. In quâ poſt Pugnam cum Tempeſtate, deſcribitur multiplex Prælium Nauale cum hoſtium claſsibus.

VII. Militia Chriſtiana Obſidionalis. Ars obſidendi, & obſidium tollendi Eccleſiæ Militantis. Quæ multa

complecti-

complectitur. Et eſt magnifacienda à Ducibus Bellicis, & Viris Militiæ, ſiue corporeæ, ſiue ſpirituali addictis. Explicatur per analogiam ad Obſidionem vrbium in Militia profanâ.

VIII. Militiæ Chriſtianæ non minus eſt Fuga, quàm Conſiſtentiæ. Ars ſubducendi ſe, & Exercitum, ac fugiendi laudabiliter Eccleſiæ Militantis. Quæ-Qualiſqúe in Militiâ, tum profanâ, tum Sacra ſit laudanda Fuga? Quæ, Qualis-ue vituperanda?

MAXIMILIANI SANDÆI
ECCLESIA MILITANS.
MILITIA CHRISTIANA.
THEOLOGIA MILITARIS.

LIBER I.
MILITIA CHRISTIANA EQVESTRIS.
COMMENTATIO I.
CHRISTVS IMPERATOR EQVES.

Ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat Arcum: & data eſt ei Corona: & exiuit vincens, vt vinceret. Apocalyp. VI. 2.

MEMBRVM I.
MILITES CHRISTIANI *Eſſe poſſunt, ſi velint,* *EQVITES VELLERIS MARIANI & AGNI IMMACVLATI.*

FESTA PASCHALIA, quæ haud ita pridem feliciter inchoata, vt continuentur porrò ad ſoſpitatem corporis, & animæ ſalutem, Vobis ACADEMICI CHRISTIANI, Auditoribus mihi perquam caris precor equidem, & dico cum CHRISTO Domino, PAX VOBIS, id eſt, phraſi Hebræis vſitatâ, omne vobis bonum eueniat. Vt autem non ſine munere ſit fauſta adprecatio, eoque gratior, creabo ego Vos omnes, aut potius,

tius ab Imperatore Noſtro creatos pronunciabo EQVITES, quales idem ſupremus Dux in hodierno congreſſu fecit, dixitque ſuos Apoſtolos, dum miſit illos prædicare Euangelium, & diſcurrere per vniuerſi campum, quod eſt Equorum, vel Equitum. Iam intelligitis, quales vos eſſe poſſitis EQVITES, non *Aurei* illius *Velleris*, quod Iaſon filius Æſonis, conſtructâ Argo naui, cum ſummo periculo, per cyaneas petras inter ſe concurrentes nauigans Colchos profectus, poſtquam & æripedes tauros domuiſſet, & draconem peruigilem ſopore oppreſſiſſet, Medeâ Colchorum Regis filiâ inſtigatrice ac doctrice, feliciter abſtuliſſe narratur. Fabulas profanis, qui talibus delectantur nugis, relinquamus. Sed EQVITES VELLERIS MARIANI, ſiue AGNI IMMACVLATI, quod Diuâ Sophiâ, Patris æterni prole, ſeu Sapientiâ æternâ præeunte ac monſtrante, Chriſtus humanæ ſalutis Reparator, enauigato, triginta tribus annis periculoſiſſimo vitæ humanæ æquore, poſt mille diſcrimina inter decumanos aduerſitatis extremæ fluctus, ac terribile, inuidiæ ventis imbricitoribus inter ſe concurrentibus excitatam tempeſtatem, ſuperatâ, tandem in portum vitæ immortalis inuectus, deuictâ Morte, quâ nullus eſt taurus, quamuis ſylueſtris ferocior, nullus vigilantior draco, ſibi ſuisque Heroibus, cum gloriosâ victoriâ reportauit.

HVIVS Vos *Velleris* ſupra *Aureum* magis incomparabiliter precioſi, ac æſtimandi, eſſe poteſtis EQVITES. Animos ergo ſumite nobiles ac generoſos, quales decet habere Adoleſcentes Ordinis Equeſtris, nam in eum vos leget, modò velitis, ſupremus Ordinis Magiſter. Hactenus inſtruxi vos, & exercui tanquam pedites, tempus eſt, vt Equo donemini, vt in equum inſiliatis, eumque peritè tractetis. Clarius, quæ diſſeruimus eatenus de Militiâ Chriſtianâ, ferè pedeſtrem ſpectant vel ſolam, vel æquè, vt aliam, nunc de Equeſtri agendum ex profeſſo. Hoc temporis exigit ratio, quæ præſcribit, CHRISTVM, tanquam EQVITEM eſſe contemplandum.

MEMBRVM II.

CHRISTVS RESVRGENS

Tanquam Eques prodit è Sepulchro, quia

VICTOR, REX, IMPERATOR.

SIQVIDEM inter elegantiſſimas imagines CHRISTI RESVRGENTIS, & quæ ad viuum exprimunt glorioſum de Morte profligatâ, Cacodæmone deuicto, infernalibus illius copijs fugatis, aut deletis, denique de Mundo ſub iugum miſſo Victorem, eſt effigies Imperatoris, galeâ deauratâ plumataque, aut diademate coronati, paludamento cæruleo ſtellulis aureis oculato, & ad talos defluente induti, gladiati, calcariati, & ſceptro ſeu baculo Imperatorio ſpectabilis, qui generoſiſſimo Equo, candore cum niuibus certante inſideat, & poſt ſe ingentes Equitum turmas ad obſequiũ decuſuè trahat: Ita ferè CHRISTVM glorio-

ſum

no à commentarijs Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi cap. VI. vbi inducitur Chriſtus poſt debellatos hoſtes, paulò ante nominatos, triumphans; at minimè ocioſus, ſed noua bella meditans, quaſi Eques albatus, qui cum tribus aliis Equis & Equitibus, quos ibidem vidit, putà *Ruſo*, *Nigro* & *Pallido* ſucceſſiuè certet, & quaſi duellum ineat, ſingulos tandem proſtraturus, ac debellaturus. Nimirum, Gentiles, quos ſignificat *Equus rufus*; Hæreticos quos denotat *Equus niger*; Turcas & Saracenos, quos indicat *Equus pallidus*: ita vt Chriſtus, tanquam belli Dux generaliſſimus cum omni hoſtium, atque hominum genere certet, vincat, ac triumphet.

SIMILEM viſionem habuit Zacharias Propheta, apud quem capite VI. quattuor Monarchiarum conflictus repræſentantur per Equos & Equites, *Albos*, *Rufos*, *Nigros*, & *Varios*; ad quos alludunt quattuor Equi, & Equites Apocalyptici, reſpicientes Monarchias; Aſſyriam, Perſicam, Græcam, Romanam. Eſt autem quoque veriſimile, Ioannem profundiſſimæ intelligentiæ Doctorem, efformaſſe Equites ſuos ad modum Aurigarum Circenſium, qui illo æuo quadriformes incurrebant frequenter in oculos, erantque per Imperium Romanum celebres. Inde etiam factiones erant exortæ, quæ quaternis coloribus diſcriminabantur, vnde & nomen deſumpſerant, interque ſe non rarò decertabant, Ioannis ætate. Immò, poſtea ſæpe, ac ſignatè ſub Iuſtiniano Imperatore graues in Republicâ ſeditiones & tumultus concitarunt, dum quiſque in ſuam factionem plures, ex optimatibus præcipuè, pertrahere conaretur, & in aduerſarios concitaret. Quemadmodum ſubſequentibus ſeculis, & auorum memoriâ fecerunt in Italiâ Gibellini & Guelphi; Pontificij ac Imperatorij. Erant autē in Circenſibus Aurigæ, alij albati, alij ruſſati, alij praſini, alij Veneti. Albati reſpondent albo equo & equiti Ioannis; Ruſſati rufo; Praſini nigro; Veneti pallido. Praſinus enim color eſt porraceus, ſiue viridis, conflatus ex giluo & nigro. Venetus color erat cyaneus, ſiue cæruleus, aut, vt Vegetius habet, marinus, qui ad pallidum accedit.

PORRO, iiſdem quattuor Equis aut Equitibus iſtorum colorum, in diſciplinâ Symbolicâ repræſentantur, quattuor Elementa; eorumque inter ſe pugnæ, ac quotidianæ concertationes. Nimirum, Rubro *Ignis*: Albo *Aër*; albus enim videtur aër, cùm ſerenus eſt: Veneto, ſiue Cæruleo *Aqua* & Mare: Praſino, ſiue Viridi, *Terra* gramine veſtita. Hæc autem quattuor Elementa dirigit, interque ſe committit, & contemperat ſupremus rerum Moderator, tanquam Auriga peritiſſimus. Quanta verò fuerit veterum ſuperſtitio in congreſſu Circenſium licet colligere ex collectaneis Hiſtoriarum, quæ exhibet Codex Vaticanus, in quo diuerſimodè coloratorum iſtorum refertur lucta iſtis verbis. *Onomaus primus inuenit Circenſium colores, quibus terræ & maris quaſi certamen præſentauit. Mittebantur ſortes, quem verò contigiſſet Terræ vicem agere certando, ille veſtem viridem induebat; ceruleam autem, qui vices Maris agebat.* Hoc certamen XXIV. die Martij Onomaus conſtituit. Quod ſi color viridis viciſſet, terræ fertilitatem omnes ſperabant: ſi cæruleus, tranquillam maris nauigationem. Quare agricolæ

optabant victoriam viridi colori; nautæ autem cæruleo.

IAM verò optimè repræſentari CHRISTVM Dominum à mortuis reſurgentem, domitis hoſtibus, ſchemate Equitis, nemo dubitare poteſt, qui aliquem habet hiſtoriæ & eruditionis variæ guſtum. Nam imprimis *Equus* Symbolum eſt Victoriæ. Hoc ingenioſè inſinuat Virgilius, canens de victorioſo Marcello:

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet equus, ſternet Pœnos, ———

Ex aduerſo, Flaminius Conſul contra Annibalem proficiſcens, cùm in equum inſiliret, equus repentè corruit, Conſulemque lapſum ſuper caput effudit, inauſpicati incepti ſignum, vt ſcribit Plutarchus. Et ſanè, paullo poſt ipſe cum exercitu fœdiſſima clade apud Traſimenum lacum ab Annibale ſuperatus ac cæſus interijt. Quid autem aliud perſonant hoc tempore Paſchales odę, carmina, cantica, quàm Victoriam, Victoriam? Victoriam in monomachiâ de Morte:

Mors & Vita duello
Conflixère mirando,
Dux Vitæ mortuus
Regnat Viuus

Victoriam poſt iuſtum prælium cum hoſte infernali:

Conſurgit Chriſtus tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyrannum trudens vinculo,
Et Paradiſum reſerans.

Victoriam dè Mundo, Carne, Sanguine. *Confidite, ego vici Mundum* Ioannis XVI. quando?

Cùm Rex ille fortiſſimus
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans Tartara,
Soluit à pœna miſeros.
Ille qui caſus lapide,
Cuſtoditus ſub milite,
Triumphans pompâ nobili
Victor ſurgit de funere.

Itaque non poſſet melius effingi Victorioſus Imperator Noſter, quàm Equo inſidens.

ADDE, Equum eſſe ſignum poteſtatis, regni, Imperij, perſuaſione vulgari & eruditorum. Sic cùm Carthaginis fundamenta fodientibus oblatum eſſet, quod canit Poëta (*a*)

——— *Caput acris equi.* (*a*)

Vrbem eam fore dominatricem & terræ mariſque potentem coniectarunt augures. Ita (*b*) quando relatum fuit, in domo Cæſaris natum fuiſſe equum humanis propè pedibus, vngulis ſcilicet in digitorum modum ſubſciſſis, ac diuiſis, reſponderunt aruſpices, portendi orbis Imperium ei, apud quem Equus eius formæ editus eſſet. Eum itaque Cæſar magna curâ aluit, nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit. Dedit & Ælio Pertinaci, qui poſt Commodum, arripuit Imperium inuadendi ſignum *Equus*. Nam ea qua natus eſt horâ, *Equus* pullus in tegulas aſcendit, atque ibi breui temporis ſpatio commoratus, ſimul & decidit, & expirauit. Quod Pertinaci futuræ ſublimitatis, quamuis modicum duraturæ, augurium eſſe putabatur. Refert etiam Tranquillus in Nerone, eius Aſturconem, quo maximè delectabatur, in ſomno viſum eſſe poſteriori corporis parte in ſimiæ ſpeciem commutata, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. Quo ſignifica-

(a) *Virg. 1. Æneid.* (b) *Sueton. Cap. 61.*

nificabatur, vt affirmabant augures, quod illa *Equi* ferocitas in ſimiæ ludibriũ eſſet abitura. Cùm igitur CHRISTO Domino Reſurgenti ſit data *Omnis poteſtas*, Matthæi XXVIII. & conſtitutus ſit totius Orbis Imperator, rectè Equo imponitur, & concipitur, tanquam aureis decorus armis EQVES.

MEMBRVM III.
CHRISTVS RESVRGENS
Velut Eques, rectè concipitur, quia
BELLATOR.

VERVM, eſt & alia huius rei ratio magis forraſſe accõmodata. Quod Chriſtus ex ſepulchro reſurgens bellum meditetur neceſſarium, longum, vniuerſale, quo ſibi rebelles ſubijciat, infideles ad fidem ſuam conuertat, impios ſubigat, denique Mundum vniuerſum ſuæ faciat poteſtatis. Quod melius ſignificari non poteſt, quàm ſi vt Eques effingatur: eſt enim *Equus* bellicoſum animal & bellum ſymbolicè indicat. Hinc belli omen antiqui religioſè accipiebant ab *Equo*, vt apud Poëtam Anchiſes, qui viſis albis equis exclamare fingitur Lib. III. Æneid.

—— Bellum ò terra hoſpita portas,
Bello armantur Equi: bello hæc armenta parantur.

Eam ob cauſſam *Equus* Marti apud Gentiles ſacer erat, eumque Marti idibus Decembris immolabant. Vnde duellicam equorum prolem appellat Lucretius (a) Pulchra eſt hoc in genere comparatio Equi cum Leone, quam habet Plutarchus & ex illo Pierius Valerianus in Hieroglyphicis. Horus poſt mortem apparens Oſiridi, cui ſciſcitanti, quod animal bello eſſet vtilius, reſpondit *Equum*: cum autē Oſiris *Leonem* præſtare arbitraretur, reſpondit Horus: poſſe quidem multum in bello Leonem, verùm, vbi ſemel fugam arripuit, irreuocabilem aufugere, quod incommodiſſimum eſt, cùm bellatori ſæpe neceſſe ſit cedere, & nonnunquam ex inclinatâ iam acie, turſus hoſtes aggredi: ad quæ & ſimilia non pauca *Equus* eſt aptiſſimus.

AT quis-nam eſt *Equus* CHRISTI Imperatoris? Non eſt exiſtimandum vnicum ſolummodò habere Equum in ſtabulo ſummum Principem: alit ille equorum equarũque greges ad bella apprimè idoneorum. Certè, vt in alijs ad magnificentiam regiam ſpectantibus, ſic in hac quoque Chriſti illuſtris typus fuit Salomon, de quo libro tertio Regum cap. 4. ita ſcribitur: *Habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum curruliũ & duodecim millia equeſtrium*: tum lib. ſecundo Paralipomenon cap. 9. *Habuit Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum Equitumque duodecim millia*: denique libro Regum tertio (a) *Congregauit Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Si tria indicata loca ſemper de di-

(a) *Lib.* IV. *cap.* 3. (b) *cap.* 10. *& lib.* 2. *Paral.* 1.

uerſis equorum numeris accipiantur, ſummam efficiunt equorum 53400. Si verò ſinguli currus quadrigæ ſint, ſummam faciunt 57600. Ingens profectò numerus Equorum, quibus quotidie pabulum dari debebat per famulos ex aula. Sed quid mirum? cùm Salomonis familiam ex ijs, quæ refert Sacer hiſtoricus de cultu Salomonis quotidiano, quæque adiungit Ioſephus, (a) benè colligat ſolers iſtiuſmodi rerum inueſtigator Ioannes Baptiſta Villalpandus (b) quadraginta octo hominum millia ſuperaſſe. Verum, tot equorum millia, quæ magnificentiſſimum Salomonis Equitatum conſtituebant, ne minima quidem pars ſunt illius ſummæ, quam conficiunt Equi omnes generoſiſſimi, quibus Imperator Noſter pro ſuâ tantùm perſonâ ſtabula poſuit, & quibus ipſe vtitur. Quod ex inductione, quam paullatim faciemus, intelligetur.

(a) *libro VIII. cap. 2.* (b) *Tom. 2 lib. vii. diſp. 3.*

COMMENTATIO II.

EQVI CHRISTI PRIMARII.

MEMBRVM I.

EQVVS CHRISTI

Humanitas Diuinitatis.

IMPRIMIS Equi rationem habet Chriſti Domini *Humanitas* Sacro-Sancta. Huius imaginis Pictorē adduco Ioannem Euangeliſtam, qui de ſe in Pathmo altiſſimis contemplationibus immerſo ſcribit Apocalypſis XIX. *Vidi cælum apertum, & ecce Equus albus, &, qui ſedebat ſuper eum, vocabatur* FIDELIS *&* VERAX, *& cum Iuſtitiâ iudicat*, & PVGNAT. Communis expoſitio Interpretum Sacræ-Scripturæ arcano intellectu, per *Equum album* Humanitatem Chriſti accipit, propter puritatem; per Seſſorem autem, ſiue Equitem, intelligit Diuinitatem, aut Verbum Dei, vt Ioannes deinde pronunciat, quod Humanitatem in Vnitatem ſuæ Perſonæ adſumpſit. (a) Nec locus hic, inquit Blaſius Viegas, quicquid aliqui dicant, aliam expoſitionem patitur. Quare approbant ſenſum hunc poſteriores. Huic autem Equiti, qui exercitus numeroſiſſimi, quem mox deſcribit idem vaticinio clarus Euangeliſta, Dux eſt, quattuor dantur nomina, vel epitheta. Primum, *Fidelis & Verax*

(a) *Comm. exeget. Sectione* 1

Verax. Secundum, *Nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe*; nempe, IEHOVA, nomen ineffabile. Tertium, *Verbum* DEI, quo vtitur Ioannes in Euangelio cap. I. Quartum, *Rex Regum & Dominus Dominantium*. Primum eſt nomen *Virtutis*: Secundum, *Eſſentiæ*: Tertium *Perſonæ*: Quartum, *Poteſtatis*, ac Dominij. Maximè autem, tanquam Dux belli, dicitur *Fidelis* & *Verax*, quoniam fideliter, vti promiſit, eos, qui ſibi fideles ſunt, ac erunt, tuebitur, ac præmiabit: infideles autem ac impios grauiſſimis pœnis afficiet. Vnde ſequitur; *cum iuſtitiâ*, id eſt, iuſtiſſimè, ac iure æquiſſimo bellum init, *iudicat*, hoc eſt, vindicat, & pugnat, hoſtes impios occidendo.

QVAMVIS verò Verbum Diuinum Humanitatem, ceu Equum, vſurpauerit ab ipſo Incarnationis momento, à quo illam pauit, fouitque menſibus nouem in vtero Virginis MARIÆ, tanquam in pabuli dulciſſimi, ac rerum omnium copiâ refertiſſimo ſtabulo; deindeque illi inſidens ſemper, equitauerit in Ægyptum, vnde rediens in Iudæam, Galilæam, Palæſtinam vniuerſam, per montes, colles, valles; per ciuitates, oppida, villas; tamen peculiari quadam ratione, poſt glorioſam ſuam anaſtaſim, fuit Diuinitati, aut Verbo Diuino velut Equus, colore albus. EQVVS quidem, quoniam illi, tanquam caballo inſidens, ex ſepulchro, vt è profundiſſimo luti lacu, exilijt: in illâ obequitauit quadraginta poſt Reſurrectionem diebus, nunc ad hunc, nunc ad illũ locum; modò in domo aliqua, quandoque ad mare, interdum in monte, denique vbicumque fuit opportunitas ſe videndi copiam facere. ALBVS verò quia iſte color lætus eſt, ac feſtiuus, ſymbolumque felicitatis ac triumphi. Quã de cauſa Poetæ olim fingebant Iouis currũ trahi ab equis candidis? (a) Quocirca Camillus in curru triumphali vectus equis albis inuidiam popularem incurrit, quaſi qui ſe Ioui æquare vellet. Sed magis ad nos ſpectat, quod Angelus in ſepulchro Chriſti Reſurrectionem annuncians, coopertus fuerit ſtola candida Marci XVI. Quod eſt factum, vt diſſerit Papa Gregorius, (b) *quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nunciauit. Candor etenim veſtis ſplendorem noſtræ denunciat ſolemnitatis. Noſtræ dicamus an ſuæ? ſed, vt fateamur verius, & ſuæ dicamus & noſtræ. Illa quippe Redemptoris Noſtri Reſurrectio, & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & Angelorum feſtiuitas extitit, quia nos reuocando ad cæleſtia, eorum numerum impleuit.* Sic igitur Humanitas ſoſpitatoris Noſtri, *Equus* fuit *rufus* in Paſſione, quia ſanguine purpuratus, in Reſurrectionis ſolennijs autem meritò *candidus* dicitur. Vt ſic Dilectus noſter ſit verè *candidus ac rubicundus*. Adde, Equos albos alijs cenſeri celeriores; ideoque ſignificat albedo in Equo Humanitatis celerem victoriam CHRISTI. Hoc perſuaſum quoque fuit profanis. Sic Virgilius Turnum victoriam de Ænea ſibi ſpondentem deſcribens, canit libro XII. Æneid.

Poſcit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Qui candore niues anteirent, curſibus auras.

& inferius

—— bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro

Plautus quoque celeres quadrigas denotans,

(a) *Suetonius in Auguſto cap. IX.* (b) *Hom. XXI in Euang.*

notans, eas albas nuncupat. ALBVS denique Color DEO Diuiniſque datur, quare ſi Humanitas, vt Equus, Verbo Diuino adſignatur competit illi albus color; Qui deſignat DEI CHRISTIque puritatem, immortalitatem, gloriam, beatitudinem. Quare abſolutè *Candidus*, abſque alio adiuncto, DEVM nonnunquam ſignificat, vt exiſtimat Seruius Grammaticus illud Virgilij exponens Ecloga V.

Candidus inſuetum miratur lumen Olympi.

Candidus, inquit, *idem eſt quod* DEVS, *vt contrà, mortuos nigros dicimus.* Et Cicero (a) *Color albus, ait, præcipuè decorus eſt* DEO, *cùm in ceteris, tum maximè in textili*: nempe, quia virtutes inter ſe aptæ ac connexæ eſſe debent, ideoque textilia Deo gratiora eſſe putantur. Sine quia caſtitas, fides, aliæque virtutes niſi cum caritate iungantur, quæ in auro textili intelligitur, gratæ DEO non accidunt. Eodem intuitu candidæ in ſacris olim erant, & etiamnum ſunt veſtes, cuius cauſſam tradit Plato illam quam indicauimus; nec aliam dat Plutarchus, in Iſide & Oſiride. Habuit autem Chriſti Domini Humanitas, poſt Reſurrectionem illas dotes, nempe Corporis glorioſi, quæ ſi vlli apud nos *Equo* competerent, nunquam niſi victor ac triumphans è bello *Eques* reuerteretur. Fuit enim ex cæleſti quodam candore clariſſima. fuit ſupra omnem celeritatem equorum, agilitate velociſſima; fuit ſubtiliſſima; ideoque poſt Reſurrectionem, clauſis ianuis penetrauit in domus intima; fuit denique impaſſibilis, ab omni foratu haſtæ, teli, iaculi, ab omni vulnere, quod à glande vel ſagitta conſequi poſſet, immunis ac ſecura.

(a) *lib. 2. de Legib.*

MEMBRVM II.

EQVVS PECVLIARIS VERBI DIVINI *Humanitas Chriſti.*

QVEMADMODVM magni Principes ex omni equorum numero, vnum aliquem habent ſelectum ac peculiarem, qui ſoli Principi deſeruit, haud ſequus Verbum diuinum Humanitatem illam ſacroſanctam ſibi deſtinauit, vt Equum proprium, & ſuæ tantùm Perſonæ conuenientem. Hoc tempore Pontifex Aſturconem habet, Chineam dicunt; Imperator Romanus Hungaricum, quem quia conſcendunt ipſi tantùm, ille Pontificius, hic Cæſareus dicitur. Nominatiſſimus eſt Equus Alexandri Magni, ſedecim, vt Plinius, tredecim, vt Agellius eſt auctor, talentis emptus, hoc eſt, trecentis, duodecim millibus H. S. quæ apud nos ex Plinij ſententiâ, efficiunt nouem millia ſexcentos aureos; ex Agellij, ſeptem millia octingentos. Eum fuiſſe dictum *Bucephalum* vult Plinius, (*a*) ab ingenti vultus toruitate, quâ taurum referebat, vel ab inſigni bouis armo equi impreſſo, vel à latitudine frontis, vt Strabo (*b*) ſcribit; vel ab extantibus corniculo-

rum

(a) *lib. VIII. cap. 41.* (b) *lib. XV.*

[illegible] ut [illegible] (a) [illegible] De hoc Equo [illegible] Curtius [illegible] Alexandrum [illegible] [illegible] add [illegible] Alexandrum [illegible] Regem [illegible] [illegible]

[illegible] & [illegible] [illegible] Alexandri [illegible]

iò quidpiam eſſe poſſit in re quacumque creatâ, [illegible] huc partici- pes, quod in collationem venire queat cum divinæ Humanitatis Christi omnibus; atque quod [illegible] Verbi erga ſuam Humanitatem [illegible] declarat, Cur ergo propter illam captam & ſubditam habitam gens Iudæorum [illegible] Humanitati [illegible] jam Deus [illegible] habuit [illegible] moriæ, [illegible] plurimas [illegible] [illegible] Equi [illegible] LXVI. [illegible] Prophetæ, [illegible] Christi [illegible] Apocalypſi [illegible] Christi Corpus [illegible] videre viſus eſt Dominus [illegible] quando [illegible] & [illegible] Equi [illegible] ad [illegible] [illegible] & [illegible] Viſio [illegible] [illegible] gloriam.

MEMBRVM III.
EQVA SPONSI
Humanitas Christi.

I [illegible] *Humanitas* [illegible] *Sponsi* [illegible] *Equus* [illegible] *Equa* [illegible] (a) [illegible] Sponsum [illegible] & [illegible] ... Origenes, & Theodoretus [illegible] Sanctissimam Christi [illegible] & Humanitatem [illegible] Sapientia [illegible] Christus igitur verus Salomon [illegible] Equa [illegible] Animam [illegible] Animam [illegible] EQVÆ

(a) [illegible]

[illegible] Pharaonem [illegible] Principem [illegible] *Quis formavit corpus humanitatis nostræ* [illegible] *claritatis suæ* (b) [illegible] *à Domini spiritu* [illegible] 2. ad Corinth. 3. 18.

NEC [illegible] *Humanitas Christi* [illegible] Equus [illegible] Equam [illegible] Humanitas [illegible] Theodoretus [illegible] *Hispanicas* [illegible] Hebræo [illegible] *Equa* [illegible] *Humanitas* [illegible]

(b) *Ad Philip.* 3. 21 [illegible]

MEMBRVM IV.
CRVX
EQVVS CHRISTI.

VERVM [illegible] Equum [illegible] Christum in Equo [illegible] Equum [illegible] CRVCEM [illegible] Mortem [illegible] Christus [illegible]

(c) *Levit.* 5.

[illegible] The-[illegible] Scripturæ [illegible] CRVCE [illegible] Coronam [illegible] pro [illegible] CRVCEM [illegible] [illegible] Quod [illegible] Et [illegible] sed [illegible]

[illegible] (x) equitare in arundine longa [illegible] nosque exemplo ſuo [illegible] tuere, vt CRVCEM quoque noſtram [illegible] DVCEM [illegible] ſequamur, [illegible] Hoc eſt enim EQVITARE, [illegible] Equitem [illegible] CRVCIS [illegible] tol- [illegible] Carnem [illegible] (y). [illegible] [illegible] non [illegible] integro exlo- [illegible]

ITAQVE vt [illegible] ad initia, per- [illegible] CHRISTVS RESVR- [illegible] Equo candido in- [illegible] Equo albo videtur, pote- [illegible] Equus autem [illegible] Humanitatem [illegible] CRV- [illegible] Agni dealbata [illegible] Christo [illegible] CRVCI [illegible] Regnum cælo- [illegible] CRVCIFIXI [illegible]

[illegible]

NOTÆ

In quibus [illegible]

D [illegible]

[illegible]

[illegible] *alemur*

[illegible] ſuſpendit [illegible] ſuis [illegible] ſola [illegible] colle.

[illegible] equi [illegible] à bo- [illegible] equos à [illegible] pabulo, [illegible] vocandis.

§ [illegible]] *Græcè* [illegible] & [illegible] *dicitur,* [illegible] *Latini* [illegible] Matthæus [illegible] Carlium.

§ [illegible] Equus ligneus. [illegible] *Legendus* [illegible] CHRISTI [illegible] *lib.* [illegible] *num.* [illegible] [illegible] *Patres Societatis Anno* M. D XL VIII. *in* [illegible] *lignei equis de* [illegible] *venerunt ad* [illegible] *vehiculi tale commentum eſt.* [illegible] *robur in cante-rii, ſeu equi caſtrati* [illegible] *craſſitudine* [illegible] *corio pro ephippiis ad* [illegible] *quis* [illegible] *duobus à* [illegible] *altero à poſteriore e-qui parte,* [illegible] *vicißim aliis, ubi longius eſſetur. His impoſitos equis* [illegible] *Patres* [illegible] Nicolaus Orlandinus *in Hiſtor. Societ. lib.* VIII. *num.* 95. *Breuius in Synopſi* [illegible] Iacobus Damianus, *lib.* 1. *p.* 65. *In* [illegible] *ligneu equites ſimul & equos* [illegible] *hic ante, hic retro,* [illegible] *portant.*

COMMENTATIO III.

EQVI CHRISTI IMPERATORIS

Apoſtoli. Viri Apoſtolici. Fideles Chriſtiani.

Qui aſcendis ſuper Equos tuos: & Quadrigæ tuæ Saluatio. Habacuc. III. 8.

[illegible] factus ſum apud Te: & ego ſemper Tecum. Pſal. LXXII. 23.

MEMBRVM I. CHRISTI REDIVIVI

Apparitio multiplex tempore Paſchali.

VARIIS formis atque perſonis vela- [illegible] Chriſtus Dominus, ut quoniam [illegible] non poſſit, qui [illegible] [illegible] qui om- nibus eſt excellentior, conueniunt. Eun- tibus in caſtellum, [illegible] duo- bus Diſcipulis, longiùs, tanquam *Peregri-nus*, peregrinum fuiſſe ſe oſtendens, & [illegible] illorum- que in Diuinis percipiendis [illegible] pe- regrinationem [illegible] Magdalenæ of- fert ſe, [illegible] in animâ [illegible] &

 lucry-

[illegible] bre [illegible], vere [illegible] virtutum [illegible] defectum. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vulnera [illegible] [illegible] Apostolos [illegible] [illegible] habeat demonstrans. [illegible] *Palæstina*, [illegible] quomodo [illegible] An- gelorum [illegible] cæli [illegible] [illegible] quomodo [illegible] [illegible] promptè pro grege suo [illegible] posuerit, [illegible] [illegible] lupi infernalis [illegible] illumque [illegible]: quantoperè [illegible] [illegible], quantoperè desideret [illegible] per avia vitiorum ad virtutum [illegible] reducere. Quomodo i- dem à Mercenario differat, [illegible] [illegible] curante, ideoque ad [illegible] fugiente. Denique, quomodo [illegible] oves suas agnoscat, & ab iis agnoscatur: quomodo [illegible] vocet, & [illegible] necessitatem [illegible], paratus semper ad [illegible].

MAIO [illegible], Christus [illegible] [illegible] contra Peccatum, Mundum & Cacodæ- monem [illegible] [illegible] quam [illegible] Equo, Qui [illegible] Evan- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] imaginē, ut proxi-

[illegible] superiore Dominica [illegible] [illegible], quam [illegible] [illegible] Chlubanæ, [illegible] [illegible] [illegible] admodū [illegible] Sapientiæ, [illegible] Equis [illegible] Symbolum [illegible] [illegible] potestas & imperiū. [illegible] [illegible] Equitatum CHRISTI [illegible] [illegible] [illegible] Salvatori. [illegible] [illegible] pro se [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Quid [illegible] [illegible], Equorum [illegible] [illegible]. Et primum quidē [illegible] [illegible] Equum [illegible] Sacratissimam [illegible] Humanitatem [illegible] [illegible] Personæ Divinæ [illegible] [illegible] [illegible]. Alterum deinde [illegible] Equum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Equus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Nunc [illegible] [illegible] [illegible] Equos [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

IN [illegible] duodecim [illegible] Paulo [illegible] Dominus, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Quādragesima [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Quoniam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] sigillum, siue myſterium, [illegible] Equus Albus, & qui ſedebat [illegible] & data eſt ei corona, [illegible] Sacrae Scripturae Interpretes [illegible] Apoſtolos, & homines Apoſtolicos, [illegible] quorum An- dreas Caeſarienſis, Aretas, Haymo, [illegible] Cornelius à Lapi- de, [illegible] S. Irenæum, [illegible] huius explicationis [illegible] idem tradiderunt. [illegible] Equi, quæ [illegible] exponunt, atque [illegible] conditiones il- las, quibus [illegible] eſſe debent, quibus Chriſtus inſidere [illegible].

MEMBRVM II

APOSTOLIS, CEV EQVIS CHRISTI

[illegible]

I[illegible], quod eſt, [illegible] Equum [illegible] Regi Philippo [illegible]

[illegible]

[illegible] Apoſtolorum. [illegible]

[illegible] quaſi Equi, [illegible] Chriſtum, [illegible] Euangelicam prædi- cationem, [illegible] Euangelij [illegible] Chriſtus [illegible] Euangelij ac Chriſtianæ fidei pro- mulgatores [illegible] Ca- techiſtæ, Concionatores, Doctores, [illegible] ad Chriſti [illegible] Chriſtum [illegible] Euangelicum [illegible]

nem, per exempla bonorum operum, per nominis illius ſalutiferi promulgationem.

In hunc modum Equos Chriſti fuit Paulus, Andreas, Ioannes, imprimiſque Petrus, & alij. Neque ab hoc numero excludendus THOMAS ὁ δίδυμος, ſcilicet, vt exiſtimat Euthymius, quod eadem cum fratre partu editus eſſet in lucem: Θωμᾶς enim idem eſt, quod geminus apud Latinos: verius tamen tenet, Thomam vocabulo idem eſſe quod Didymum, [illegible] illud ſit Hebraicum, poſterius Græcum.

Ad hunc non ſatis palpandum ſed acriter [illegible], tanquam ſtrigili, qua cutis equi exteritur, ſordeſque eradantur, bene fricandum pectinandumque hodie Dominus Apoſtolicum ſtabulum eſt ingreſſus. Sed egregiè ſe Thomas, vt Equus generoſus habuit. Nunc non vt ſenſit puncturas reprehenſionis calcibus, aut ſternacis more equi, [illegible] rupit aut abiecit, aufugitque: ſed ſubſiſtit, leniſſimè excepit, blandienſque pungenti acclamauit ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, cum articulo emphatico: Ille Dominus meus, ille DEVS meus IESVS CHRISTVS, quem hactenus ſum ſecutus Magiſtrum & Dominum, quem DEVM agnoſco & profiteor. Tu ille ipſe es, ex morte, quam ſubiiſti, rediuiuus, [illegible], Domine, confiteor. Non ita faciunt illi, qui ad vnam reprehenſionem Concionatoris, vnam monitionem Confeſſarij, vnam prohibitionem ſpiritualis Magiſtri, ſubſiliunt illicò, ac mordere & calcitrare contendunt, ac ſi detur opportunitas, aufugiunt. Reſpice exhortationem Domini Thomæ, [illegible] commutationis patientiſſimè ſuſtinuit, [illegible] ſuum bonum [illegible] paſſus, cum ad Indos vſque deportaretur, & nunquam excuſſit, immò, nec depoſuit vnquam, longiſſimo licet ac impeditiſſimo itinere; ſicut neque alij Apoſtoli, qui omnes, vt & illorum ſequaces, [illegible]: cum Equi in officio [illegible], quod eſt portare Equitem.

Ad quod hortabatur fideles omnes Apoſtolus Paulus, Corinthijs ſcribens (a) *Glorificate & portate* DEVM *in corpore veſtro.* Vt Equus, ait in commentario S. Thomas, portat Dominum & ſeſſorem, & ad eius voluntatem mouetur, ita nos portate DEVM, & ad eius voluntatem & obſequium corpus eiuſque membra mouere. Græci addunt, [illegible], quia portandus eſt in corpore & animo, cum vtraque pars eſt Equi DEI. Portare CHRISTVM *in corpore veſtro*, acclamat Bernardus, (b) *onus delectabile, ſuaue pondus, ſarcinam ſalutarem; etſi [illegible] aliquando [illegible] videtur, etiamſi interdum latera tundit, & flagellis recalcitrantem, etiamſi [illegible] chamo & freno maxillas conſtringit: [illegible], ipſo vt iumentum [illegible] vitæ immortalem, patienter quieteſque [illegible], ſed [illegible] intelligentia ſapienter & delectabiliter [illegible] propriam vtilitatem.* Ad eum portandum [illegible] elegerat Chriſtus [illegible] Paulum, de quo dixit ad Ananiam, [illegible], *vt portet nomen meum*, idest, me, tanquam Equus *ſarcinam*, [illegible] *& filijs Iſrael*. [illegible] quod [illegible] poſſumus. Talis quoque fuit S. Ignatius Antiochenus, qui à [illegible] Chriſtophorum,

(a) Cap. vi. 20. (b) In Pſal. xc. Qui habitat.

ſtum, velut Equus inſeſſorem, nominatus fuit CHRISTIFER & DEIFER. Is verò diuiniſſimam Virginem MARIAM in ſuis epiſtolis nominat ſalutatque CHRISTIFERAM. Nimirum, illa Chriſtum nouem menſibus portauerat, vt Mater, ſed eundem vt baiula, portauit Equitem tota vita ſua in corpore ſuo.

MEMBRVM III.

APOSTOLIS ET FIDELIBVS CHRISTIANIS,

tanquam Equis Chriſti, conuenit Indoles bellica.

IAM vero, ſunt alia in Equo, quibus ornatus eſſe debet, qui Chriſtum ferre, portare, inſeſſorem habere deſiderat. Et primò quidem, Equus indolem habet bellicam, ideoque ad Militiam eſt perquam idoneus. Quod fortaſſe ſapientiſſimus Regum qui, quamuis maximè pacificus, Equis mirificè delectabatur, indicare voluit Prouerbiorum XXI. *Equus*, dicens, *paratur in diem belli*. Vnde proprio titulo dicitur bellator. (a)

Hinc bellator Equus campo ſeſe arduus infert.

Sed nullus aut Poëta aut pictor indolem hanc calamo, vel penicillo expreſſit magis artificioſe, quam verbis ſuis Huſſitarum Princeps Iobus (b) *Gloria*, inquit, *narium eius terror. Terram vngulâ fodit: exultat audacter. In occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem: nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra: vibrabit haſta & clypeus. Feruens & fremens ſorbet terram: nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audiuit buccinam, dicit vah. Procul odoratur bellum: exhortationem ducum, & vlulatum exercitus*. Similia exprimit carmine Latinus Poëta libro tertio Georgic.

Altius ingreditur & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere Ponto.
Nec varios horret ſtrepitus. —— - ——

—— -- *Tum ſi qua ſonum procul arma dedere*
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premit voluens ſub naribus ignem.

QVI CHRISTVM portare in optatis habet, *Indole* præditus eſſe debet *militari*, eſſe belli ſpiritualis ſtudioſus, vltro dare nomen ſuum in Militiam ſacram, oſtendere dictis ac factis, quod amet bellum gerere cum Mundo, Carne, Cacodæmone, quod libenter militet contra perturbationes animi, contra amorem, odium, cupiditatem, ſpem, metum, triſtitiam, timorem, delectationem, inanem gloriam, ſimileſque peſtes. Talem *Indolem* præ ſe ferebant Apoſtoli, cum ijs, tanquam, Equis ſuis, ad ſubigendum Mundum vti conſtituiſſet Chriſtus, accepto ab ijs ad id impetu Diuini Spiritus. Nam ſtatim illo ipſo die, ac ſi nati eſſent ad prælium, nec ſe diutius continere poſſent, progreſſi fuerunt in campum, indixeruntque bellum Parthis & Medis & Ælamitis, & qui habitant Meſopotamiam, Indiam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliciam, Ægyptum, & partes Lybiæ, vt dicitur Actuum primo, denique omni nationi, quæ ſub cælo eſt, ad quas Chriſtum vexerunt. Tales decet eſſe omnes, qui Militiæ Chriſtianæ ſunt deſtinati, promptos ad pugnandum con-

(a) *Virgilius 2. Æneid*, (b) *Cap. XXXIX.*

tra vitia, non differre de die in diem conflictum cum Superbiâ, Iracundiâ, Luxuriâ, ſed ſtatim hoſtibus illis capitalibus bellum indicere, ſine morâ illos inuadere, nec deſiſtere, niſi planè ſint profligati, aut cæſi. Decet generoſos illos Chriſti Equos in occurſum pergere armatis animarum aduerſarijs, non torpere, non ocio ſe tradere, non permittere, vt omnia diripiantur, & tunc tandem prodire in campum, & de recuperatione amiſſorum agere. Præclara ſanè victoria, & digna triumphalibus flammis, illa, quæ ignauia noſtra direpta ſunt, recuperare, vt quod reſtauremus longo tempore non deſit.

INDOLEM bellicam ne nocte quidem ſopitam habet Equus, qui non vigil modò, ſed & dormiens bellum ruminat ſpiratque. Id obſeruauit Lucretius admirandam in eo animali viuacitatem exprimens his verſibus (a)

(a) *Lucr. lib. IV.*

Quippe videmus equos fortes, cum membra iacebunt,
In ſomnis, ſudare tamen, ſpirareque ſæpe,
Et quaſi de palma ſummas contendere vires.

Quo ſpectare videtur Claudianus, dum cantat,

Vanaque nocturnis meta cauetur equis.

In hoc quoque exprimebant bellicum illud animal Apoſtoli, qui bella Domini non tantùm meditari videbantur, ſed ſomniare etiam. Nimirum, laborabant ſtrenuè de die, & præliabantur fortiter contra mundanas poteſtates ac vitiorum agmina: noctu meditabantur in quas partes Chriſtum ipſiusque religionem inferre, & quo vlterius Vexilla Domini deportare poſſent. Tum in ſomnis obuerſabatur mentibus vix ſemiſopitis obtinendæ victoriæ ratio, quæ quieſcere illos non ſinebat. Et quamuis ſenſibus dormiebant, corde tamen ad præliorum labores erant vigiles.

MEMBRVM IV.

APOSTOLIS ET FIDELIBVS CHRISTIANIS *tanquam Equis Chriſti, conuenit pugnax Audacia.*

AD Indolem bellicam ſpectat *Audacia militaris*, animoſitas, & quædam vt in generoſis equis cernitur, ferocitas, quæ excludunt pauorem, timoremque omnē ſuperuacaneum. Quo ſi correpti fuiſſent Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, nunquam tam alacriter in omnes mundi partes excurriſſent: nequaquam ſe potentiſſimis Principibus, cùm id res poſceba, oppoſuiſſent: neutiquam aduerſariorum minas terribiles contempſiſſēt. Non ſunt idonei ad Militiam, vt corporalem, ſic ſpiritualem timidi, ac meticuloſi. Quod ſuo loco fuſius eſt demonſtratum, vbi Indolem hanc bellicam Militibus Chriſtianis propriam eſſe debere probauimus. Quâ ſanè excelluerunt Apoſtoli, qui pugnando contra Dæmones, Mundum ac Peccatum, ſemper alacres, animoſi, & interriti, immò, præferoces ac ignem ſpirantes irruperunt, ac ſuſtinuerunt, hoſtilem impetum: quod Equi eſt generoſi, qui

Stare loco neſcit: micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premit voluens ſub naribus ignem.

MEMBRVM V.

APOSTOLIS ET FIDELIBVS CHRISTIANIS *quatenus Chriſti Equis, conuenit Celeritas, Patientia, Obedientia.*

CELERITAS, quæ *Agilitas* ac *Velocitas* etiam dicitur, tam eſt Equo propria, vt nomen ei apud Græcos dederit, quod eruditi adnotarunt. Nam *ἵππον* dixerunt ab *ἵπταμαι δὶ ποῦς*, quaſi pedibus ſit volucribus. Hinc *ὠκύποδες, ἀερσίποδες, ἀελλόποδες, ταχύποδες, ἐλαφρόποδες* Equos appellarunt; Latini verò alipedes, citos, veloces, celeres, pernices, volucres, rapidos, alatos, alites denominãt equos, quorum paſſim apud Pôetas occurrunt exempla; qui & Pegaſo alas affinxerunt, vt pernicitatem indicarent. Plinius autem pennatos etiam credidit quoſdam in Æthiopiâ equos. Et nonne pennas diceres habuiſſe equum illum Probo Imperatori è ſpolijs oblatum, qui centum in diem conficiebat milliana, vt Vopiſcus refert Fortè & volucrem ea cauſſâ, appellauit equum ſuum Verus, Caligula autem velociſſimum. Naturâ maximè veloces eſſe equos ex eo quoque liquet, quod vt ratiocinabatur Xenophon, & conſtat experientiâ, Equi omnes iugo frenoque ſoluti ſtatim exultabundi fugiant. Quid quod crabrones volantes illico ortum habent ex equino cadauere! Denique, vulgari prouerbio locum fecit Equorum celeritas: cum enim factum celerrimè quidpiã ſignificamus, ſat habemus dicere cum Tullio, *Equis veliſque*.

IN hac Equi proprietate eximij fuerunt Apoſtoli, qui idcirco à Prophetâ vocantur *Angeli veloces*, Iſaiæ XVIII. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratã, ad populum terribilem*: nempe ad Gentilitatem ſubigendam, & idololatriam exſcindendam. Itaque ſubitò, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quod nunquam ſine Equis citatiſſimis fieri potuiſſet. Ob quã cauſſam comparatur eorum curſus cum ſolari, quo nullus eſt velocior. Nam de quolibet illorũ, ſed maximè, de ſeſſore Chriſto, & in ijs obequitante veriſſimum eſt: *Exultauit vt Gigas ad currendam viam; à ſummo cælo egreſſio eius & occurſus eius, vſque ad ſummum eius.* In nobis quoque, tanquam ſelectis Chriſti equis deſideratur celeritas, vt in bono opere non ſimus tardipedes, deſides, nimis cunctabundi. *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Quamquam autem velociſſimè feratur Equus, nihilominus admirandæ eſt & patientiæ & obedientiæ: nam freno ſe regi, & quaquà verſum ad nutum Equitis agi ſe ſinit. Sed multo magis Apoſtoli gratiæ diuinæ ductum & inſtinctum per omnia ſunt ſequuti, obedientes perfectiſſimè Chriſto, ſuiſque Præpoſitis, in quibus Chriſtum agnoſcebant.

trunci artus, mortui ſemimortuis mixti, atque inter iſtos Clælius, qui ad ſtrepitū aduentantium caput ac linguam mouens extremam vocem cum gemitu effudit. Agnouit Equus domini ſui vocem, quem captum Numida iuxta Hannibalem inſidebat. Aures arrigit, & acri hinnitu edito proſiliēs ſeſſorem humo ſternit. Currit per cadauera, & in ore domini iam mortui conſiſtit, & cùm mouere non videret, ipſe collo inclinato, armiſque ſubmiſſis, vt ſolebat, inuitat ad ſcādendum, diro illo Hannibale etiam miſerante & fidem animantis mirante. An hunc Caligula Imperator pro ſuo *Incitato* nō iudicaſſet cōſulatu & Sacerdotio dignū? An Alexander eidem, vt *Bucephalo*, non duxiſſet exequias, non dediſſet inferias, non extruxiſſet tumulum? Diceret fortè quis, equinum corpus domicilium fuiſſe ſpiritus humani. Pallantis Equum mortuo domino illacrymatum ſcribit Virgilius.

—— Poſt bellator Equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Non confictas ſed veras fuiſſe lacrymas, putant Maronis Interpretes, in Philoſophicis etiam clari: eſtque probabile admodum, cùm fuſas quoque lacrymas ab Equis Iulij Cæſaris ſcribat Suetonius, (a) augurio futuræ cædis. *Proximis diebus,* inquit, *equorum greges, quos in traijciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtodia dimiſerat, comperit pertinaciſſime pabulo abſtinere vberimque flere.* Vniuersè Iſidorus (b) *Interfectis vel morientibus dominis, multi ex equis lacrymas effundunt.*

QVANTA fides erga heros ſuos, ſiue viuos, ſiue mortuos! Quæ mouet virum doctum & ingenioſum (c) vt exiſtimaret, cur perfidi vulgo ac proditores ſoleant equorum tractu diſcerpi, cauſſam eſſe, vt acerbius recordentur fideliſſimorum animalium ope ſe lacerari in perfidiæ ſuæ pœnam. Sic Metius Suffetius, auctore Liuio, ob defectionem, quadrigis in diuerſa nitentibus laceratus eſt. Sed nihil hæc ſunt, quæ de Equis referuntur ad fidelitatem illam, quam in vitâ ac morte oſtenderunt erga Dominum ſuum Apoſtoli, & qui illorum ſequuti ſunt exemplum, in omni gente vtriuſque ſexus plurimi. Hi enim nunquam deſeruerunt inſeſſorem ſuum, nunquam illum excuſſerunt, nunquam inter hoſtes illum reliquerunt. Pro illo non lacrymas modò, ſed promptè ſanguinem fuderunt, vitamque ſuam, fideles vſque ad mortem, quam pro illiùs ſeruitio, per omnia tormentorum genera ſuſtinuerunt.

(a) *cap.* 81. (b) *lib.* 1. *cap.* 12. (c) *Hermannus Hugo lib.* 1. *de Milit. Equeſt. cap.* 1.

MEMBRVM VII.

APOSTOLIS ET FIDELIBVS CHRISTIANIS

velut Chriſti Equis, conuenit Victoriæ Cupiditas.

INCREDIBILIS eſt Equo victoriæ Cupiditas, (a) quæ Græcis Hipparchia dicitur, quam Virgilius commendat Equi generoſiſſimi indolem depingens his verſibus:

—— animos, æuumque notabit:

(a) *In Equo Hipparchia, Cupiditas Victoriæ.*

fingunt edocti, ac reminiſcentes ad demonſtrandam docilitatem ſuam. At hæc minuta magis ſunt, quàm militaria, in quibus non minus excellunt Equi. *Qui inter prælia hoſtes morſu petunt*, ait Solinus (*a*) Et *tela humi collecta Equiti porrigunt*, inquit Plinius (*b*) *Sacrarum equis* ſcribit Ælianus, (*c*) *ſi qui Seſſorem excuſſerint, ſubitò conſiſtunt, vt aſcendere rurſus poſsit. Apud Turcas docentur à veſtitoribus in ventrem ſe ſubmittere, ne eminus detegantur.* auctor Herodotus. (*d*) Apud Hiſpanos, vt commemorat Strabo, in genua ſubſidere iubentur. Quod Romanis vulgare fuiſſe inſinuat Dio Caſſius, (*e*) dum ſcribit de rebus Antonij, explicans teſtudinis inſtruendæ modum: In oppugnanda munitione, inquit, teſtudinem & quoſdam in ipſum murum attollunt, aut circumuenti à ſagittarijs, inclinant ſe omnes: nam & Equi edocti ſunt in genua ſubmittere ſe, & inflectere. Immò, pedibus inſilire in hoſtem didicerunt. Iucundum eſt auditu, quod narrat idem Caſſius. (*f*) Inſidebat ARTYBIVS Perſarum Dux Equo in armatum erigere ſe docto. Quod cùm audiſſet Oneſilus, ad ſatellitem ſuum: audio, inquit, Equum Artybij edoctum ſe erigere, & pedibus ſimul atque ore, eum, in quem agitur, interficere. Proinde, tu dicito, vtrum malis obſeruare, equum ne tibi feriendum, an ipſum Artybium? Ad quem ſeruus: Ego, ait, Rex paratus ſum ad vtrumque, & ad alterutrum, & omninò ad omne id quod imperaueris, facere: promam tamen prius, quid rebus tuis conducibilius ſentiam. Regem ac Ducem oportere cum Rege ac Duce certare, nos autem famulos cum famulis. Quod ad equum attinet, non eſt cauſſa, quod eius artificium extimeſcas. Recipio tibi eum poſt hac aduerſus neminem ſe erecturum. Hæc illo loquente datum eſt ſignum ad conflictum: mox exercitus conflixêre, & circa Imperatorem hoc actum eſt. Vbi Artybius Equo cui inſidebat, in Oneſilum inuectus eſt, Oneſilus, vti conuenerat cum ſatellite, inuadentem Artybium ferit: cuius ſatelles ſublatos Equi pedes in Oneſili ſcutum eos iactantis falce abſcidit. Nonne alioqui *puduiſſet* (quod Plinius ait) *hominum artes ab Equis vinci*?

AT, *Docilitate* in re militari ſuperarunt mortales omnes Apoſtoli, qui & hoſtem inuadere dexterrimè, & cum illo congredi artificioſiſſimè, & omnes artes bellicas tractare peritiſſimè didicerant ab illo, qui *docet manus ad prælium, ac digitos ad bellum*, (*g*) eſtque in ſe ac ſuis inſuperabilis. Ab hac *Docilitate* dicuntur Apoſtoli THEODIDACTI. Et hanc fore proprietatem Equorum Euangelicorum, monuit Chriſtus ipſe Ioannis VI. vbi agens cum Iudæis calumniantibus: *Eſt* inquit, *ſcriptum in Prophetis*: (*h*) *Et erunt omnes docibiles* DEI. Quare Paulus Apoſtolus ſcribens Timotheo ſuo, vult Seruum Domini eſſe *Docibilem* & *patientem*.

(a) *Cap.* 47. (b) *Lib.* 8. *Cap.* 42. (c) *Lib.* 11. (d) *Lib.* 4. (e) *Lib.* 49. (f) *Lib.* 9.
(g) *Pſal. CXLIII.* 1. (h) *Iſa. LIV.* 13.

MEM-

MEMBRVM IX.
APOSTOLI VIRIQVE APOSTOLICI
bellè repræſentantur Equis albis.

QVAS dotes ſignatè habet EQVVS ALBVS, qui idcirco nominatur in Apocalypſi, Cap. VI. *Ecce Equus albus.* Quo ſignificatur etiam lætum ac feſtiuum fore prælium Equeſtris illius Exercitus, cuius nimirum finis ſit futurus certa victoria. Hoc enim præter alia, candor Equi denotat ex Symbolicâ Sapientiâ. Sic veteres, vt habet Philoſtratus in Heroicis, pullum equinum coloris albi ſacrificabant Soli pro victoria conſequenda. Ita quoque Angeli in Equis fulgidis apparuerunt Machabæorũ tempore è quibus duo Iudam Machabæum in medio ſui conſtituerunt, & contra copias Antiochi pro Duce & Machabæo & Iudæis tela & fulmina iaculando victoriam pepererunt. Simili figurâ S. IACOBVS Apoſtolus Hiſpanorum Patronus *Equo albo* inſidens, & armis radiantibus fulgens opem ſuam inuocantibus victoriam attulit. Nominatim autem Ramiro Regi Anno DCCC XXXIV. cum ipſe clade accepta à Mauris, fugiens in montem Clauigium, orans ibidem monitus eſt à Diuo illo, vt ipſe cum militibus confiteretur & cõmunicaret, itaque rurſum Mauros inuaderet: ſe enim caſtra præiturum. Dixit & fecit: nã Equo candidiſſimo præceſſit, & ſeptuaginta millia Maurorum occîdit, ceteris vel capris vel fugâ elapſis. O deſiderandam noſtris exercitibus Victoriam! Sed obſeruandum benè, poſtulaſſe ad illam D. Iacobum, tanquam conditionem neceſſariam, vt Dux cum militibus ſuis confeſſione ſacrâ & Synaxi expiaretur ante conflictum. O! quàm id optarẽ fieri hoc tempore, & ſpondere poſſem auxilium Iacobi & Angeli illius, qui in caſtris Sennacheribi punctulo temporis trucidauit penè ducenta hoſtium millia.

Nos Religioſi abſtinentiam à voluptatibus, ab eſculentis & poculentis, à mollibus & ſuauibus nobis indiximus, nos ieiunauimus, nos ſupplicatum iuimus, nos vigilauimus, nos ſacrificauimus, nos cilicio renes conſtrinximus, nos corpus flagellis concidimus, nos in ſacco ſtramineo dormiuimus, nos cinere caput conſperſimus, nos nuda in humo cubauimus, nos linguâ terram raſimus, nos Crucem humeris baiulauimus, denique, omni genere aſperitatum corpus afflix imus, parati continuare hæc pænitentiæ Chriſtianæ exercitamenta menſes aliquot, immò, annum integrum. At eſt ne hoc ſatis? nimirum, vt innocentes ieiunent, & rei bacchentur? In monaſterijs oretur, & in caſtris blaſphemetur? In templis DEO ſacrificetur, & in campis Venere, ac Priapo, immò Diabolo ingeminato, idololatretur? Eſt ne ſatis, vt Religioſi gemant, & exercitus tripudient? vt Clerici corpus affligant, & milites laſciuiant? Eccleſiaſtici eant ſupplicatum, & milites luxuriatum? Promiſit adiutorium Altiſſimi Eques cæleſtis IACOBVS, ſi Dux cum militibus confiterentur & communicarent. Quod fieri non potuit legitimè, niſi cum propoſito vitam emendandi. Quod propoſitum non eſt efficax, niſi ex caſtris ablegentur ſcorta, exple-

[illegible] blaſphemiæ, [illegible] quantum [illegible] & [illegible].

[illegible] C[illegible] vellorum, [illegible] ſiquidem præpara[illegible] [illegible]. [illegible] blaſphemiæ [illegible] perferetur, [illegible] expellantur, ſi alie[illegible] Sacramentum [illegible]. Denique, [illegible] Equitatus [illegible] Equo *albo* [illegible] caſtaque

[illegible]. An forte [illegible] ſunt [illegible] *Equus albus* [illegible] ſunt [illegible]ces. An quia olim [illegible] melio[illegible] habebantur? An potius [illegible] triumphū *Equis albis* [illegible] Pomponius Lætus de [illegible] Diocletiani & Maximiliani. Poſt triumphantium currus ex auro & lapillis pretioſis, quem trahebant quattuor Equi candore certantes cum [illegible]. An denique, quod *Equi albi* fortunatiores & auſpicatiores à Gentilibus crederentur?

Nec [illegible] quod etiam[illegible] Romæ [illegible] maximè feſto, quando nouus Pontifex ad baſilicam S. Ioannis in Laterano, [illegible] Vrbis, & Orbis applauſu [illegible] ſolent. Quod [illegible], [illegible] CHRISTVS albo [illegible] *Equo*, [illegible] Vicarius Petri ſucceſſor perſonam [illegible]. Non [illegible] autem in Apoſtolis deſiderat [illegible] tis ſiue [illegible], ſiue ca[illegible] [illegible] ſiue læti[illegible] [illegible] prælij ſiue Victoriæ auſpicatæ [illegible]dex.

MEMBRVM X.

APOSTOLIS VIRISQVE APOSTOLICIS

[illegible]

[illegible] Equo [illegible]

[illegible] Equus [illegible]

[illegible]

[illegible] contingit. In hoc [illegible] & [illegible] & *Iudicio* Apoſtoli, [illegible] CHRISTI [illegible], [illegible] quoque agnoſcimus [illegible] Simonem Magum Petrus, [illegible] Paulus, [illegible] Ad [illegible] autem omnes [illegible] Spiritualis [illegible] Apoſtolicæ [illegible] Opprimum ergo Symbolum Apoſtoli, [illegible] & [illegible] ad [illegible] A-poſtolicæ diſciplinæ [illegible], eſt *Equus* [illegible] [illegible] & [illegible] hoc ſtabulo pe[illegible] [illegible] mus [illegible] plane [illegible] [illegible] Equum [illegible], & [illegible] qui non [illegible] [illegible] Equites [illegible] [illegible] hodie [illegible] hoc [illegible] Multa [illegible], vt [illegible] Eques Chriſtianus [illegible], vt [illegible] Multa ad illam [illegible] [illegible] per multos gradus ad [illegible] [illegible] Sed hæc [illegible]

[illegible] *Eques Chriſtianus*, [illegible] *Equus Chriſti*. [illegible] Equus [illegible] [illegible] Equus [illegible] Equus [illegible] [illegible] & ad [illegible] [illegible] agilitate, [illegible], veloces, [illegible] tis, obedientia, fidelitate erga Domi-num, in vita, & morte excellens [illegible] [illegible] Equus Dominum [illegible] Hoc pacto [illegible] Chriſti [illegible], EQVITES CHRISTIANOS [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] STATE, [illegible] PORTATE DEVM in [illegible] generoſi [illegible]

[illegible]

NOTÆ

[illegible]

§. I. EQVI [illegible]

A[illegible] VINCENTII [illegible] [illegible] VINCENTIVS [illegible] [illegible]

[illegible] QVO, [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nec ſatis habent [illegible] celeritatem Equi [illegible], adiungunt quoque [illegible] curſum

Maro, Æneid. XI.

—— —— [illegible]

Vectus equo [illegible]

Statius lib. [illegible] Thebaid.

[illegible]

Claudian. lib. [illegible] de raptu.

Quantum non [illegible] *Parthus, non impetus Auſtri,*

Non [illegible]

Atque [illegible] Homerica Virgilianorum hyperbolen [illegible],

—— —— *Viridi* [illegible]

[illegible]

Non mirum [illegible], quod [illegible] Equum [illegible] Aut [illegible] appellarit, [illegible] Pollux lib. [illegible]

[illegible] CLARI Equi. Silius lib. [illegible]

[illegible]

[illegible] | [illegible] Opus [illegible]

COMMENTATIO IV.

INSTRVMENTA

ad equitandum [illegible]

Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum [illegible] vincens ut vinceret. Apocalyp. VI. 2.

Equitatui Pharaonis aſſimilaui te. Cantic. I. 8.

Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum. Pſal. LXXII. 23.

MEMBRVM I.

Ad [illegible], quidam Equi, quod [illegible] Equus ſunt [illegible], aut vtilia.

CHristus Mundi Seruatorem, & Militiæ [illegible] Ducem [illegible], poſt [illegible] glorioſi [illegible], optimè repræſentant, tanquam Imperatorem bellicum, in Equo, [illegible] diſtinguere de [illegible] bandē. Sed [illegible] quod [illegible] Equo, [illegible] commoda. [illegible] Equum & Equitem [illegible] [illegible] qui humilē [illegible] in Cantic. [illegible]: *Equitatui [illegible] amica mia*. Equus, [illegible] Equitem [illegible] Apoſtoli & [illegible] fidem & gratiam [illegible] hic Equus eſt DEVS, [illegible] CHRISTVS, [illegible] quæ multo [illegible] commodè in Equo hæc [illegible] quæ [illegible] Equo [illegible]?

MEMBRVM II.
VSVS EPHIPPII.

V[illegible]

[illegible] molles, contemnebant. De [illegible] *eorum moribus turpius* [illegible] *quam ephippijs vti.* [illegible] *ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quamuis pauci, adire audet.*

NVNC [illegible] Germanis nostri temporis [illegible]. Degenerauimus in multis [illegible] veteri, & in mollitiem de[illegible] & [illegible] gens est, quæ tam [illegible] vt de Germanis [illegible] quod de [illegible] X[illegible] *Non* [illegible] *Non est* [illegible] N[illegible] E[illegible] & molli[illegible] sedeat quis [illegible] Eques [illegible] Equi [illegible] in [illegible] Epithalamio Sponsi [illegible] & [illegible] & allegoriæ [illegible] si bene examinademus.

Cap. [illegible] [illegible]

[illegible] Dei gratia ac-[illegible] [illegible] Huma- [illegible] meri- [illegible] volo [illegible] illa [illegible] Huma- [illegible] atque ita [illegible] dicitur [illegible] per Gratiam in[illegible]. O [illegible] huius Equi! Videtur [illegible] eſſe in Humanitate Chriſti, quod Ephippij rationem ali- [illegible] habeat.

MEMBRVM IV.

EPHIPPHIVM CRVCIS

[illegible] Chriſti,

OBEDIENTIA.

QVòd [illegible] Mund[illegible] [illegible], contemplemur, [illegible] [illegible] quod Sellæ quo- [illegible]. OBE[illegible] [illegible] *obediens* [illegible] *mortem* [illegible] qua Patris [illegible] ſe ac [illegible] obtemperabat, [illegible], qua- [illegible] CRVCIS [illegible], vt [illegible] ſidens CHRISTVS & mollius veheretur, [illegible], tamquam in Ellà conſtringente hæreret, ac [illegible] E- [illegible] blaſphemá- [illegible]: *Vah qui deſtruis Templum D[illegible]: deſcende de* CRV- CE (a) vel [illegible] *deſcendat nunc de* CRV- CE, *[illegible]*: vel [illegible] venenat[illegible] CHRISTE, *[illegible] fac te ip- ſum [illegible]* Obedientiæ Ephippium, quod [illegible], *[illegible]*.

(a) [illegible]

MEMBRVM V.

EPHIPPIA APOSTOLORVM

[illegible]

S[illegible] Equi Imperatori[illegible] [illegible], & [illegible] Ephippium [illegible] [illegible] fuiſſe [illegible] & Ephippiorum [illegible] aliquando è corio, & pelle [illegible]. [illegible] pelle [illegible] Statius (a) [illegible] manifeſta [illegible]:

Cum-

(a) [illegible]

[illegible] trepid [illegible] ſuetum [illegible] cornu
[illegible]

Silius (a) [illegible] Conſuli [illegible]

[illegible] vexat [illegible] humero [illegible]
[illegible]

Virgilius (b) equum Æneæ leonina pelle veſtit:

——— *quem fulva leonis*
Pellis obit ——— ———

Olim malo[illegible] nunciat, cui autem edunt [illegible] (c)

Omnibus [illegible] Teucris iubet ordine duci
[illegible] que [illegible]
[illegible] a [illegible]
[illegible]. ——— ——— ———

Alii [illegible] pannos [illegible] ſtratum [illegible] ex [illegible]. Frontinus (d) *[illegible] ſimul ne [illegible] magnum [illegible] tantum contumelia, vt per hos [illegible] ſpecie [illegible].* Et Liuius de ſimili ſtratagemate (e) *Mulis ſtrata,* dixit, *clitellas vel [illegible], detrahi iubet, [illegible] inclu[illegible] lictu, agaſones armatos imponit.* At [illegible], & in dignitate conſtituti, [illegible] pretioſa aut [illegible] Equo imponebant, Silius:

[illegible] ſupra [illegible] equo

nempe, ob [illegible] equum. Et Liuius (f) [illegible] *[illegible] purpura [illegible]* [illegible] Equus (g) *[illegible] erit,* [illegible] in [illegible] Equos, [illegible] Conſulares, ac Imperatorij.

IAM, vt rem noſtram agamus, quæ ſ[illegible] Apoſtolorum ſtrata, quæ [illegible] ad CHRISTI [illegible] Equitem [illegible] idonea [illegible]. Volo [illegible] poſſumus, [illegible] omnes [illegible], aut illis [illegible] entes, vel illam [illegible] inſtar [illegible], & [illegible] ſunt [illegible], & [illegible] quam [illegible] non [illegible], aut [illegible] quam [illegible], ut [illegible] ſtellis [illegible] tur. [illegible] ſuet *Virtutum* [illegible] ponit [illegible], ut [illegible] cet [illegible], tamen [illegible] TIÆ CHRISTIANÆ [illegible] ſignificatione. Annaliſtam [illegible] ſpecialiter Thomas A[illegible] literas [illegible] Equo, [illegible] *[illegible],* [illegible] de qua dicitur Pſalmo LXXXVII, *[illegible] luce,* [illegible]

[illegible]

Illa [illegible] *Equum*, [illegible] Stella [illegible], per quam Cato [illegible].

At [illegible] inſtar [illegible] Chriſtum [illegible] habere [illegible]. *Sine [illegible] placere* [illegible] ad Hebræos vi. *Fides* [illegible], inquit S. Auguſtinus (h) *[illegible] tamen ſine [illegible], neque [illegible]* [illegible] quem [illegible]

(a) [illegible] (b) [illegible] (c) [illegible] (d) [illegible] (e) [illegible] (f) [illegible] (g) [illegible]
[illegible]

[illegible] *inſtitutæ pars eſt*, vt diſſerit egregriè Lactantius (a) *quæ maximè à nobis, qui nomen ſancti gerimus, conſeruanda eſt.* Rectè etiam, tanquam Ephippium Animæ concipies Humilitatem, quæ cùm Deo hominem ſubijciat, facit, vt is libenter ei inſideat. Huius defectu, ſuperbi, tanquam Equi indomiti ac ſternaces, Devm non recipiunt, nec portare poſſunt. *Super quem requieſcet ſpiritus meus*, inquit ipſe Dominus, *niſi ſuper humilem, & quietum?* In hoc Sella eſt Imperatoris ſupremi; vt ſe ferre Dominum poſſit dicere, qui eſt huius virtutis [illegible]. Nam, vt D. Gregorius commentatur (b) *Mens quæ Diuino ſpiritu impletur habet euidentiſsima ſigna ſua: virtutes ſcilicet & humilitatem; quæ ſi vt æque perfectè in vna mente conueniunt, liquet, quod de præſentia S. Spiritus teſtimonium ferat.* (c) Ob hanc cauſam [illegible] monet, quod Redemptor noſter corda regat humilium, ſicut Le[illegible] Rex adde, & Eques Superborum. At [illegible] tam accommodatè, per modum Ephippij obuerſatur menti, quam Gratia, quæ Animæ eſt Sella ad inſidendum commodiſſima, & [illegible]; ſine qua nunquam Devs Animam, vt Equum conſcendit. Illa autem Animæ imponitur, vt Devs tanquam [illegible] recipiat.

Porro, *Ephippium* è tribus compaginatur: *Corio, Ligno, Ferro.* Nonne triplex eſt Gratia? *Præueniens, Cooperans, Subſequens.* Gratia *gratis data, Actualis. Habitualis.* Denique, ſecundum intenſionem, Gratia *magna, maior, maxima.* Si dicas. *Ephippium* eſſe *Humilitatem*, ea ſi perfecta eſt, ex tribus coaleſcit: nam tres habet gradus, vt Auctor Gloſſæ Ordinariæ in Matthæum numerat. *Primus* eſt, ſubdere ſe maiori, & non præferre ſe æquali: qui eſt ſufficiens. *Secundus* eſt, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori: & hic dicitur abundans. *Tertius* eſt, ſubeſſe minori: in quo eſt omnis iuſtitia. Aut, vt S. Bernardus diſſerit: Humilitatis virtus hæc tria habet. I. Superiori ſubdi, vt ad illius æqualitatem, nullâ ambitione vel inuidiâ rapiatur. II. Æquali non præferri, ne illicito appetitu ſuperior velle fieri videatur. III. Minori ſubdi potius, quàm præponi; vt ex hoc Humilitatis veritas comprobetur. Si *Fidem*, tanquam Ephippium conſideres, ea poſtulat æquè tria: *Aſſenſum* cordis, *Confeſſionem* oris, *Exequutionem* operis. Denique *Iuſtitia Chriſtiana*, quam ſuperius, vt *Ephippium* deſcripſimus, conſiſtit in Æqualitate triplici: cum Deo, cum proximo, cum ſemetipſo.

(a) *In epit. Diuinar. inſtit.* (b) *Lib.* [illegible] *Dialog. cap* 10. (c) *Lib.* xxxv. *Moral. cap. vlt.*

Membrvm VI.

CAPVLVS EPHIPPIORVM,

Quæ imponuntur Apoſtolis, viris Apoſtolicis, fidelibus Chriſtianis, & Animabus iuſtis, vt molliter portent Deum Chriſtum *ue.*

Ephippium munitur anterius Capvlo, quem Galli milites hoc tempore appellant l'*arſon*, Cælius (a) *Aſtrabem* dici ſcribit. Hic manu firmiter apprehendi, ac tene-

E

(a) *Aſtrabe. lib.* 11. *cap.* 65.

ac teneri ſolet, maximè, cùm inſoleſcit, ac ſubſultat Equus. Quod ſi fiat, facilè inſeſſor excutitur, aut ſella, laxatis ligulis, excidit. Capulus, quo teneri debet Gratiæ Ephippium, eſt *Exercitatio*. In Humilitatis Ephippio, eſt *Humiliatio*. In Sellâ Fidei, eiuſdem Profeſſio. In Ephippio, quod Iuſtitiam vitæ nominauimus, *Officia Iuſtitiæ Chriſtianæ*. Nam facillimè, ſi Gratia, quæ eſt in homine, ſit ocioſa, vel, vt loquitur Paulus Apoſtolus, *Vacua*; ſi quis illi deſit, & non reſpondeat: ſi quis non operetur, dum ab illâ excitatur, inuitatur, impellitur: ſi quis illam negligat, & eâ non vtatur dum eſt tempus; ſi tantum, tamquè gratuitum DEI beneficium, non æſtimet, quod fit non cooperando, decidit ex ephippio. Siquidem non-vſu, vt norunt Iuriſconſulti, ex Regula Iuris amittuntur priuilegia.

SIC, qui non ſe humiliat coram DEO & proximo; qui non æqualiter ſemper atque vno tenore humilitatem Chriſtianã conſectatur, in eaque mente ſe, ac reipſa exercet, vt loquitur S. Baſilius (a) in hac virtute exercitatiſſimus: (Siquidem vix animi propoſito tantùm, aut per mentis agitationem, ſeu meditationem ad habitum humilitatis peruenitur, aut is retinetur) ſicut patientia ad pacem, lectione ad ſcientiam, fabricatione ad artem fabrilẽ; ita humiliatione ad humilitatem firmandam eſt vtendum. Itaque, qui in ſermone arrogantiam ſophiſticam non fugit, vt monet D. Chryſoſtomus (b) qui dictionem ſuperbam, inceſſum arrogantem geſtus elatos non vitat: qui non eſt comis erga amicum, beneuolus & affabilis erga pauperem, manſuetus erga domeſticum, patiens erga temerarios, humanus erga viles & abiectos, patronus afflictis, inuiſens in dolore, & ærumnis conſtitutos, ſuauis in appellatione, alacer in reſponſione, dexter, & expoſitus vniuerſis. Qui ſeipſum ob peccata commiſſa non accuſat ſponte ac lubenter: qui virtutes ſuas ac prærogatiuas, quantum virtus perſuadet, non obtegit: qui culpam ſuam deprehenſus, aut cùm arguitur de peccato, non agnoſcit: qui rigidus eſt iuris exactor in alijs, ſibi leniſſimus, & nunquam non blãdus: qui glorioſus apud homines videri, haberique deſiderat: qui ſe iactat de naturæ gratiæque dotibus: denique, qui increpationes ferre non aſſueſcit: qui ſe humiliter gerere in veſtitu, ſermone, fronte, oculis, totiuſque corporis compoſitione non nititur, Ephippium habet ſine Capulo aut, hunc non apprehendit, ideoque facillimè neceſſario illo ad equitandum inſtrumento orbatur.

EODEM pacto, qui fidem ſuam quam interius habet catholicam, diſſimulat, qui illam inter ſectarios, dum vſus fert, aut neceſſitas vrget, non profitetur; quem pudet dum eſt in itinere, in diuerſorio, in ſympoſio, ad menſam, CRVCE ſe, aut cibos ſignare: qui verecundatur dum Catholicus, Pontificius, aut Papiſta audit: qui cum Lutheranis, aut Caluiniſtis, quãdo eſt in eodem hoſpitio, in Quadrageſimâ, aut alijs diebus eſurialibus carnes appoſitas vorat, vt vnus ex illis: qui reuerſus in patriam, inter amicos & cognatos, erubeſcit Eccleſiæ præceptis ſe accommodare; qui ad conciones hæreticorum cum popularibus ſe confert: qui ita loquitur & agit, ac ſi nunquam Ordinis

ſacrati

(a) *in Regul. breuior. q. 198.* (b) *Hom. xxii. de Humil.*

ſacrati gymnaſia frequentaſſet, nunquã, vt vulgus loquitur, IESVITARVM diſcipulos, illi deeſt CAPVLVS in Ephippio Fidei, ſine quo paullatim nõ erit viui, eoque Equus facile deſtituetur.

IDEM obtinet in *Sella*, quam vocauimus *Iuſtitiam vitæ*, in quâ eſt *Capulus*, *Officium*, aut *Exercitatio* virtutis cuiuslibet. Sanè, niſi quis à malo, aut peccato declinet: niſi bonum faciat: niſi ſobriè, iuſtè, piè viuere conetur, aut etiam viuat: niſi orationi, cum eius eſt tempus, feruenter incumbat: niſi ieiunia Eccleſiæ, aliaque ſibi impoſita, diligenter ſeruet: niſi eleemoſynas, dum poteſt commodè, largiter diſtribuat: niſi virtutum Theologicarum, Cardinalium, Capitalium officia promptè exequatur: niſi in temperantiâ, modeſtiâ, manſuetudine, patientiâ, benignitate, continentiâ, caſtitate, fortitudine ſe exerceat, *Ephippium* quidem, tanquam *Equus* Chriſti, ſibi impoſitum fortaſſe feret aliquamdiu, ſed quod caret Capulo, ſine quo inſeſſor, ſellam equeſtrem, vt minus perfectam ac commendam, repudiare ſolet.

MEMBRVM VII.

EPHIPPIORVM VINCVLA

Antilena, Poſtilena, Cingula.

PRÆTER Capulum, qui firmitatem Equiti præſtat, adhærent Ephippio *Vincula*, quibus equo firmiter alligatur. Et olim quidem rudi ſeculo ruditer, vno fortaſſe, vel fune, vel cingulo alligabatur, vt Scriptores de re equeſtri memorant. Nũc ſecundum artem, tria adhibentur vincula. Vnum eſt lorum ſat latum pectori equino præductum: dici poteſt *Antilena*, imitatione Plauti (a) qui *Poſtilenam* vocat vinculum ſub cauda, Græci dicunt ἰπουρίν: & hoc eſt alterum. Tertium eſt *Cingula*, ſeu *Zona*, qua venter equi ſubſtringitur textu canabino. Cingulæ Ouidius (b) meminit hoc verſu,

Et noua velocem Cingula lædat equum.

Apuleius quoque *Ephippia fucata, cingula armata nominat*. Zonæ eſt mentio apud Claudianum (c) equum Arcadij deſcribentem. (d)

Hac vterum Zonâ cinge frementis equi.

Quæ autem in arte noſtra ſunt Vincula, quibus Ephippia Equus Chriſti, Apoſtolis, Apoſtolicisque viris, & perfectionis Chriſtianæ amantibus alligantur ad firmitatem? Olim quidem ante legem Euangelicam, & etiamnum apud multos, ſatis putatur vnum: & eſt Propoſitum, aut aliquod animi decretum ſiue amplectendi bonum, ſiue in eo perſeuerandi: propoſitum viuendi ſecundum legem DEI, abſtinendi à peccato, exercendi virtutum officia, operandi benè. Sed non ſatis firmatur *Ephippium*, vno tantum loro, vt experiuntur Equites. Quot ſunt, qui in Paſchate, aut poſt confeſſionem peractã, propoſuerunt ſibi vitæ emendationem, reformationem morum, virtutum exercitationem: hebdomadariam exhomologeſin, fugam turpitudinis, laſciuiæ omnis, etiam verbalis, deteſtationem; blaſphemiæ, iuraméti, ſcurrilitatis deuitationem.

(a) *Plaut. in Caſin* (b) *Ouid lib de remed.* (c) *lib. de remed.* (d) *Epigram.*

nem. Sed vix elapſo die vno alteróue, itur in antiquam ſyluam. Sumus vani, vt ante, ſuperbi vt ante, intemperantes, vt ante, laſciui vt ante, iidem in omnibus vitijs qui ante. Nimirum, non ſatis ligat Ephippium, Iuſtitiæ ac Pietatis vinculum vnicum. Quare Chriſtus Dominus Equis ſuis peculiaribus, quales fuerunt Apoſtoli, tribus omninò vinculis ſellam illam aſtrinxit. Quæ ſunt tria vota, Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ: nempe, in parte anteriore, poſteriore, ac media: nam principium, medium ac finem conſtringunt fortiſſimi illi funes; ideoque non eſt periculum, quod *Ephippium* decidet.

APOSTOLOS autem votis illis fuiſſe obſtrictos mihi perſuadeo, idque ſtatim ab eo tempore, quo quaſi nouum vitæ genus ſuſceperunt, quando à Diſcipulorum aliorum numero ſegregati in Apoſtolorum Collegium allecti ſunt; ſicque communem cum CHRISTO vitæ rationem ineuntes, formam religioſi contubernij ſub ſuo Capite exhibuerunt. In eo autem, & Obedientiæ, vt Chriſto omnibus in rebus obſequentes eſſent, & Paupertatis, vt eam eximiè colerent, & Caſtitatis, vt coniugij vſu penitus abſtinerent, vinculis aſtrictos egiſſe, multa quæ de ijs fideliter in litteras ſunt relata declarant. Et de *Paupertate* quidem S. Thomas, in Secunda ſecundæ, & Scholaſtici cõſentiunt. Quibus fauet plurimum S. Auguſtinus, ſiue dum ſcribit, Apoſtolos, nõ ſolùm quæcumque habebant, ſed ipſam etiam habendi cupiditatem reliquiſſe, (a) quod abſque voto vix fieri potuiſſet; ſiue dum expendens illa Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, enunciat clarè *Hoc votum potentiſſimũ vouerãt*. (b) De *Obedientiâ* minor eſt ambigendi ratio. Quis enim opinetur, Apoſtolos, dum in diſciplinam cæleſtis Magiſtri ſunt adſciti, non addixiſſe, ſe dicto illius obſequentes fore, idque ſponſione factâ firmaſſe. CONTINENTIAM coluiſſe Apoſtolos, immò vouiſſe, quam primum Chriſto arctius adhæſerunt, illius domeſtici, eſt admodum veriſimile. Et cùm relictis omnibus Domino ſeſe perpetuò comites adiunxerint, coniugij vſu abſtinuiſſe, quamuis negent hæretici pertinaciter, adfirmant tamen Catholici conſtãter. Inter quos antiquiſſimus Clemens Alexandrinus ſcribit (c) Apoſtolis poſt vocationem vxores fuiſſe tantummodò loco ſororum. Quod etiam adfirmat S. Hieronymus acriter Iouinianum hæreticum arguens. Quam benè ergo Equis ſuis conſuluit CHRISTVS Dominus, quibus ne Ephippium fidei ac virtutum decideret, proſpexit de triplici vinculo, quo firmiſſimè alligaretur. Ad noſtram inſtructionem, vt ſi firmi in fide, conſtantes in humilitate, ſtabiles in omni iuſtitiâ, ac virtutum genere perſeuerare velimus, iiſdem nos nexibus DEO artiſſimè religemus, vt Religioſi faciunt. Quod tamen ab adoleſcentibus non eſſe tentandum temerè, & non niſi poſt maturam deliberationem, ac ſeriam virium Spiritusque probationem, adhibitis in conſilium viris prudentibus & pijs, ne decipiantur, aut leui perſuaſionis inanis vento agitentur, ſicque poſt vota concepta pæniteat; denique, exploratâ prius moderatoris conſcientiæ, de hac re ſententia, in loco à nobis eſt demonſtratum.

MEM-

(a) *Epiſt. lxxxix, q. 4. & Concion. 3. in Pſal. CIII.* (b) *lib. XVII. de ciuit. Dei cap. 4.* (c) *lib. 3. Stromat.*

MEMBRVM VIII.
STAPIA EQVESTRIS.

EPHIPPIO adhærere, ac dependere hinc & inde ſolet STAPIA, inſtrumentum ex ferro ita compoſitum, vt pedē recipiat, qui illi innititur, & quod iuuat ad conſcendendum equum. Olim quemadmodum nudis inſidebant equis aut ſtratis, ita ſaltu eos inſcendebant: donec ſubinde adhibiti *ſtratores*, & ſuppedanea ſaxa publicis in vijs, quorum loco tandem ſubſtitutæ ſunt ſtapiæ. Habet autem in Diſciplinâ Symbolica aliquam ſimilitudinem Stapiæ quodlibet Gratiæ diuinæ adminiculum, quo ſcanſio in Equum concipitur eſſe commodior. Siquidem CHRISTVS antequam Apoſtolos & iuſtorum animas, tanquam Equos ſuos vſurpet, varijs illos beneficijs præuenit, diſponit, aptat, tumque in illos quodammodo inſilit, aut velut per Stapiam, aſcendit. Niſi velimus dicere, dependere quaſi ſecundum rudem hominum conceptum, ex fidei ac iuſtitiæ *Ephippio*, veluti Stapias, *Dona Spiritus Sancti*, quæ ad equitationem myſticam ac ſpirituale ſunt vtilia, quamuis non neceſſaria. EADEM verò concipi poſſunt, vt PHALERÆ, ne quid deſit ad Equorum Chriſti Imperatoris ornatum. Neque abſurdè aſſeres, *Bona deſideria* perfectæ virtutis, quibus quodammodo allicitur Dominus (quæ ipſius nihilominus Dona ſunt) eſſe, veluti *Stapedes*, quibus primò Chriſtus, vt conſcendat, pedem imponit.

COMMENTATIO V.

CALCEATVS APOSTOLICVS

Calcei Apoſtolorum, quatenus ſunt Equi Chriſti.

MEMBRVM I.
CALCEVS PATIENTIA.

NON eſt ſatis ad vſus bellicos, Equum eſſe ephippiatum, niſi etiam ſit probè calceatus. Siquidem equi *fatiſcunt longiore itinere, ſine calceatu*, vt de camelis loquitur Plinius. Quare calcei equini ſoleis ſuppingendi ſunt, quemadmodum paſſim eſt in vſu: qui quàm ſit antiquus, ignoratur. Catullus eius facit mentionem, eo an ſit vetuſtior diſputent Philologi. Non deſunt autem Equis Chriſti, nec defuerunt vnquam Calcei, qui firment mollitiem pedum, ne dum per ſaxa, aut duriſſimam viam iter eſt faciendum, lædantur. Hoc autē præſtat egregiè PATIENTIA. Quid enim ſunt in viâ virtutis, & ad perfectio

nis Chriſtianæ culmen tendentibus, pauimentum durius, ſaxa, petræ? Sunt paupertas, morbi, ærumnæ, & quæ his adnectuntur plurima. *Patientia* verò munit potentias & affectus, qui ſunt pedes animæ aduerſus paupertatis incommoda, aduerſus morbos ac valetudinis damna, aduerſus vulnera, tormenta, doloreſque corporis; aduerſus contumelias, conuitia, probra, & cuiuslibet ſortis iniurias; aduerſus infamiam, aduerſus calamitates omnes, quæ domi, foriſque, ſiue in pace, ſiue in bello, ſiue nobis, ſiue alijs, parentibus, liberis, conſanguineis, amicis, aut quibuſcumque neceſſarijs noſtris accidere poſſunt.

ITA calceata fuit CHRISTI Imperatoris *Humanitas*, peculiaris eius Equus, vt ſuperius eſt declaratum. Nam, vt præclarè diſſerunt D. D. Cyprianus (*a*) & Auguſtinus (*b*): Baptizari voluit Homo-Deus à ſeruo: idem diebus quadraginta ieiunauit, eſuriuit, cum Diabolo tentante congreſſus eſt: *Diſcipulis, non vt ſeruis præfuit, Iudam potuit* LONGA PATIENTIA *ſuſtinere.* Numerant deinde tolerantiam Iudaicæ incredulitatis ac rebellionis, probra, ludibria, ſputamina, flagella, ſpinas, palmas, nuditatem, fel, inter facinoroſos deputationem, falſa teſtimonia, impium iudicium, ſilentium iudicati, qui nec loquebatur, nec mouebatur, nec Maieſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem Paſſione profitebatur, vt conſummaretur in ipſo plena ac perfecta PATIENTIA. Et poſt hæc omnia interfectores etiam ſuos ſuſcipit. Quid potuit patientius, quid benignius fieri? *Viuificatur* CHRISTI *ſanguine etiam, qui fudit ſanguinem* CHRISTI. Talis fuit Saluatoris Noſtri & tanta Patientia, *qua Comite*, vt loquitur D. Cyprianus, *omnes eius actus, ab ipſo ſtatim aduentu ſignantur: & vſque ad finem perſeueranter, ac iugiter tolerantur omnia.* De eadem præclarè Tertullianus: *Traditur & adducitur vt pecus ad victimam ille, cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, vno dicto de cælo adfuiſſent, ne vnius quidem diſcentis gladium in vltionem probauit:* PATIENTIA *Domini in Malcho* VVLNERATA *eſt.* Ingenioſum dictum. Tanta fuit Domini Patientia, vt dum Malchus, homo nequam, Iudæ proditoris comes, inimicus Chriſti, ſatellitum irruentium ad comprehendendum audaciſſimus læderetur, illa vulnerata fuerit. Non minus ingenioſè dixit idem Afer: *Saginari voluptate Patientiæ diſceſſurus volebat.* Itaque *Patientia* fuit Humanitati CHRISTI, cibus, potus, indumentum; &, quod nunc maximè vrgemus, CALCEVS.

QVI nulli ex Apoſtolis, tanquam Equis CHRISTI generoſiſſimis, defuit. Omnes illi cum cæſi eſſent, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine* IESV *contumeliam pati* (*c*) De iiſdem dicit vnus è numero gaudentium Paulus (*d*) *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Qui eſt ſupremus gradus Patientiæ. Hos imitati ſunt Martyres: quorum alij gaudentes (*e*) *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: alij lapidati ſunt, tentati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: alij circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & cauernis terræ.* Quàm benè tales fuiſſe calceatos

(a) *Serm. de Patr. bono.* (b) *Lib. de Pat.* (c) *Actuum* v. 4. (d) *Roman.* v. (e) *Ad Hebr.* xi. (f) Cap vi. 13

tos neceſſe eſt: alioqui, *Nunquid currere queunt in petris Equi?* quærit Amos Propheta. queunt, optime Vates, ſed non ſine calceatu PATIENTIÆ.

MEMBRVM II.

ANALOGIA

Patientiæ cum Calceo Equino.

MAONA autem eſt ſimilitudo inter Patientiam & illam materiam, ex quâ fiunt equorum calcei: hi enim communiter ſunt ferrei. Nihil durius eſt ferro, nihil fortius, nihil conſtantius inter metalla: eadem autem ſunt Patientiæ epitheta. Dura eſt Patientia, tum formaliter, quia nullis calamitatum malleis cedit, tum cauſſaliter, quia duriſſimos ad quidlibet perferendum efficit. Multis id comparationibus eleganter roborat S. Chryſoſtomus in homilia, in quâ Patientiæ elogiũ condit huiuſmodi: PATIENTIA *eſt ſcutum inexpugnabile, turris firma, magna omnia repellẽs. Quemadmodum autem in abyſſum maris ſcintilla delata huic quidẽ nihil obeſt, at ipſa extinguitur: ſic in animum tolerãtem quicquid incidere maximarum etiam rerum poteſt, facile quidem abſumitur ipſum, illa conturbabitur prorſus nihil: ſiquidem rebus omnibus* DVRIOR *& ſolidior eſt* PATIENTIA. *Exercitus, theſauros, equos, muros, arma, & quæcumque tandem memorare licet, æquè firmã a Patientia eſt nihil adduces. Iniice multã, nihil hanc petram mouebis: contumelijs age, nondum turrim hanc concuſſiſti. Plagas incute, nihildum adamantem illum perterruiſti.* Idcirco etiam dicitur FORTIS. *Virtus*, inquit Lactantius, *perferendorum malorum fortis & inuicta Patientia*, denique, CONSTANS.

Digna eſt ingenti Conſtans patientia *laude.*

PRÆTER ferrum autem, reperio argentum & aurum ad Equorum calceos adhibitum. Aureos ſanè calceos Poppæa Neronis vxor aut pellex delicatioribus iumentis ſuis induit: argenteis Nero calceauit, vt Plinius & Xiphilinus narrant: quod noſtrâ etiam ætate ab Imperatoris Regumque legatis non ſemel eſt factum. Precioſum eſt vtrumque metallum, ideòque DEO ac Diuinis dicari ſolitum; eſtque non minus quam ferrum Patientiæ ſymbolum aliquod. Eſt enim Diuina Virtus *Patientia*, DEO digna, & quæ homines DEO ſimiles reddit: nihil illa precioſius. Quod oſtendunt egregiè SS. Auguſtinus & Cyprianus: quorum iſte, *Eſt*, ait, *cum* DEO *nobis iſta virtus communis. Inde* Patientia *incipit, vnde claritas eius & dignitas caput ſumit. Diligenda res homini, quæ* DEO *cara eſt: bonum quod amat Maieſtas diuina, commendat. Probat autem id, quod* DEVS *ſuſtinet hominum ſcelera in contumeliam ſui commiſſa, pluens ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri faciens ſuper bonos & malos: quod cùm habeat in poteſtate vindictam, mauult diu tenere* Patientiam, *vt vel ſerò ad Dominum homines conuertantur.*

IDEM argumentum tractat Afra ſua eloquentia Tertullianus libello de *Patientia* verè aureo, in quo circa initium, cum

cum deduxiſſet, etiam eos, qui cæca viuunt, vt loquitur, Philoſophos, tum Stoicos, tum Cynicos, omnem Sapientiæ oſtentationem de *Patientiâ* præ ſe tuliſſe, ſubiungit: *Nobis exercenda* Patientia *auctoritatem non affectatio humana* (aut in homine) *canina æquanimitatis ſtupore formata, ſed viua ac cæleſtis diſciplina diuina diſpoſitio delegat:* DEVM *ipſum oſtendens Patientiæ exemplum.* An non enim patientiſſimus eſt, *qui florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſeruitia, totius genituræ tributa dignis pariter & indignis patitur occurrere? ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes.* Subnectit alia, quæ Patientiam virtutem eſſe Diuinam declarant, auro obryzo præferendam.

VERVM, ex quacumque materiâ conficiantur calcei equini, ſunt Clauis firmandi. Id quoque in *Patientiâ* euenit, quam veluti Clauis animo affigunt calamitates, ærumnæ, afflictiones. Poteris etiam, vt Clauos concipere, Chriſti optimi Magiſtri admonitiones, hortaméta bonorū, conſideratione͂ vtilitatis maximæ, quam *Patientia* parit. Siquidem Patientia, vt pronunciat Iacobus Apoſtolus, opus perfectum habet. *Ipſa eſt*, ſcribit S. Cyprianus Lib. de Patientia, *quæ iram temperat, quæ linguam refrænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit: facit humiles in proſperis, in aduerſis fortes, contra iniurias & contumelias mites: docet, delinquentibus citò ignoſcere: ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſequutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat.*

IAM verò, calamitates ipſæ vtilitates non exiguas habent. Ingenioſè Demetrius (a) vitam ſecuram & ſine vllis calamitatibus, aut fortunæ aduerſæ incurſu, mare mortuum vocabat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione atque incurſu fortem animi tui tentes, ſed in ocio in concuſſo iacere, non eſt tranquillitas, ſed malacia. Attacus item Stoicus, malo, inquiebat, Fortuna me in caſtris ſuis, quàm in delicijs habeat. Torqueor, ſed fortiter: benè eſt. Occidor, ſed fortiter: benè eſt. Grauiter olim dictum eſt à Sapiente Romano (b) *Miſerum te iudico quod non fuiſti miſer: tranſiſti ſine aduerſario vitam.* Religioſius ad Chriſtianam phraſin Rex Pſalmographus (c) *Bonum mihi*, Domine, *quia humiliaſti me.* CETERVM, eſt artis, tam peritè calceare Equos, vt dum claui infiguntur, caro non lædatur. Idcirco non cuiuslibet eſt fabri, calceos ſoleis equinis ſuppingere. Quocirca natura proſpexit de herba ad hanc rem opportuna. Scribit Vlyſſes Aldrouandus, (d) *Piloſellam* (herbæ illius nomen eſt) equis applicatam hoc adferre præſidij, vt lædi non poſſint, dum à fabris calceantur eoque clauorum herbam nominari ſolere. Delicatior teneriorque multo eſt animi humani affectio, quàm caro equina; ideò facilius illa offenditur ac ſauciatur, dum conamur illam in calamitatibus calceare *Patientiâ*. Nimirum ad aures pauci, ad animum pauciores admittunt commonitiones ad ferendum patienter, quæ contra ſenſum voluntatemque propriam inferuntur, dum ærumnæ premunt.

(a) *apud Senecam epiſt* LXXVI. (b) *Lib. de Prouid.* (c) *Pſal* CXVIII. (d) *Lib. 1. de Quadruped.*

munt. Quare opus eſt *Herba*, quæ diſponat ad recipiendos clauos, & læſionem impediat. Talis *Herba*, eſt imprimis *Exemplum* Christi Domini, quo pijs dulceſcunt omnia, quæ amara videbãtur; adeò, vt non ſentiantur acerbitatum puncturæ, ac facillimè ad ima penetret, quod cum illo per admonitiones ingeritur. Ad idem facit *Diuina Societas*. Cui enim non iucundum accidat, habere in quolibet aduerſitatum certamine Dominum ſocium? Ipſius autem eſt effatum (*a*) *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Denique, tanquam *Piloſella*, læſionem impedit futuræ retributionis ſpes certa. Nam *ſi ſuſtinemus*, *& conregnabimus*, ait Apoſtolus (*b*) Quam ab cauſſam Christvs inter Beatitudines collocat Patientiam. Eſt autem beatitudinis huius officium, tum pati alacriter, tum optare pro Chriſto ac iuſtitia pati grauiora.

(a) *Pſal. xc.* (b) *2 ad Timoth. 2.*

COMMENTATIO VI.

FRENVM APOSTOLORVM
quatenus ſunt Equi Chriſti

Exeqvvti ſumus ferè omnia, quæ ad Equitationem ſunt neceſſaria; quorum alia Equitem ſpectant: nempe, *Strata*, ſeu *Ephippia*, aut *Sellæ* & *Stapia*: alia Equum: nimirum, Calcei; ſupereſt Frenvm, ſine quo non facilè Equus regitur. Et initio quidem Equi effrenes fuiſſe videntur, & voce ac virgâ recti. Siquidem hæc ſimpliciſſima gubernatio ac maximè rudis omnium prima fuiſſe putatur ab equeſtris rei ſcriptoribus. Quam quidem ſimplicitatem diu retinuerunt populi non pauci, Maſſylij, Libyes, Numidæ, Gætuli, de quibus Poëtæ ac hiſtorici. Succeſſu temporis excoli videtur cæpiſſe Equitatio habenis, ſic dictis, quod manibus habeantur. Tunc iniectum quoque Equo Capiſtrum, capitis vinculum; aut περιτραχήλιον, ſeu *Collare*, quo Mauros vti ſcribit Strabo, nullo ori adhuc impoſito freno; aut ſimplex aliquod *Retinaculum*, quale Arrianus libro viii de rebus Alexandri ab Indis vſurpatum deſcribit: *Summum equi os*, inquit, *corio bubulo crudo ambiunt*, *quod Stimulos ferreos*, *aut æreos continet introrſum verſos*. Poſt hæc videntur introductæ *Oreæ*, quas Titinnius, Næuius, Cato, & Cælius apud Feſtum, ſic dictas volunt, quia ori inſeruntur. Has intellectas à Marone ſunt qui autumant, in illo verſu.

—— *det mollibus ora capiſtris.*

nam *Capiſtra* alioquin ori non inſeruntur, ſed *Oreæ*: Tandem, hominum induſtria Frenvm adinuenit ab ore frangendo ita appellatum.

Frenvm autem partes habet ad varios vſus adhiberi ſolitas, quas accuratè enumerat Iulius Pollux Breuiter. Quæ pars mento ſubtenditur, *Pſellium*, quæ ori inſeritur, χαλινὸς (*Frenum*: cuius medium *benium*; huius autem circuli quos Equus

 mandit,

mandat, *dactyli, echini, triboli* appellantur. In Sacra-Scriptura nominatur prætereà *Camus*. qui quid denotet non omnes conueniunt. Lexicographus κημὸν dicit eſſe ſpeciem freni. Ioannes Lorinus interpres egregius, dum explicat illud Dauidis; (*a*) *In camo & freno maxillas eorum constringe*, ambigit, an *camus* ſit fiſcella ferrea ori equorum appenſa, ne mordeant. S. Hieronymus exponens Iſaiæ cap. XXXVII. 29. illum verſum, *Ponam circulum in naribus tuis*, circulum illum *Camum* vocat. Plautus bonus latinitatis auctor (*b*) inſinuat *Camum* eſſe tamen quem capitis rei ferebāt, quo ipſo furciferorum fauces innectebantur. Ex noſtris viri eruditi non pauci, *Camum* exiſtimant eſſe *Lupatum*, ſiue *Lupum*. Eſt autem *Lupus* inter inſtrumenta Equeſtra, ferreus vncus, ſimilis dentium equorum: hinc *frena lupata*, aut ſine additamento, *Lupata*, quæ ſunt frena lupos habentia duriora aſperioraque, vt currus falcati, qui falces habent. Frena autem lupata ad eos equi quantumuis ferocis temperandum domandumque aptiſſima eſſe docet experientia.

(a) *Pſal xxxi. 9.* (b) *In Caſina Scena 8.*

MEMBRVM II.

FRENVM SYMBOLICE.

Gratia. Prudentia. Diſcretio. Calamitas. Beneficia diuina. Ceremoniæ. Laus Dei.

NVNC autem, vt ad Apoſtolos, tanquam Equos Imperatoris noſtri generoſiſſimos ſermonem deflectamus, nō eſt exiſtimandum, eos fuiſſe effrenes. Multa verò ſunt, quæ Freni rationem habent Chriſti Equitis intuitu (*a*). Si enim *Frenum* eſt inſtrumentum, quo *Equus* coërcetur, gyratur, ad itum reditumque impellitur, id præſtat, tum *Gratia diuina*, tum virtus *Prudentiæ*, ſeu, vocabulo Eccleſiaſticis familiari, *Diſcretio*, quâ nunc plus, nunc minus operari; nunc moderatius, nunc incitatius procurrere, ſecundum verum & circumſtantiarum neceſſitatem, aut indigentiam ſunt ab inſeſſore ſuo iuſſi. *Frenum* etiam eſt quælibet *aduerſitas, ærumna, calamitates*, quæ inaniter exultantem ac ferocientem retrahunt & cohibent. Ita Ezechielis XXIX. mandat DEVS Prophetæ, vt dicat Pharaoni: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, ponā* FRENVM *in maxillis tuis*. Nimirum, quaſi Equum effrenem, te freno, id eſt, calamitate domabo, ac in gyrum rationis & voluntatis meæ agam, inflectamque. Sic quoque Iobus agens de extremis ſuis ærumnis: (*b*) *Pharetram ſuam*, inquiebat, *aperuit*, DEVS ſcilicet, & afflixit me, & frenum *poſuit in os meum*: quemadmodum fieri ſolet cū ferocibus equis, quos domare volumus: ad quod plurimum faciunt calamitates à DEO immiſſæ. Huc ſpectat monitio Regis Dauid ab experientiâ ducta (*c*): *Nolite fieri ſicut Equus & mulus*, qui ſolis ſenſibus ducuntur, cùm ratione ſint præditi, nec ad aliorum vxores hinnite, quod malè ipſi

(a) *in Theologia tum Symbolica, tum Myſtica:* (b) *cap. xxx. 11.* (c) *Pſal. xxxi.*

ipſi ceſſerat (nec vt feroces *Equi* ac muli, pauperes ac humiles morſu calcibusque impetite) quod ipſe fecerat aduerſus Vriam hoſtibus innocentem exponendo. *In* Camo & freno *maxillas illorum conſtringe. qui non approximant ad te.* Tu DEVS capiſtro ac freno, quaſi equos aut mulos eos coërcebis, qui recuſant ad Te ſponte accedere per obedientiam, vt conueniret hominibus ratione præditis. Hoc enim loco metaphora *Cami* & *freni* calamitates & ærumnæ ſignificantur, quibus DEVS vtitur ad coërcendos homines à peccatis.

NON minus autem *Beneficia* DEI, quam calamitates ſunt *Frenum*, quo ſuos agit gyratque Dominus, qui ita loquitur ad populum ſuum per Prophetam Iſaiam: (*a*) *Propter nomen meum longè faciam furorē meum, & laude mea infrenabo te ne intereas.* Cuius ſententiæ hunc reddit ſenſum præclarus interpres (*b*). Dignus quidem eras ô Popule, beneficiorum immemor quem in æternum ab jcerem; ſed propter nomen meum, quod à Gentibus incuſari, & in perfidiæ ſuſpicionem venire nolo, furorem meum à vindictâ continui. Laudis itaque meæ, atque honoris ſtudium effecit, vt leuitatem tuam, atque inconſtantiam infrenarem, atque cohiberem, ne te præcipitem in exilium darem. At quodnam eſt illud *Frenum*, quo infrenandus dicitur populus? D. Thomas. Haymo, Dionyſius nominant *Ritus, Ceremoniasque* ſacras, ad quas cogentur iterum, poſtquam ab exilio ad patriam vrbem templumque redierint: illis retentus & infrenatus continebitur, ne ad impia idolorum ſacra, & nefarios cultus dilabatur.

Sed Propheta *Laudem* exprimit quâ voce beneficia indicari haud eſt inſolens. Quo ſenſu dicitur Pſalmo CXLIV. *Laudationem* DEI *loquetur os meum*: nempe beneficia laude digniſſima. Sic & apud profanos auctores, pro rebus laude dignis & meritis vſurpatur iſtud vocabulum. Virgilius 1. Æn.

En Priamus, ſunt hic etiam ſua præmia laudi,

hoc eſt meritis ac virtutibus. & Propertius (*c*)

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis.

Quo ferè ſenſu S. Bernardus (*d*) ijs verbis Prophetæ peccatorum ſpem excitari putat: quoniam DEI laude, id eſt, benignitate, muneribusque diuinis infrenandi ſunt, id eſt, cohibendi, ne ſpiritu triſti in deſperationem adducti, durius de ſe ſtatuant. DEI itaque *Frenum* eſt *laus*, *benignitas*, *indulgentia beneficiorum* cumulus. *Hoc freno*, inquit Bernardus. *ſi infrenatus fuiſſet Cain nequaquam deſperando dixiſſet: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.*

IAM ſi meæ id eſſet poteſtatis, quoniam Vos CHRISTI Triumphatoris Equos eſſe, aut eſſe debere demonſtraui, ſingulos ego variegato virtutum heroïcarum inſternerem tapete cui imponerem Sellam equeſtrem, ſiue Ephippium habituum ſupernaturalium; calcearem pedes veſtros aureis patientiæ ſoleis; denique inderem ori veſtro Frenum laudis diuinæ ac beneficentiæ, vt non luberet amplius loqui aliud, quàm, quod DEI honorem gloriamque concernit; ſicque vobis Chriſtum imponerem, qui tanquam peritiſſimus *Eques*, ſemper vos prudentiæ ac diſcretionis ſuæ habenis intra gyrum rationis contineret; temerè ac petulanter

(a) *Cap xlviii. 9.* (b) *Sanctius* (c) *lib. 1. Eleg 3.* (d) *Serm. 11. in. Cant.*

ſubſilientes admonitionis punctúris corrigeret, tardigrados gratiæ vehementiâ impelleret, à metâ aberrantes vocis flexu, doctrinæque efficacia in viam dirigeret. Verùm, quoniam infinitis partibus, maior eſt erga vos, quàm meus eſſe poſſit, amor illius penes quem illarum eſt rerum poteſtas, qui negare non ſolet petētibus, quod ipſis eſt ſalutare; ad illum confugite, ſi deſideratis inſtratum gratiæ ac ſanctitatis polymitum, gemmatū Theologicarum virtutum Ephippium, aureas longanimitatis ſoleas, bullatum pietatis frenum, illudque blandiſſimis voculis, adulantium ritu, ingeminate mecum, ſed tacitè ſinguli ac omnes: O Domine, *vt Iumentum factus ſum apud Te, & ego ſempe. Tecum.*

NOTÆ.

In quibus Auctores & Aduerſaria.

§.I INSTRVMENTA equitandi] *Ad equitandum quadam equo, quadam equiti ſunt neceſſaria: Equo Frenum & Calcei: Equiti Strata, ſeu Ephippia, Sellæ, Stapia.* Strata *equorum dicuntur* Ephippia. *Nonius. Tegmen equorum ad mollem vecturam paratum Ephippiū* Dorſualia *appellat Capitolinus. Gloſſa vetus* ἐφίππιον, Scordiſcale. Strata, *ſeu* Inſtrata, *omnia quæ equis muliſq; inſternuntur. Hinc* Strator, *qui equum domini Sella inſternit, ipſumque in equum ſuſtollit. Incertum eſt quando Sellæ equeſtres initium habuerint, aut ephippia inceperint. Nam ephippij meminerunt* Varro, Cæſar, Gellius, Horatius, *cuius eſt illud.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

At non eſt facile diuinare, an de ſtrato loquantur, aut ſellâ. cùm vtrumque verè vocari poſſit Ephippium, *ἀπὸ τοῦ ἐφ' ἵππου Sellas equinas & equitatorias appellant auctores æui poſterioris.* Iordanes *in hiſtor. Goth.* Paulus Diaconus, *in Marciano, & Valentiniano* Sidonius *lib. 3. Epiſt.* Sellaris equus, *freni & ſellæ patiens, reperitur in vita Germani, cap. 23. Strata equorum Peletronium inueniſſe tradit* Plinius *lib. 7. capite 56.* Auctores, *qui de hoc fuſius agunt, ſunt* Guido Pancirolus *lib. 2. tit. 16.* Polydorus Virgilius *lib. de Inuent. rer.* Iuſtus Lipſius *lib. 3. de Militia Rom. dialogo 7.* Hermannus Hugo *de re equeſtri lib. 1. cap. 4.*

§ II. EPHIPPII Vincula.] Antilena *vinculum, quo pectus cingitur.* προστερνίδιον. Poſtilena, *lignum incuruum, ſeu craſſius Lorum quod ſub iumenti caudâ ponitur; à poſt an quod poſteriorem partem exornet?* Itate aggerunda aqua curiuū faciam probè, vt poſtilena: *Plaut. in Car.*

§. III. STAPIA.] *Romæ vetus inſcriptio, quam habet* Lazius *&* Hieronymus Magius *lib. 3. Miſcel. Cap. 14. habet nomen Stapia.* Caſu deſiliens pes hæſit Stapiæ, & tractus interij. Biſtapiæ *mentionem ſe reperiſſe in S. Hieronymi epiſtolis, nullâ tamen ſignatè indicatâ adfirmat Magius.* Subſellares *appellat Auicennæ Interpres, vt monet* Cælius *lib. xi. cap. 65.* Subijces pedaneos *Budæus vocat.* Stapedæ *nomen dedit* Franciſcus Philelphus, *teſte Lipſio.* Stapedes *Grapaldus dixit.* Scanſile ferrum *Robertus* Walturius. Strepam *ſcripſit*

ſcripſit Hermoldus lib. 4. de Imper. Romano cap. 21. vt vocare placuerit, eſt machinula ferrea, in quâ pedes habemus, dum equitamus.

§. IV. MODVS equum conſcendendi] I. Olim ſaliebant in equos. Vegetius lib. 1. cap. 7. Non tantum à tyronibus, ſed etiam à ſtipendioſis militibus ſalitio equorum diſtrictè ſemper exacta. Virg. Æneid. 12.

——— Corpora ſaltu
Subiiciunt in equos. ———

II. Quibus altiores equi, aut minor ſaliendi vis, ij iubis, vel auribus arreptis ſe ſubleuabant. De Hibernis Stanurſius lib. 1. Iubarum ſetas, aut equorum auriculas ſiniſtrâ apprehendunt, atque dum equi obſtipis capitibus ſe inclinant, Equites etiam loricis, aut ſagis amicti, mira corporis agilitate ſe efferunt, diuaricatisque cruribus Ephippia occupant. Incredibile propè eſt, quod narrat Fulgoſus lib. 3. cap. 2. de Galeacio Bardaſſino Equite Siculo. Hic, inquit, ab Alphonſo, ſeniore Neapolitanorum Rege armis perſæpe tectus, Ephippio inter coxas accepto, ingentem equum crinibus apprehenſis, ſaltu conſcendit, ſtatimque, nullis firmato vinculis ephippio, eum ad curſum adegit, coxarum ac crurum firmitate pro cingulis vſus.

III. Alij equos condocefaciebant, ſeſe ſubmittere ad faciliorem inſcenſum. Strabo lib. 3. Geograph. Hiſpanorum equi ingenua ſubſidere docti, vbi vſu ferente iuberentur. Pollux lib. 1. Cap. 11. Inſtituendus etiam equus, vt facilius eques conſcendere poſſit. Silius lib. x. de equo Clelij Equitis Romani.

Inde inclinatus, collum ſubmiſſus & armos
De more, inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus. ———

IV. Aliud inſcendendi equos adminiculum erant lapides publici, ſecundum viarum latera ac margines ſubrecti. De quibus Plutarchus in Gracchis, & Xenophon in Hipparcho.

V. Mancipia ſolebant dominis dorſum ſubiicere ad inſcendendum. Sic vſus eſt Imperatore Valeriano Sapor Rex Perſarum, quoties ſubibat in equum, auctore Trebellio: & Baiazete Tamberlanus, referente Iouio.

VI. Stratores etiam fuerunt, qui ſubleuarent equites ad aſcenſum. A ſternendis equis dicti, & quia ſuſtollerent. Græcis ἀναβολεῖς.

VII. Anauoleus, ſeu Scala, aut ſcanſorium inſtrumentum fuit poſterioris temporis inuentum.

VIII. Auxilio haſtæ quidam vſi qua innixi aſcendebant, vt notauit Lipſius.

His præſidijs veteres in equos innitebantur: nimirum, ſaltu, equis inclinatu, lapidum publicorum ſubiectu, auxilio ſtratorum, mancipiorum, haſta, immò, & ſcala.

§. V. CLAVIS firmantur calcei equini] Eccleſiaſtæ xii. 11. Verba Sapientum ſunt ſtimuli, & quaſi Claui in altum defixi. Hebraicè, quaſi Claui plantati. Græci aliqui Codices habent πεπυρωμένοι, igniti: ſic etiam legit Olympiodorus, quia Claui igniti, inquit, atque candentes facilius altiuſque ligno infiguntur. Mali Claui lanceaque in oculis ac lateribus Numer. xxxiii. 55. mali homines, quorum vitanda ſocietas. Cauenda mulier ne clauo tempus capitis configat Iudic. xiv. 21. ac in nobis ſapientiæ vitam extinguat.

§. FRENVM] Eſt inſtrumentum, quo equus coërcetur, ita dictum à frangendo, quod equorum ora ferociamque frangat. Frenum lupatum, in quo Lupus. Eodem modo λύκος Græcè dicitur ferrum quoddam freni. De lupo Ouid. lib. iv. triſt. eleg. 5.

Tempore paret equus lentis animoſus habenis
Et placidè duros accipit ore lupos.

De lupatis. 1. Amor. eleg. 2.

Aſper equus duris contunditur ora lupatis.

De frenis lupatis Horatius lib. 1. Ode 8.

Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis.

Frena Peletronium inueniſſe ſcribit Plinius lib. 7. cap. 56. Papinius videtur inuentorem facere Neptunum lib. 6. Thebaid. niſi fortaſſe eum faciat primum domitorem.

——— *Neptunus equos ſi certa priorum. Fama patet, primus teneris læſiſſe lupatis*
Ora, & litoreo domuiſſe in puluere fertur.

COMMENTATIO VII.

PHALERÆ EQVORVM CHRISTI.

Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis:
Collum tuum ſicut monilia.
Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Cant. 1. 9. 10.

MEMBRVM I.

PHALERIS ORNANTVR EQVI.

SPONSVS cæleſtis, poſtquam Amicam ſuam Equitatui comparauit, ne exiſtimaremus Equitatū hunc, eſſe neceſſarijs tantùm inſtructū, deſcribit ſingulorum Equorum ornamenta, quæ dicuntur PHALERÆ, & indumentis adijciuntur, ſuntque tum ad exercitus ſplendorem, tum ad terrorem hoſtium. Ad Phaleras autem ſpectare autumo *Turturem*, *Monilia*, *Murenulas*. *Pulchræ ſunt genæ tuæ*, inquit, ſiue malæ, aut maxillæ tuæ, *ſicut Turturis*. Qua ſimilitudine indicatur ornamentum, quale refert torquatum turturis collum, & qualis eſt torques ex multis filis, & lamellis aureis, in auris ſpeciem efformatus. Quare legit R. Abraham, *Murenulas, quæ depictæ erant, inſtar turturis*. Alij, *murenulas ad turturis ſpeciem effigiatas, quæ ex temporibus deſcendentes, vſque ad genas, eas mirè exornabant. Collum tuum ſicut Monilia*. Vatablus vertit: *Venuſtæ ſunt genæ tuæ inter murenulas, & collum tuum inter monilia*. Syrus, *ſpecioſæ ſunt genæ tuæ cum cincinnis, & collum tuum cum torque*. Quibus denotantur ornamenta quæuis gemmis, vnionibuſque in catenæ, torquis, & ſerti modum aptata, qualia paſſim cernimus circa guttura matronarum, & circa collum ac ora Equorum, quibus Imperator Rex, Princeps vehitur. Eleganter Claudianus, vbi de Equo Honorij,

——— *Spumis perfunde ſmaragdos.*
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis armatos iam purpura veſtiat armos,
Et medium te Zona liget, variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus ——— ———

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Quâ circumſcriptione ſignificantur alia quædam ornamenta, ſiue circa collum & pectus, ſiue à fronte dependentia, ſiue medium corpus cingentia,

cta, vt eſt zona, & huius generis alia, in quibus piſciculorum & murenularum ſimilitudo conſpicitur: arte enim in huiuſmodi ludente, diuerſiſſima, auri argẽti-ue filis in virgulas contortis, variaſque formas exprimentibus, repræſentantur. Iſtiuſmodi autem ornatus, Equorum eſt penè proprius. Certè, inter equinas phaleras Virgilius (a) *Monilia* nominat, nec aurum omittit.

Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis,
Aurea pectoribus demiſſa Monilia *pendent.*
Tecti auro, fuluum mandant ſub dentibus aurum.

Torquem auratum exprimit Silius Italicus (b)

——— *Phaleris hic pectora fulget*
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Cingula bullata laudat Virgilius (c)

Euryalus Phaleras Rhamnetis & aurea bullis
Cingula ———

Frontalia celebrat Liuius (d) de elephantis loquens: at his communia ſunt cum Equis: *Ingentes*, inquit *elephanti erant: addebant ſpeciem, frontalia & criſtæ.*

(a) *Lib.* VII. *Æneid.* (b) *Lib.* XV. (c) *Lib.* IX. (d) *Lib.* XXXVII.

MEMBRVM II.

Phaleræ Equorum Chriſti, inſtar Turturis.

TROPOLOGICE.

CVM Equi Regis noſtri non ſint omnes vnius generis, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum: eſt enim imprimis eius ſanctiſſima *Humanitas*, eſt, MARIA Deipara, ſunt *Apoſtoli*, tum *Viri Apoſtolici*, tum *Anima* cuiuslibet *Iuſti* DEO caræ, denique *Eccleſia*, quæ omnium eſt collectio, ſingulis hiſce ſuæ adſignandæ ſunt *Phaleræ*, quæ idcircò diuerſis nominibus exprimũtur, vt ſuæ cuilibet accommodentur. Vniuerſim autem ſymbolis ſuperius enumeratis deſignantur virtutes, quibus & Eccleſia, & quælibet Anima, & Apoſtoli, Viriq́ue Apoſtolici, & Deipara MARIA, & Humanitas Chriſti magis, quam vllis phaleris Equi exornantur. Et quidem imprimis CASTITAS, *Puritas*, & *Pudor* virginalis, quæ in genarum colore emicare ſolent, commendantur. Laudat Rex in Equis ſuis decus genarum, quale eſt Turturum: Turtures ſunt pudici, puri, pudibundi, & cùm felle careant, manſueti, modeſti, verecundi, quas dotes in genis oſtendunt. Quare Patres communiter, per genas pulchras, inſtar Turturis, commendari putant illas virtutes in Eccleſia, quam comparauerat Sponſus Equæ, vel Equitatus, ne quis exiſtimet eam laſciuam & luxurioſam, quales ſunt equæ: ne quis æſtimet illam furibundam, præcipitem, diſſolutam, vt multa ſunt equæ: ne quis eam contemnat, vt amoribus alienis implicatam, quod equis vitio vertitur. Eccleſia portans Chriſtum, vt Equa generoſiſſima, nullius alterius amore capitur, illum ſolum amat, de illo loquitur, illum cogitat, illum ſomniat, non alium vigilans deſiderat, illius amoribus paſcitur, vno illo eſt contenta, ad illum abſentem; inſtar Turturis, gemit, ac ſuſpirat. Hæc prima & ſuprema dos eſt Eccleſiæ Catholicæ, quæ eâ diſtinguitur à Syna-

à Synagoga Satanæ, à ſchiſmaticorum conuenticulis, ab hæreticorum conuentibus; à quibus exulat virginitas, caſtitas, pudor, & ſolius Chriſti dilectio, cùm Antichriſto etiam adhinniant.

EÆDEM virtutes ornent oportet Animam quamlibet Hominis iuſti, vt Phaleræ Equum, ſi ad Equitatum Chriſti admitti velit. Quemadmodum Turtur non niſi vnum ad mittit marem, eoque mortuo, vitam agit vidualem in continuo gemitu ac luctu: poſt comparis deceſſum.

Nec gemere aëriâ ceſſabit Turtur ab vlmo.

Cantat Virgilius. Haud ſecus, Anima per fidem & caritatem Chriſto ſemel deſponſata, illum tantum admittit ad cubile pudici pectoris ſui, illum reſpicit, illi iungitur, non alteri: poſt mortem quam pro dilectis ſuis ſubijt, luget continuò, & ſuſpirat ad eundem in cœlis: lacrymulis, tanquam gemmulis defluentibus genas ornat. Turtur gemit pro cantu: non vſurpat, immò nec nouit alias cantilenas Anima ſancta (non venereas, laſciuas, ſcurriles, abſit) quàm turturis. *Natura Turturis eſt*, inquit S. Bernardus, monens Sororem ſibi dilectam, vt non niſi phalerata inſeſſorem ſuum ferat, *ſi per occaſionem perdiderit coniugem, vt alterum amplius non quærat.* Eſt enim omninò monogamus. *O ſponſa Chriſti! aſſimilare & tu huic Turturi, & præter* IESVM CHRISTVM *Sponſum tuum, amatorem non quæras alterum. O Sponſa Chriſti! eſto ſimilis Turturi, & luge die ac nocte cum deſiderio* IESV CHRISTI, *Sponſi tui, quia iam aſcendit ad cælos, vt aliquando faciem illius, videre merearis in dextera Patris.* (a) In eundem ſenſum S. Gregorius, *Turtur*, ait, *poſtquam parem ſuum perdiderit ſemel, nunquam alteri ſe iungit; ſed ſemper ſolitariè habitans in gemitu perſeuerat: quia quem diligebat, non inueniens quærit. Sic Sancta quæque Anima, cùm à Sponſo ſuo abſens eſt, ab eius amore non recedit, ſed in eius deſiderium ſemper anhelat, & gemit.*

HONORIVS Canticorum Interpres, in ornamentis agnoſcit, præter nominatas virtutes, *Verecundiam*. Quam etiam exprimit S. Gregorius, qui ſuperius dictis ſubijcit: *Dum* Turtur *illum, quem valdè diligit, non inuenit, quia ab omni alieno amore ſe retrahit, quaſi in genarum* Verecundia, *caſtitatem cordis ipſo habitu & actu exteriori oſtendit.* Sanctus quoque Bernardus idem Sorori ſuggerit ſuperioribus iſta adnectens: *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turtures. In genis ſolet eſſe verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, ſi præ* Verecundia IESV CHRISTI *Sponſi tui, nihil contra voluntatem illius facis. Genas habes* Turturis, *ſi cum amore & reuerentia* CHRISTI, *ea, quæ illi diſplicent, poſtponis. Genas habes Turturis, ſi præter Chriſtum alterum amicum non diligis.* Denique Verecundiam habet Anima, quæ verecundatur, ſe non facienda feciſſe, vel facienda neglexiſſe.

His accedit ſeceſſio per interualla à turbâ, à populo, à ſe ipſo, quâ mirum in modum ornatur Iuſtus, Chriſtum portans, & multo magis, quàm vllis *Phaleris* maxillaribus Equus. Indicatur autem per ornamentum *Turturis*, quæ in locis à multitudine remotis frequenter agit, ibique nidificat, ac gemit, tum vt ſibi conſulat in ſolitudine ab hoſtium incurſu ſemotior tutiorque, tum vt caſtitatem ſuam conſeruet, tum vt vires colligat ad nutricationem pullorum, tum vt abſentiam amati

(a) *De modo benè viuendi ad Soror.* Cap. 10.

mati comparis ploret. Eſt Viri Apoſtolici, eſt Eccleſiæ Præſulum, eſt Animæ iuſtæ, qui Equi ſunt Saluatoris nonnunquam in ſolitudinem ſe conferre, ibi morari per interualla aliquantulum, vires roborare, cum DEO coràm ſolitariè agere, quieſcere, gemere, plorare, ſuſpirare, ſe ſupra ſe eleuare. *Omninò ſupra ſe eſt Angelorum Domino deſponſari*, inquit Bernardus in hac materia verſatiſſimus. *An non ſupra te adhærere* DEO, *atque vnum ſpiritum eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius ſicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiamque ipſum obliuiſcere populum; populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, O Sancta Anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit indulgere præſentiam præſentibus cæteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu.* At quomodo Apoſtolus, quomodo viri Apoſtolici, & Magiſtri gentium à populis ſe ſubducet, ad quos inſtruendos eſt datus? Audiat ex ijs quilibet Bernardum: *Solus es, ſi non communia cogitas, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias, quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum. Alioqui nec ſi ſolus corpore, ſolus es.* Hinc monet idem S. Pater *a lib. de Conſider.* Eugenium Pontificem, quem ſciebat omnium Eccleſiarum ſolicitudine diſtrahi, & audiendis litigantibus toto penè die occupari, vt ſecederet aliquando aliquantulum, nec ita ſe daret actioni, vt conſiderationi nihil in ſolitudine tribueret. Verùm vt hoc rectè prudenterque fiat, & non ſe miſceat hypocriſis, neceſſaria eſt INTENTIO, quæ huc quoque ſpectat ad ornamenta equeſtria. (*b*) Nam *Intentionem rectam* in genis conſiderat S. Bernardus, quæ ſuſtentant & tuentur oculos, cum quibus intentionem Chriſtus comparat. (*c*) Et vt ſunt binæ ita in intentione duo conſideranda indicant; nimirum rem quam intendis, & finem propter quem Intentioni adiungatur PVDOR, qui è *Verecundiá* aliquatenus diſtinguitur, & ſedem habere putatur in genis. *Infra oculos malæ*, inquit Plinius, (*d*) *quas priſci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Pudoris hæc ſedes. Infra eas hilaritatem, riſumque indicantes buccæ.* Denique, ad Phaleras Equorum rationabilium pertinent, *Maturitas, Grauitas, Temperantia, Moderatio*: nam hæc omnia in Turture ſpectantur per vmbras ſymbolicas, cùm ſit animal minimè hilaritati, effuſioni, edacitati ac bibacitati deditum: vt ſine gula ſic abſque libidine. Nec omittenda FIDELITAS quæ in Equo magnoperè commendatur, & *Turturis* eſt propria. Turtur fidem quam cópari ſemel dedit inuiolabiliter ſeruat. Extat hodieque nummus Heliogabali, in quo viſitur fœmina geſtans *Turturem*, cum hac inſcriptione, *Militum fides*: innuit, Militem Duci eſſe debere fidum, vt auis illa eſt compari. His omnibus ſplendorem addit SAPIENTIA cuius quoque *Turtur* eſt ſymbolum, cùm ſit volucris gemebunda, lugens, triſtitiæ dedita. *Cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia*, inquit Eccleſiaſtes, Tradunt etiam

 (*e*) Ornitho-

(b) *Serm. XL. in Cant.* (c) *Matt. vi. 22.* (d) *Lib. xi. cap 37.*

(*d*) Ornithologi, *Turturis* carnem non craſſum, ſed tenuem dare ſuccum, qui facile in ſubtiles ſpiritus animales conuertatur: hi autem ſunt accommodati ad contemplationem aliaque ſapientiæ officia.

(d) Cap. viii.

MEMBRVM III.

Phalera Equorum Chriſti, ſeu Monilia SYMBOLICE.

PRÆTER hactenus recenſita, inter *Phaleras* nominantur MONILIA. *Collum tuum ſicut Monilia*, vel, monilibus ac margaritis circumdatum. His etiam indicantur virtutes variæ, quibus ornari conuenit illum, qui, tanquam generoſus Equus, portat Dominũ. Et imprimis eſt OBEDIENTIA, qua Collum ornatur, tanquam monili ex margaritis perforatis. Collum pars eſt corporis, quæ iugo ſubijcitur & oneri: id promptè vt fiat opus eſt Obedientià, quæ maximè Equo rationali eſt neceſſaria; vt ſuſcipiat iugum Domini ab adoleſcentiâ ſuâ, vt illud in nulla ætate excutiat, vt illud libenter circumferat: vt Legibus diuinis & monitis, conſilijsque Chriſti aſſeſſoris ſui obtemperet. *Fili mi* inquit ſapiens, hinnulum ſuum erudiens, *audi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Torque ornatur collum, non grauatur: haud ſequius *Iugo Domini*, præceptis DEI, conſilijs Chriſti.

Audite D. Ambroſium, qui legit: *Ceruix tua ſicut redimicula*, & ita hortatur: *Portate* CHRISTI *iugum; ſuaue eſt: ſi ornamentum putes ceruicis tuæ eſſe, non onera. Attolle ergo oculos ad Dominum* DEVM *tuum, & quære* DEVM *& inuenies. Erige ceruicem: redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, &* PHALERARI *ſibi magis, quàm nudari videntur. Genæ ſunt Turturis, præferent inſignia verecundiæ: redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam: Leue eſt enim Iugũ Chriſti : & ideò ceruice non premitur, ſed leuatur.* Vnioni *Obedientiæ*, coniungit idem S. Doctor duas margaritas ornatiſſimas, & indiuiduas illius comites, *Humilitatẽ* & *Patientiam*, ſine quibus flacceſſit decus obſequij. *Laudatur Anima* (verba ſunt Ambroſij) *quod cæleſti ſibi illuminante præcepto, iam ſpecioſa, iam pulchra ſit, quæ vultu præferat caſtitatis decorem, & Redimicula ceruicis attollat, in qua ſunt Patientiæ & Humilitatis inſignia.*

ET quoniam Obedientia eſt propria Religioſorum, qui illam vt profeſſionis ſuæ gemmam colunt, adiuncta Patientiæ, his potiſſimum ornari colla nobiliũ illorum Equorum par eſt credere: cùm ipſis præcipuè dicatur: *Collum veſtrum ſubmitte iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam*, Eccleſiaſtici quinquageſimo primo: ac cuilibet eorum: *Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum* (a) *Subijce humerum tuum, & ne acedieris vinculis eius.* Et, *Liga ea in corde tuo, & circumda gutturi tuo.* (b) Et ſanè, *Obedientia* cingit Religioſi

(a) *Vlyſſ. Aldrouand in Turture.* (b) *Eccl. vi. 25.* (c) *Prou. vi. 21.*

Religioſi facultates habitus ac actus haud ſecus ac collum torques: eſtque complexio quædam virtutum omnium ſiue in radice, ſiue eminentiâ quadam & occulta effectione. Vt enim docet D. Gregorius (a) *Obedientia eſt virtus, quæ virtutes ceteras menti [illegible] ſerit, inſertaſq; cuſtodit.*

Plura addunt tres Patres apud Theodoretum ad Equi collum, eiuſque *Monilia* ſpectantia Sponſum loquentem introducentes: *Collum tuũ effectum eſt ſicut Monilia. Neque enim tibi ferreum eſt collum, vt propter [illegible] flecti nequeat, ſed propter modeſtiam [illegible] verti [illegible] monilia ex auro elaborata. Cum [illegible] robur atem ac puritatem humilitatem [illegible] ſicta imitatur. Quod ſi [illegible] humilitati* Monile *ſignificat [illegible] Chriſti, Collum tanquam Monilia commendatum, & virtutum [illegible] multitudinem, & implicitam in ſingulis virtutibus [illegible] vnitatem. Quemadmodum enim* Monile *recta figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad vſum [illegible]: ſic homo virtute perfectus, cum [illegible] vna moderatione rectus ſit, ceteru compatiendo per humilitatem flectitur, atque demittitur.*

QVID autem in Viro Apoſtolico, & vitæ religioſæ cultore, veluti Equo ſit collum [illegible] bus ornandum [illegible] declarat Honorius myſticorum [illegible], qui Animam concipiunt, vt Equam, cuius *Collum* ſit Intellectus, qui Animâ iungit & Spiritum, quemadmodum collum [illegible] caput & corpus. Siquidem duæ ſunt vires Animæ, vel partes. *Spiritus*, quæ eſt ſuperior, & [illegible] ſpiritualis, & in ſignificatione [illegible] *Anima*, quæ eſt inferior in corporalibus occupata. Hæc duo Intellectus, quaſi Collum & Caput coniungit, dum Spiritum, & Animam vnam ſubſtantiam eſſe intelligit. Eſcam à capite acceptam in corpus traijcit, dum ſpiritualia quæ intelligit in ventre memoriæ recondit. Huius *Monile* eſt ſenſus [illegible] tenor varijs ſententijs, vt precioſis lapidibus inſignitus. Paullò aliter tres Patres apud Theodoretum: *Collum*, inquiunt, *humilitate circumdatum eſt animi* Ratio, *quæ vt collum reliquo corpori caput coniungit; ſic ipſa mentem cum ſenſibus connectit; dum ex virtutum habitu, mentem per actiones ſenſibus applicat; ſenſuſq; rurſum ex virtutum præſcripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatẽ, dũ non ex propria extollitur dignitate, ſed ex pulueris ac materiæ abiectione demittitur.*

BERNARDVS *Collum* in Equo Chriſti denotare putat Intellectum purum ac ſimplicem. *An-non*, inquit (b) *tibi videtur Colli vice fungi* Intellectum *per quem tua Anima traijcit in ſe Spiritus vitalia alimenta, atque in quadam transfundit viſcera morum affectuumque ſuorum? Hoc ergo Sponſæ* Collum, *id eſt, purus & ſimplex* Intellectus, *cum nuda & aperta veritate, ſatis per ſe ipſum reniteat, non indiget ornamento ſed ipſum magis, tanquam pretioſum monile Animam decenter exornat, ac proinde ſimile monilibus ipſis deſcribitur. Bonum* Monile *Veritas, bonum Puritas, ſiue Simplicitas; bonum planè monile, ſapere ad ſobrietatem. Philoſophorum vel hæreticorum intellectus non habet hunc in ſe puritatis veritatiſq; nitorem, & ideo multam curam gerunt ipſum colorare, & fucare phaleris verborum, & verſutijs ſyllogiſmorum, ne ſi nudus appareat, falſi etiam appareat turpitudo.*

S. Gregorij conſideratione, *Collum* eſt *Fides*. Per hanc enim DEO fidelis quiſque iungi-

(a) Lib. xxxv. Moral. cap. 10.

(b) Serm. xlj. in Cant.

iungitur, *& quaſi per Collum capiti ſuo Chriſto Eccleſia, quæ eius eſt corpus, vnitur. Et quia Fides ſine Operibus mortua eſt, quaſi Collum Sponſæ monilibus circumdatur, dum fides ſancta Anima operibus decoratur: ideòque ei dicitur: Collum tuum ſicut monilia.* Magis arridet Gregorio Nyſſeno, ſi per *Collum* intelligatur *Circumſpectio* & *Prouidentia* Animæ Chriſtianæ. *Quemadmodum enim* Equus *collum in orbem gyrans ad omnes greſſus aſpicit, necubi in ſaxa impingat, aut in foſſam ruat, ſed inoffenſo pede gradiatur: Sic Anima Sancta omnes ſuas actiones & greſſus proſpicit, & circumſpicit necubi labatur aut cæſpitet; ſed directo curſu ad* DEVM *feſtinet.*

QVOD ſi *Eccleſia* concipiatur, tanquam *Equa* Saluatoris Chriſti, in ea, vt *Collum* ſe habent (*a*) Doctores & Prædicatores ſacri. Qui Monilibus comparantur, ſensu S. Gregorij, (*b*) vel *quia Eccleſiæ ſunt ornamentum, vel quia Eccleſiam muniunt, vt pectus monile; vel à rotunditate, id eſt perfectione. In monilibus gemma in auro ponuntur. Per aurum autem Sapientia, per lapides opera exprimuntur. Collum ergo Sponſæ, velut Equæ, ſicut monilia exiſtit, qui quilibet rectus Eccleſiæ Prædicator, & ſapientia interius ſe induit, & opera exterius exercet, quæ in Sapientia videt.* Ab hoc non longè abit Iuſtus Orgelitanus, per *Collum* Eccleſiæ accipiens *Contemplatiuos*, qui legem DEI ruminantes, eandem docendo in alios effundunt. Hi namque ſunt Eccleſiæ Monilia.

(a) *Doctores. Prædicatores.* (b) *Caſſiodor. Beda. Aponius. Philo. Anſelm. S. Greg.*

MEMBRVM IV.

Phaleræ Equorum Chriſti, ſicut Murenulæ

MYSTICE.

SVPERIORIBVS adiunguntur ab Equite Cæleſti, eodemque Sponſo MVRENVLAE nempe ornamenta, quæ metallo (*a*) in virgulas lenteſcente quadã flexuoſi ordinis catenæ contexũtur, ex piſcis imagine vocabulo conformato, auro in ijs argenti punctis variegato vermiculorum inſtar (*b*). Hæc ad Equos ſupremi Ducis relata, ſunt ornamenta, virtutibus omnibus catenatim nexis, & in vnum cõeuntibus, tanquam *Phaleræ* ex precioſo omni metallo. Non minus enim virtutes connexæ ſunt, quàm metalla & gemmæ in monilibus & murenulis, quo fit, vt qui vnam perfectè poſſidet, alijs carere non poſſit. Siquidem neque fides viua abſque caritate, neque hæc ſine ſpe conſiſtit; vbi autem eſt *Fides Spes, Charitas*, ibi reperitur ceterarum virtutum complexio auro Sapientiæ & argento ſcientiæ decorata. Iam verò *Murenulæ* diuerſis Chriſti Equis diuerſimodè accommodantur. Contemplare Apoſtolos, viroſque Apoſtolicos, tum Doctores ac Prædicatores, *Murenulæ in ijs ſunt* Scripturarum intelligentia multiplex: aurea ſanè, vel propter ſapientiam claritatemque ſenſus ſpiritualis, vel propter caritatem, quam prædicant: nec deeſt vermiculatio argenti, quæ cernitur tum in nitore eloquentiæ, tum in ſonorâ prædicatione, tum in diſpenſatione ſententiarum pro cuiuſque captu, tũ in myſteriorum ad Verbi Incarnati æconomiam pertinentium congrua collocatione ac enun-

(a) *S. Hieronym. epiſt. 15. ad Marcellam.* (b) *Caſſiodor. S. Gregor. Beda Iuſtus. Aponius. Anſelmus.*

ac enuntiatione, tum in exemplorum, figurarum, ſymbolorum, quibus DEI Verbum ſcatet,& ſermo Euangelicus abundat,prolatione & explicatione. Conſidera Eccleſiam Militantem in qua excellunt Religioſi,& pugnant fortiter Anachoretæ, Virgines, viduæ,quibus *Murenulæ* aureæ ſunt *Pudicitia, Virginitas, Caſtitas,* diſpunctæ argenteis notis contritionis ac lacrimarum: ex D. Hieronymo l.contra Iouinianum. Suſpice iterum Eccleſiam Militantem,perſequutionum ac vexationum ærumnis afflictam. *Murenulæ* aureæ vermiculatæ argento ſunt conſtantia in aduerſis,&per ea profectus in virtutibus. Vt enim egregiè diſſerit S. Ambroſius(*a*) *Hereditas* CHRISTI *diffuſa per populos, quo frequentius examinata, eo amplius eſt probata: crebra enim perſequutiones Eccleſiæ iuſtorum nobis titulos, Martyrij victoriæ dederunt. Itaque ſicut aurum bonum,ita Eccleſia cùm vritur, detrimenta non ſentit: magis fulgor eius augetur, donec* CHRISTVS *veniat in regnũ ſuum.* Immò, ipſi Martyres ſunt Eccleſiæ *Murenulæ*,& Martyribus decus Martyrij(*b*) Martyres in mundo vincti fuerunt catenis ferreis, ſunt iam in cœlis ornati aureis, Charitate ipſi aurei, quibus non defuerunt puncta à flagellorum,clauorumque foraminibus,indeque Stigmata Domini Noſtri IESV CHRISTI. Quàm ſpecioſa eſt Equa *Eccleſia Militans* murenulis iſtis aureis,argento clari nominis variegatis circumdata!

INTVERE Animam fide & Caritate Chriſto deſponſatam, velut *Equam*, vel compoſitum ex vtroque,vt Equum, cui inſidet Saluator, *Murenulæ* illius, ſunt *Modeſtia, Maturitas*,oris, vultus, & corporis totius decora compoſitio probitatē ſpirans & pietatem. *Torques & Catenæ*,inquit Clemens Alexandrinus (*c*),de his loquēs phaleris, *ſunt pudor & modeſtia.* Sunt eiuſdem *Murenulæ*,loquutiones, diuinæ ſcripturæ verbis,& cæleſtis ſapientiæ ſententijs, nec non humanitatis & affabilitatis moderatæ affectibus ſonoræ. MVRENVLAS,ait Beda,*fabrili arte compoſitas collo circumdat, cùm Anima quæque fidelis in omnibus, quæ loquitur & agit, immò, in omni quod viuit, & quod ſpirat, continue Scripturis Sanctis intendit, ſenſumque ſuum & verba diligenter ad earum exemplum dirigit.* Specta iterum Religioſos vtriuſque ſexus bonos vtique Equos Saluatoris, quorum Murenulæ aureæ argēto diſtinctæ,ſunt imprimis *Regulæ, Conſtitutiones, Leges* cuilibet Ordini propriæ,in quibus aurum caritatis,& argentum prudentiæ relucet. Tum verò etiam actus varij obedientiæ, quibus tota hominis religioſi vita concatenatur, quaſi aurea murenula, quæ punctis argenteis, nempè,humilitatis, temperantiæ, patientiæ aliarumque virtutum officijs variegatur. Hæ ſunt PHALERAE Equorum Saluatoris. Quæ quamuis quemlibet Equum Domini mirificè exornent, in nullo tamen ſplendidius enituerunt, quàm in Equo verè Imperatorio, qui fuit *Humanitas* CHRISTI Domini; deindeque in DEIPARA, Sponſa peculiari, quæ Equæ Salomonis comparatur.

(*a*) *Ser.* 3. *in Pſ.* 118. (*b*) *Philo Carpath. in Cant.* (*c*) *Lib.* 2. *in pædag. c.* 1.

MEMBRVM V.

PHALERÆ INCOMPARABILES

Humanitatis Chriſti & Chriſtiparæ, tanquam Equorum Imperialium.

FVIT moris ſemper & vbique vt *Equus Imperatorius*, Regius, Conſularis, Imperatorijs, Regijs, Conſularibus *Phaleris* eſſet viſendus. De Imperatorio ſcribit Plutarchus in Graccho. *Equus ex Imperatoris inſigniter ornatus.* Petrus Diaconus: (*a*) *Imperatoriis Equus aureo erat circumdatus ornatu.* Plinius de regio Alexandri: (*b*) *Neminem Bucephalus alium, quam Alexandrum, regio inſtratus ornatu recepit.* Claudianus, de Equo Cæſaris Honorij (*c*)

O felix ſonipes tanti cui frena mereri
Numinis, & ſacris ſicut ſeruire lupatis?
Accipere regales cultus.

Idem de Zonâ Equi, quo vehebatur Arcadius:

Dumque auro Phaleræ, *gemmis dum frena renident,*
Hac veterum Zona *cinge frementis equi:*
Stamine reſplendens, & mira textilis arte,
Baltheus Alipedis regia terga ligat.

Dio (*d*) de Dictatore agens ſic ſcribit, *Lucio Quinctio equos phaleris decorè ornatos adduxerunt, & ſecures cum faſcibus veſteſque purpureas, & alia inſignia, quibus olim regium Imperium decoratum erat, obtulerunt.* Quibus indicat, quare Dictatorum ac Conſulum equi apparatus regios admiſerint. Gregoras quoque (*e*) Equos regios nominans, ephippia ijs purpurea imponit. Tandem, Tacitus (*f*) ac Plutarchus (*g*) *Equum* inſignia conſularia geſtantem, & ijs ſplendidè ornatum inducit.

IAM verò, quænam fuerint ornamenta quibus veluti *Phaleris* & inſignibus imperialibus enituerint *Equi* peculiares Diuinitatis nemo melius declarauit, quàm diuinus Scriptor, *Turturis, Monilium,* ac *Murenularum* expreſſione. Et quidem, dum dicuntur *Genæ pulchræ ſicut Turturis*, cùm in genis reſideat *Verecundia*, quæ Sanctorum eſt decus, commendatur in Humanitate Chriſti pulcherrima *Verecundiæ* ſpecies, *Pudicitiæ* nitor, *Solitudinis* amor, & quæcumque in turture excellunt, ſed ſemper cum eminentiâ, Nam vt obſeruat S. Hieronymus *Turtur auis pudiciſſima ſemper habitans in ſublimibus typus eſt Saluatoris.* Neque abſque myſtica ſignificatione DEIPARA obtulit pro filio par Turturum, aut duos pullos columbarum, Lucæ ſecundo. Virginem beatiſſimam quoque ornauit magis *Verecundia, Pudicitia, Virginitas, Caſtitas,* quæ in *Turture* laudantur, quàm *Equum* vllum Imperatorium purpura, vel oſtrum. Verecundia eius maximè enituit in Salutatione Angelica: nam quæ turbationis alia fuit cauſſa? Eadem virtus virginitatem veram in Virginum Virgine comitabatur, eamque ſolicitè cuſtodiebat, vt monent præclari Cantici Canticorum Interpretes, Honorius, Guilelmus, Hailgrinus. *Pudicitiam* præcipuè incomparabilem extollit Rupertus Abbas, qui, *Pulchritudo tua*, inquit, Virgo MARIA Pudicitia *eſt: pudicarum omni-*

(a) *Lib* XVII. (b) *Lib.* VIII. *cap.* 42. (c) *in Epigr.* (d) *Lib* X. *Antiq.* (e) *Lib.* IX. (f) *Lib* XVIII. (g) *in Craſſo.*

omnium, Virginum, viduarum, atque coniu[gum], tium pudor, ſiue Pudicitia, *religioſius, aut ve recundia, tuæ genis, tuis oculis comparata non eſt verecundia, non eſt pudor, aut vix meretur dici pudicitia.* Similis notæ fuit Seceſſus amor. Te ſolitariam o Domina, vt ſoliuagam *Turturem* Angelus inuenit & ſalutauit. Gemebas, vt *Turtur* in hoc incolatu, de terrenis ad cæleſtia ſuſpirabas. Tua *Verecundia* & *Pudicitia* non fuit ſimulata, ſed ſincera ac ſimplex, qualis eſt Turturis. Cum Ioſepho marito tuo ſeruaſti caſtitatem, & quidem Virginalem, ac poſt eius mortem, vidualem. Tu, vt *Turtur*, aſſiduè gemebas mortem Turturis, Chriſti dilecti tui.]

MONILIA denotant humilem ſubiectionem, quâ fuit flexile collum, tum Humanitati Chriſti, tum Virginis DEIPARÆ. Non rigebat huius aut illius per ſuperbiam. cùm demiſſimæ humilitatis vterque eſſet idea. Quare nec alijs egebat ornamentis, cum ſe ipſo pulchrum eſſet *Collum* vtriuſque haud minus, quàm Monilia. Quærant Equi Imperatoris terreni monilia, non eget alijs, quàm ſuis Equus Imperatoris cæleſtis. Si per *Monilia* intelligas verborum *Moderationem* ac *Prudentiam*, vtraque fuit excellentiſſima in Humanitate Chriſti & Matre Virgine. De hac Rupertus, quod æquè in Virginis Filium, quia homo erat, quadrat. *Sicut* Monilia *muniunt matronarum pectora pudica, vnde & dicuntur* Monilia, *eo quod pectus muniant, ne quis extraneus, id eſt, impudicus, manum ſuam iniiciat, ita &* Collum *tuum munit verba tua, non ſolùm, ne quid otioſum, aut noxium, ſiue inordinatum per vocem erumpat; verum etiam, ne ipſum bonum tuum ſecretum tuum, diuinum myſterium tibi creditum leuiter viam, vel vocem inueniat, vt aures aliena, ſiue filia aliqua, quamuis videatur eſſe Filia Ieruſalem, quæ fortè cuſtodire neſciret huiuſmodi margaritas, ſicut cuſtodiri oporteret propter porcos, maximè quæ propter Herodem, & eius complices, intelligat. Verè igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in pulcherrimis genis, collo, id eſt, tam oculorum, quàm verborum tuorum moderamine decentiſſimo.*

PER *Collum*, inquit Alanus, quod inclinare ſolemus in ſignum obedientiæ, ſignificatur *Obedientia* & *Subiectio* incredibilis, quam Chriſtus, quà homo, Patri, & Chriſto, quà DEO, Mater exhibuit: nam iugum Chriſti ſuſcepit, & verbis ac fidei eius obedientiam præbuit, Filio facta ſimilis, qui fuit obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, ad Philipp. ſecundo. In *Murenulis* aureis argento vermiculatis conſideratur Aurum *Sapientiæ*, Argentũ *Eloquentiæ*, vermiculatio *Scientiæ*, quæ ſumma fuêre in Humanitate Domini, egregia in MARIA Virgine, ſupra omnem æſtimationem noſtram in Filio & Matre. In hac, ſicut argentum ornat aureas *Murenulas*, ſic fecunditas, quod inauditum alibi, ornauit Virginitatem. Nec male concipitur, tanquam *Murenula* aurea è collo DEIPARÆ pendula, paruulus IESVLVS mammæ incumbens ac ſugens, & Matri aurum caritatis cum argento humilitatis inſtillans. An non hæ ſunt fulgentiſſimæ & incomparabiles *Phaleræ* Humanitatis Chriſti, & Chriſtiparæ, tanquam Equorum Imperatoriorum?

MEMBRVM VI.
EQVORVM TINTINNABVLA.
Hiſtoricè & Allegoricè.

INTER *Phaleras* ornatiſſimorum Equorum reperio Tintinnabula. Laudat mirificè Equum quendam Apuleius, (a) exornatum phaleris aureis, fucatis ephippijs, purpureis tapetijs, frenis argenteis, pictilibus baltheis, denique *Tintinnabulis* perargutis. Euripides etiam de equis Rhæſi, tanquam eximium quid commemorat, quod præter ceterum cultum, multis cum tintinnabulis terribilem ſonitum ederent. Neque hoc genus ornamentorum deſideratur in Equitatu DEI, In cuius rei typum, voluit olim DEVS, vt Aaron, qui fuit alter Dux populi Iſraëlitici, in orâ veſtis ſui haberet reuera *Tintinnabula*, quorum pulſum ſonitumque perciperent, qui ambulantem cernebant, vt ſcribitur Exodi XXVIII. aut qui cum ipſo erant. In vnâ autem illius veſte plura fuiſſe conſtat ex Eccleſiaſtico & Exodo vbi hunc in modũ ſcribitur: *Deorſum ad pedes tunicæ per circuitum, quaſi mala granata facies ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, miſtis in medio tintinnabulis, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur ſanctuarium.* Proſper Aquitanicus numerat quinquaginta nolas, D. Iſidorus ſeptuaginta duas.

QVID autem ſunt hæc Tintinnabula in Phaleris Equi ſacri? Certè, Rupertus Abbas agnoſcit illa in ſupremo noſtro Imperatore, & dicit fuiſſe illius ſonoram prædicationem. Apoſtoli autem primarij Equites ſacrati Exercitus plurimis iſtius generis Tintinnabulis adeò clarum ac terribilem ſonitum ediderunt, vt in omnem terram exiuerit, & exauditi fuerint, ſicque terrorem ſummis tenebrarum Principibus incuſſerunt. Quæ quidem Tintinnabula B. Proſper in die Pentecoſtes Apoſtolis, tanquam Equis regijs appenſa fuiſſe concipit. Et ſanè quid aliud fuerunt linguæ igneæ perſonantes magnalia DEI? Quamuis autem omnibus Saluatorem portantibus *Equis* hoc ornamentum conueniat: nam cunctorum eſt annunciare Chriſtum verbo aut exemplo, tamen magis proprium eſt Ducum quorundam ad ſupremum propius accedentium, quales ſunt *Sacerdotes, Viriquè Apoſtolici*, & qui in Antiſtitum ſunt numero. *Tanta*, inquit S. Hieronymus, *debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis* DEI, *vt & greſſus eius & motus & vniuerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto etiam habitu reſonet & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina ſit populorum. Abſque Tintinnabulis enim & diuerſis coloribus, & gemmis floribuſque virtutum nec Sancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.* In eandem ſententiam S. Chryſoſtomus: *Sicut homo vbique fuerit, ceteris animantibus præſtat; (c) ita Doctorem decet, ſiue loquatur, ſiue ſedeat, ſiue in conuiuijs, ſiue alibi ſit, ceteris hominibus præcellere; adeò vt inceſſu & aſpectu & habitu, omnibuſque ſimpliciter alijs in rebus, præſtantior eſſe videatur.* Siquidem, vt idem alibi dicit: (d) *Hæc eſt ratiocinatio, ſeu demonſtratio* apodictica,

(a) *Lib. x* (b) *Eccleſ. xlv. 10, Sap. xviii. 24. Exodi xxviii. 33.* (c) *Hom. Lxxiii. in Matt.* (d) *Hom. 3. in 1. ad Corin.*

ctica, cui contradici non poteſt, quæ fit per facta. Quocirca, vt idem monet: (e) *in Eccleſia Chriſti magis debet eſſe*, qui ſic vocatur, *Doctor vitæ, quàm ſermonis.* Hoc officium illius exigit, qui alios docet. Nam *vt obedienter audiatur* (f) *Doctor aut Concionator quantacumque granditate dictionis, maius pondus habet vita docentis* ait rectè Auguſtinus. Inferiores Antiſtite Myſtas alios, ac Sacerdotes noſtros quouis Pōtifice Iudaico ſanctiores, quoniam magis ſancta tractant, iiſdem Tintinnabulis perſonare obſeruant SS. Auguſtinus, (g) & Papa Gregorius, qui libro 1. ſui Regiſtri, cap. 24. *Ideo*, inquit, *in inceſſu Sacerdos* habet Tintinnabula, *vt vitæ viam cum linguæ ſonitu ipſa quoque bona opera Sacerdotes clamēt: dicitur que*, Mala punica iungite, *quaſi dicat: per omne quod dicitur vnitatem fidei teneatis.* Siquidem *Malum punicum*, quod vno cortice multa grana complectitur, vnitatem fidei deſignat: vel, vt ait Venerabilis Beda, multifariam virtutum operationem vno caritatis munimine tectam.

TINTINNABVLORVM autem materia erat *Aurum*: nimirum, vt ſignificetur omnem ſonum vocis & actionis in Equo Diuinitatis debere eſſe aureum ex virtute charitatis, quæ eſt aurum obryzum. Nec malè obſeruat Origenes hom. IX. Tintinnabula fuiſſe in orâ & extremitate veſtis. Quod eò ſpectat, vt de extremis temporibus, ac fine mundi nunquam ſileat Prædicator Domini, ac Euangelij præco. Sed inde ſemper ſonet, inde ſequatur eius ſermo, inde diſputet, ibi hæreat, premat nouiſſima: frequenter intonet: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ita Apoſtoli per orbem equitantes hiſce Tintinnabulis ſonitum ediderunt horribilem. Quorum imitatione optimè faciunt, qui frequentiſſimè cùm ad populum dicunt, ac de rebus diuinis diſſerunt, *Nouiſſimorum* commemoratione ſuos auditores commouent, & ſalutarem metum inijciunt.

ISTIVSMODI Tintinnabulis ornati fuere plurimi ex primis & generoſiſſimis Domini Equis ac Equitibus. Inter quos eminet S. MARTINVS de quo Sulpitius, in Vita cap. 26. *In verbis & in confabulatione eius, quanta grauitas? quanta dignitas erat? quàm alacer? quàm efficax, & quàm in exſoluendis Scripturarum quæſtionibus promptus ac facilis! Et quia multos ad hanc partem incredulos ſcio: quippe quos viderim meipſo etiam inſerente, non credere*, IESVM *teſtor, ſpemque communem, me ex nullius vnquam ore, tantum ſcientiæ, tantum ingenij, tam puri, & tam boni ſermonis audiſſe. Quamquam in Martini virtutibus, quantula eſt iſta laudatio? niſi quod mirum eſt, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuiſſe.* Hoc genere Tintinnabulorum perſonabat CHRYSOSTOMVS ſemper, Concionatorum ac Præſulum decus, Chryſoſtomus, dico, cuius os aureum, & linguâ velut tuba argentea, nunquam non extremorum timorem ſalutiferum incutiebat. De illius virtute animos permouendi, quamuis ſermone priuato, ita narrat in vita Georgius Alexandrinus. *Subinde commeminit vitæ Sanctorum Patrum & Anachoretarum, eorumque conuerſationis ac virtutis, ita vt huiuſmodi ſermonibus compungerentur non pauci, atque ex eorum oculis elicerentur vberrimè, ac defluerent lacrymæ.* De S. ANTONIO ſcribit D. Athanaſius, *Sermo eius ſale conditus conſolabatur mæſtos, docebat ignorantes, concordabat iratos, omnibus ſuadens nihil amori* Chriſti *anteponendum;*

(f) *Lib. 4 de do. Gr. Chriſt. cap. 27.* (g) *q. 119. in Exod hom. IX.* (e) *Hom. 5. in 1. ad Theſſal.*

ponendum, proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & DEI clementiam, ac beneficia retexebat indulta. Declarat mox effectus inde ſequutos. *Quis non triſtitiam apud* Antonium *mutauit in gaudium? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad eius temperauit aſpectum? quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abiecto, ſtatum & diuitum deſpexit opulentias, & in ſuâ lætatus eſt egeſtate? Quis poſt laſsitudinem Monachus non eſt eius adiutus hortatu? quis adoleſcentis ætatis accenſus ardoribus nō ex eius admonitu pudicitiæ fuit factus amator? quis vexatus à Diabolo ſine medela rediit? quis enim ei cogitationibus diſtractus cæca tempeſtate ſopita, ſereno non regreſſus eſt animo?*

TALE *Tintinnabulum*, talis gratia atque efficacia dicendi reſonabat in Abbate PLATONE cuius dotes deſcripſit Theodorus Studita in Oratione funebri. *Quàm diu cum iis, qui in vrbe Bizantio degunt fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutauit, & ad virtutis ſtatum conuertit. Quid-nam eſt hoc quod dico? Sua, inquam, lingua admonitionibus iurandi conſuetudinem ab eius loci hominibus abſtulit: nimios ornandi cultus modeſtâ ſua doctrina repreſſit: ſæpius de morum probitate diſſerens, vt caritatem exercerent in pauperes, hominibus perſuaſit. Quare factum eſt, vt abundè pecuniæ conferrentur, & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè diſtribuerentur: euſdem ad lectionem compoſitè exercendam inſtituit: atque ad quoduis aliud opus bonum induxit.* Non ceſſit in hoc genere laudis vlli ex laudatiſſimis Verbi diuini Præconibus Epiſcopus FVLGENTIVS, vt diſcipulus illius teſtatur in vita, hæc inter alia referens. *Reuera, Sacerdotis officium etiam tunc laudabiliter implebat, non tantùm aliquos reconciliando, ſed omnes, quos attingere poterat, ad reconciliationem ſalutaribus monitis inuitando. Cuius ſermo dulcis & rectus, quæ dura quoque corda molliebat.* Subiungit. *Cùm verbo loqui quidpiam, cogente interdum ratione, voluiſſet, ab ore eius omnis turba pendebat; ex loquutione familiari conſiderans qualis eſſet ſpiritualis magiſtri futura doctrina.* Et mox. *Tanta fuit B.* Fulgentio *facundi ſermonis ſuauitas, tanta in vultu eius emicabat hilaritas, vt certatim fideles vniuerſos Sancta Caritas traheret, vel interrogare doctiſſimum virum, vel audire quoties ad interrogata reſponderet.*

DVM autem de Tintinnabulis ſymbolicis Equitatus Dominici diſſerimus, non eſt omittendum monitum S. Gregorii Nyſſeni, *Tintinnabula* referre nouiſſimum *Tubam* Archangeli, quæ perſonabit: *Surgite mortui venite ad iudicium.* Atque ideò moneri per *Tintinnabula* ſua Equitem Chriſtianum, vt corpus habeat leue ac āereum ex cibi potusque tenuitate, vt exiliat promptè ad nouiſſimæ Tubæ ſonitum, referaturque ſublimis in āera obuiam Chriſto ad iudicium venturo. Cauendum igitur ſummoperè, ne corpora illorum grauentur vnquam crapulâ & ebrietate. Denique *Tintinnabula* in omnibus Chriſtianis, DEVM in ſe, vt animoſos Equos decet, portantibus, ſunt bonum *Exemplum*, quo dum contra hoſtes ſpirituales proficiſcuntur, tanquam terroris pleniſſimo ſono aduerſariorum acies percellunt.

VNIVERSE tandem circa *Phaleras* illud noto; peccari nonnunquam ob luxum, quem vel materia, vel forma præfert. Certè, ne argentum quidem ſtanno infuſum Plinij moderatio tolerauit in ornamentis equo-

equorum. *Argentum*, inquit (a) *ſtanno incoquere ſimili modo caperunt, equorum maximè ornamentis: queque in ſcyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Et Iure Cæſareo Codicis lib. XI. titulo XII. dicitur: Nulli licere in frenis, equeſtribus ſellis, & baltheis margaritas, & ſmaragdos & hyacinthos aptare. At, precioſitas omnis in *Phaleris* Equitis Chriſtiani laudatur. Cuius *Tintinnabula* fiunt ex auro Caritatis; *Monilia* equeſtria ex gemmis virtutum, *ornamenta* cetera ex vnionibus ac ſmaragdis chariſmatum diuinorum.

(a) *XXXIV. C. 17.*

NOTÆ.

In quibus Auctores & Nominum ratio.

§. I. PHALERAE.] φάλαραι *dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ φαλοῦ, quod illuſtre ſignificat. Controuerſia eſt apud Eruditos, An Equitum Equorumque ornamenta dici poßint Phaleræ? Negat* Cerda *in IX. Æneid. quem refutat* Hermannus Hugo, *lib. 2. Militiæ equeſtris cap. 3. legendus* Aldus *lib. 1. de quæſitis per epiſt. cap. vlt.* Plutarchus *in Pompeio, Equum dicit fuiſſe auro ornatum & phaleris plenum.* Iuuenalis, *Satyra XI.*

Artificum fregit magnorum pocula miles
Vt phaleris ſplenderet Equus.

§. II. MONILIA.] *Monile, ὅρμος, ornamentum gutturis, quod ſolet de collo Virginum pendere, & geſtantem admonet virtutis perſonæ conuenientis, qualis eſt pudicitia, propria Virginum. Nam primo ob aliquod egregium factum dari ſolebat Ouid. lib. X.*

Dat digitis gemmas, dat longa Monilia collo.

Sic & Græcum, ὁρμίσκος, *id eſt,* Monile *alludit ad* ὁρμὴν *id eſt, impetum, impulſum, quod illum ad præclara virtutis opera viris & viraginibus incitat. Gloriabatur S. Agnes, quod monilibus à Sponſo cæleſti decorata eſſet, apud S. Ambroſium ſerm. XC. Neque ſolùm illud* Monile *dicitur, quod ex hominum, verum etiam, quod ex equorum, aliorumq; animalium collo dependet.* Virgilius *VII. Æneid. de equis Latinis.*

Aurea pectoribus demiſſa Monilia *pendent.*

Gellius *lib. V. cap. 5.* Equitatum frænis, ephippijs, monilibus, phalerisque præfulgentem *nominat.*

§. III. MVRENVLAE.] Murena *piſcis eſt ab anguilla non diuerſus, aut illi perſimilis: inde Murenula vocatur colli aureum quod ſcilicet auro in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, ex piſcis imagine vocabulo conformato. De quo* Cælius Rhodigin. lib 4. *cap. 2. Vt autem Murena varijs notis, quaſi punctis diſtinguitur, ſic & Murenula vermiculatur, & diſtinguitur punctis argenteis.* Plinius *lib. IX. cap. 23.* In Gallia Septentrionali murenis omnibus dextera in maxilla ſeptenæ maculæ ad formam Septentrionis aureo colore fulgens dumtaxat viuentibus pariterque cum anima extinguuntur.

Caßiodorus. Murenulæ ornamentum ſunt colli Virginalis & puellaris, videlicet virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam pulchra varietate ſubtiliſſimis argenti filis. Hoc eſt quod dicitur,

 Vermicu-

Vermiculatas argento, hoc eſt, in modum vermium terrenarum, quos lumbricos dicunt diſtinctas, & inter ſe coniunctas.

Murena dicitur à μύρειν, *id eſt fluere, ait* Euſtathius, *eo quod, teſte Macrobio, præpinguedine, in ſumma aqua fluitet. nec ſe mergere poſſit, ſole nimirum torrefacta. vnde* Martialis *lib. XIII. Epigr.* 77.

Quæ natat in Siculo grandis Murena *profundo*
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

Sic pariter circa collum fluitas Murenula *aurea, & ſolis radijs percuſſa effulgurat. Legendus* Vlyſſes Aldrouandus, *&* Rondeletuis *l. de Piſcibus ver. Murena.*

§. IV. *VERMICVLATVM.*] *Ornamentum ex auro vel argento, ſi protuberet cum aliquo acumine, dicitur* clauatum: *ſi in rotundos ſemi orbiculos,* bullatum: *ſi in integras ſphærulas & quaſi Vniones,* baccatum: *ſi in ſpiras aut flexus, quales anguillarum,* vermiculatum.

§. V. *EQVVS*, Imperatorius, Regius, Conſularis] *Legendus* Hermannus Hugo *lib. 2. de Militia Equeſtri. cap. 3. Qui monet, Phaleras Ducibus eſſe pro maieſtate, vt veſtes virum faciunt. Sed non ſit luxuries nimia: ornatus illis ſit, ſed moderatus, nec nimis phaleratus: modò ſimul ſtipendia caſtris ſuppetant, nec eſuriat miles, quod Equus Ducis mordet, & calcat. Quis alioqui ferat frænos aureos mandi, ſpumis ſmaragdos vexari, ſi militum dentes agant eſuriales ferias? Quis aureas Poppææ ſoleas, quis Neronis argenteas, ſi auri argentique exiguum ſit in ærario? Quis Equorum cultum ad luxuriem magis, quàm ad magnificentiam exactũ? vt loquitur* Curtius *lib.* V. *Ego certè ſuadeam, inquit ibidem* Hugo, *Ducibus omnibus, quod* Charidemus *libro tertio Curtij ſuaſit Dario, exultanti exercitus ſui ſplendore: Argentum illud atque aurum ad conducendum militem mitte.*

COMMENTATIO VIII.

DOTES EQVORVM CHRISTI:

Ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum Apocalyp. VI. 2.

Membrvm I.

EQVO EST NECESSARIA

Cura Equiſis: & Exercitatio Equiſonis.

CHristvm Dominum humanæ ſalutis Vindicem, poſt debellatas Poteſtates aëreas, deuictaque Morte rediuiuum, perbellè mentis oculis obijci, tanquam *Victorem*, niueo inſidentem *Equo*; quemadmodum viſus eſt Ioanni Apoſtolo Apocalypticis ſpeculationibus intento, diximus non ſemel. Et actum eſt de illius Equis, quos alit plurimos. Quorum primi ac generoſiſſimi poſt Humanitatē Verbi Diuini, & Deiparam Virginem, fuerūt

fuerunt Apoſtoli, quos commentatione hanc antecedente, benè ſtratos, ephippiaros, calceatos, ſtapiatos, frenatos, phaleratos exhibuimus. Verùm, cum ijs Imperator noſter ad nouum bellum, quo orbem vniuerſum ſubacturus erat, vti decreuiſſet, prima illi cura fuit (quod periti Equites faciunt) vt hos militares Equos ſuos ad omne officium, obſequiumque aptaret. Ad quod quadraginta omninò dies, qui inter Reſurrectionem & Aſcenſionem glorioſam fluxerunt diligenter impendit. Iis enim quicquid ad Equidocilis curam, inſtitutionem, exercitationemque ſpectat adhibuit, vt mox, percipietis, ſi mentem aureſque cum attentione peculiari Eccleſiaſtæ veſtro accommodaueritis.

EQVVS etiamſi naturâ bellicoſus ſit, arte tamen exercitioque percolendus eſt: militaris maximè, ſeu Bellicus, vt veteres appellabant, qui Equitem in bellum portat. Doſſuaria iumenta, clitellarioſque caballos ad ſarcinas ablegabant Romani: ephippiatis ac bellatoribus ſcholas adſignabant & Magiſtros, Magiſtros, inquam; ſic enim antiquis dicebantur Equorum inſtructores ac moderatores.

Apud Platonem lib. VII. de legibus alicubi nominantur ἱππονδιδάσκαλοι Virgilius, (a) boni generoſiq; equi eſſe canit:

—— Blandis gaudere magiſtri
Laudibus ——

Auſonius quoque aduertit ſolere, quibus ea cura,

Quadrupedum genus impoſitis domitare magiſtris.

Scholæ erant *hippodromus* & *campi*. Hic primum vitia dedocebantur, deinde vt obſequentes diſcipuli, docebantur bonos mores.

CHRISTVS, & Equorum ſuorum fuit inſeſſor, & Magiſter, domitor, moderator, vt mirum non ſit, ad omnem artem eruditos fuiſſe Equos, qui ex tam nobilis Magiſtri diſciplinâ domeſticâ prodierūt. Scholæ, ſiue gymnaſia illis fuerunt, Domus illa, in qua ſæpius colligebantur, vt reſuſcitatum Dominum exciperent, Emaus caſtellum, littus Tiberiadis, Campus Galilææ, mons Olueti: in his inſtituti fuerunt ad omnem artis bellicæ diſciplinam.

(a) *Georgic.* 3.

MEMBRVM II.
EQVVS BONVS
agnoſcit Dominum ſuum.

AD eam imprimis eſt neceſſariū, vt *Equus* Dominum ſuum agnoſcat. Hoc enim magnoperè conducit, tum vt illum facilè admittat, tum vt non excutiat, tum vt in prælio non deſerat, tum vt contra hoſtem tueatur. Quæ omnia præſtat Equus, ſi Domini ſui notitiam peculiarem, indeque affectum hauſerit. Eſt enim *Equus* inter animalia inſigniter philanthropos, ac fideliſſimus illi, ad quem familiariter aſſueuit. An fortaſſe idcirco in ſidera illum retulerunt Mathematici, proximamque locarūt Delphino hominis amatori flagrātiſſimo? Hinc cu-

 ræ fuit

(a) *Manilius lib.1.* (b) *Curtius lib.vi. Gelli. lib.v.*

æ ſuis bellicoſis Equitibus, vt peculiari inſtructione Equis ſuis notitiam & affe-ctum ingenerarent. Ita ſe habuit Alexander Macedo erga Bucephalum (*b*) qui idcircò nec in dorſo inſidere ſuo patiebatur alium, quàm Regem ſuum; qui cùm vellet conſcendere, ſponte ſubmittens genua eum excipiebat; credebaturque ſentire quem veheret: nec illum excutiebat, quamuis vulneratus, ſed molliter deponebat. Ita inſtruxerat apud Gregoram lib. x. filius Imperatoris Equum ſuum, qui ſaucius grauiter, non prius cecidit, quàm dominum è pugnâ extuliſſet incolumem: tum ante fores palatij concidit, quaſi officio functus ſuo. Ita eruditus erat Equus Pallantis, (*c*) qui mortuo domino, eſt illacrymatus, ſi Maroni fides. Ita affecti fuerunt erga Iulium Cæſarem dominum ſuum Equi qui à (*d*) memorantur veras fudiſſe lacrymas, non à Poëta fictas, augurio futuræ cædis. Vt verè ſcripſiſſe putem Iſidorum, (*e*) *Interfectis vel morientibus dominis, multi ex equis lacrymas effundunt*. Ita Equum ſuum docuerat Clælius Eques Romanus, qui domini ſui vocem audiens inter cadauera expirantis, ſeſſorem Numidam deiecit, dominũ inquiſiuit, reperto dorſum ſubmiſit, ad ſcandendum inuitauit? (*f*) Tanti eſt, Equum noſſe Dominum ſuum, illiusque inde habere, tum ſenſum, tum adfectum. Id in Equo ſuo laudabat Mezentius, ita illum alloquens, ac ſi intelligeret.

Rhabe diu (res ſiqua diu mortalibus ulla eſt)
Viximus: aut hodie *victor eris mecum, aut*
aperit ſi nulla viam vis.
Occumbes pariter: neque enim fortiſſime credo,
Iuſſa aliena pati & dominos dignabere Teucros.
quare ——— *hoc decus illi*
Hoc ſolamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. ——— ———

IAM verò, hoc imprimis ſpectauit Imperator Noſter, à mortuis rediuiuus per Mundum equitaturus, vt *Equi* ſui ſcirent, quem portabant. Quare omnibus penè Apparitionibus hoc agebat, vt Quis Qualiſque eſſet perfectè cognoſcerent. Nimirum, non amplius paſſibilis, immortalis: non Homo tantùm; ſed impaſſibilis, immortalis, *Homo-Deus*, Rex Regum, Dominus dominantium. Quod eſt fundamentũ fidei ac religionis Chriſtianæ. Peruoluamus omnia Euangelia, quæ à Dominica Paſchatis vſque ad Dominicam in Albis lecta & cantata ſunt in Eccleſiâ, hunc finem in ſingulis ſpectabimus. Idcirco ſtatim ipſâ nocte Paſchatis, facto terræ motu, exterritiſque cuſtodibus, Angelus mulieribus narrat glorioſam Reſurrectionem. Eadem de cauſâ Dominus mox ipſis apparens, iubet, vt Diſcipulis nuncient, quod in Galilæâ viſuri ſint rediuiuum. (*g*) Ideò etiã apparet Mariæ Magdalenæ ſpecie *Hortulani*. Deinde, Diſcipulis duobus ambulantibus effigie Viatoris. (*h*) Ad hæc, Diſcipulis congregatis, Thoma abſente, & iterum præſente. Præterea, vndecim recumbentibus, illorum exprobans incredulitatem. Dominica proximè antecedente totus fuit, vt cum notitia ſui affectum peculiarem iiſdem inderet, inductâ parabolâ Paſtoris boni, quem oues agnoſcunt, ſequuntur, & balatu affectum teſtantur. Et quæ non amet Paſtorem ſuum, animam

(a) *Equus Pallantis*. (b) *Suetonio cap.* 8 (c) *Lib.* 1. *cap.* 12. (d) *Silius lib.* x. (e) *Virgil. Æneid.* x. (f) *Matth.* xx ꝫ 11. (g) *Marci* xvi. (h) *Luc.* xxiv.

mam pro ouicula ponentem? Quid in Euangelio huius Dominicæ Equos ſuos rationales vel dedoceat, vel doceat, paullo poſt intelligetis, ſi præmiſero.

A Vobis imprimis requiri, ſi inter Christi Bellatoris Equos militares cenſeri velitis, vt agnoſcatis *Inſeſſorem* veſtrum; vt ſciatis, quis ſit veſter Dominus; quem admittere, quem portare, quem defendere debeatis; denique, vt illum ſingulari affectu proſequamini & ametis. Chriſtiani omnes Chriſti ſunt *Equi*, qui in dorſo ſuo nullum alium, quàm Dominum ſuum inſeſſorem pati deberet: multo minus eius aduerſarium, eius inſidiatorem, ejus capitaliſſimum inimicum. Cuius tu es Equus? mi homo. Inſpice membra corporis ſigillatim. Capiti tuo inſidet vanitas, fronti impudentia, oculis libido, ori ſcurrilitas, linguæ loquacitas, gula gutturi, manibus rapacitas, pedibus leuitas: dorſo tuo inequitat ſtultitia, ſtomacho inſiſtit gaſtrimargia, pectori inhæret vecordia. An tu Equus Chriſti, qui excuſſo Domino, admittis Peccatum, Mundum, Cacodæmonem? in quo ſedet ſuperbia, qui vehis laſciuiam, qui premeris ab iracundiâ, qui inſeſſorem habes Diabolum? Tales enim ſunt omnes, qui peccato quolibet mortali admiſſo, Chriſti loco, eius hoſtem, Satanam in animam admittunt, eique ſeſſionem ſponte præbent.

Si agnoſceres Dominum tuum, contra illum non inſurgeres, quod fit, quandocumque crimen aliquod graue committis: in illum non aperires rictum, & dentes acueres, quod à te fit quotieſcumque peieras & blaſphemas: in illum calces non iaceres, multo minus illum diſcerperes, quod fit præparatione animi, ac æſtimatione morali, quotieſcumque odium Dei concipis ac abominationem animo foues, quæ Deicidio comparantur. Diomedem regem Thraciæ equi ſui, quamuis lautiſſimè illos pauiſſet, dilacerarunt: cauſſam fuiſſe puto, quod non agnoſcerent. Caue ne idem tibi poſſit abijci. Sic ille à canibus ſuis diſcerptus eſt, qui miſerabiliter, quia ignotus, vociferabatur.

Actæon ego ſum, dominum cognoſcite veſtrum.

Equus Seianus fertur ſuos heros & ſeſſores, Seium, Dolabellam, Caſſium, denique Antonium perdidiſſe. Vide ne & tu inter Chriſti Domini tui, eiuſque regni proditores cenſearis. Qui dominos ſuos agnoſcunt Equi, (*a*) amiſſos lugent, lacrymaſque interdum deſiderio fundunt, inquit Plinius. Vbi lacrymæ tuæ, dum Dominum culpâ tuâ amittis? Equi dominum agnoſcentes ſuum, & amantes, mori malunt, quàm eum deſerere. Exemplum aliàs retuli ex Dione, ex Xiphilino, de Equo militis prætoriani, cui cùm ademptus eſſet equus, (*b*) ob cædem Pertinacis, noluit iumentum herum deſerere, hinniens dominumque ſequens, donec hic commiſeratione motus, & vt ſe moleſtia infamiaque liberaret, interfecit ſemet ac equum, qui viſus eſt ſpectantibus libenter, lætèque cum domino ſuo mori.

(*a*) *Lacrymæ equorum* (*b*) *Dion. Xiphilinus.*

MEMBRVM III.
EQVVS CHRISTI SALVATORIS
A pauore, & trepidatione ſit liber.

POSTQVAM Equo notitia & affectus erga dominum ingeneratus eſt, dedoceri debet vitia, quæ exercitatione tolli poſſunt, inter quæ primum eſt, *Pauor ſubitus* rerum nouarum. Quare, demat oportet Magiſter equo timorem omnem vſu ac conſuetudine. Ita præſcribit Maro agens de Equorum inſtitutione in Georgicis, libro III.

Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces
Primus Equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum lituoſque pati. —— ——
Atque hoc iam primo depulſus ab vbere matris
Audiat —— ——

Pauidum enim *ad omnia animal Equus* eſt, inquit Curtius (*a*) & Xenophon, *Repentina omnia in Equo perturbationes efficiunt.* Et quidem minima, quibus ſummoperè commouentur, vt inſinuat Horatius (*b*) nominans mannos, id eſt, equos exiguos tollutim veſtigia glomerantes

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagitta
Terruit mannos - ——

Immò, narrat Herodotus, canis inter equi pedes intercurſu, Equum improuiſò deterritum, & erectum in pedes excuſſiſſe Pharnacem. Multo magis turbantur occurſu formæ terribilis. Sic monſtri aſpectu pauefactos admodum Hippolyti equos Poëta tragicus deſcribit

Tum verò pauida ſemper mente exciti
Imperia ſoluunt, ſeque luctantur iugo
Eripere. —— ——

Cum igitur in bellis, & gladiorum fulgor, & balliſtarum ſtrepitus, & tormentorum fulmina, & fragor armorū, armatorumque ſe colliḋentiū, & cadauerum humanorum aſpectus horribilis, viros quoque maximè interritos perterrefacere poſſint, curandum ſeriò mouent rei equeſtris periti, ne equi tantarum rerum inſolentia perturbentur. Id Damis apud Philoſtratū libro II iā tunc ſuadebat, quando conflictus fiebat, & concurſus acierū abſque tonitru, & continuo fulmine æneatum machinarū, cumque tantum gladiorum galearumque coruſcatio trepidationem parere pȯterat. *Equum* inquiebat, *aſſuefacere oportet, ne clypei ſonitum, aut fulgentis gladij ſplendorem, neue pugnantium clamorem perhorreſcat: hæc enim omnia equeſtri Sapientia conueniunt.*

HOC fine adhibebantur remedia ab antiquis, vt intrepidum facerent Equum in prælio, aut pauorem minuerent. Perſæ, vt refert Ælianus (*c*) armata cadauerum ſimulacra, fœno paleâque effarta equis ſubijciebant, vt cæſorum in bello conſpectum ferre conſueſcerent, ne rerum terribilum metu affecti, ad rem militarem inutiles eſſent. Quod ſi hac ſimiliue arte pauor equis non demitur, expedit ad alios vſus eos ablegari, vt ſuadet Xenophon, (*d*) adiungens hanc rationem: quoniam equi formidoloſi non ſinunt à ſe malum dari hoſtibus: quin equitem ſæpe fruſtrari in maximas conijciunt difficultates. Exemplum habemus in Liuio, qui libro

(a) *Lib. 7. Xenophon de re equeſt.* (b) *Lib. 3. Od. 27.* (c) *Lib. 16. hiſtor. cap. 15.* (d) *de re Equeſt.* (f) *lib. VIII. cap. 25.*

libro x. narrat, armatum Romanorum hoſtem, eſſedis, carriſque ſuperſtantem, ingenti ſonitu equorum rotarumque aduenisse, & inſolitum eius tumultum Romanorum equos conterruiſſe: atque ita victorem equitatum velut lymphatico pauore fuiſſe diſſipatum. Aliud exemplum dat Curtius, deſcribens prælium, quod commiſit Alexander cum Poro. Porus iam deſperatâ re, cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor, collegit diſperſos, & obuius hoſti ire pertexit: mox elephantes ante agmen ſuorum agi iuſſit. Id ſaluti fuit: nam magnum beluæ iniecere terrorem, inſolituſque ſtridor, non equos modò, pauidum ad omnia animal, ſed viros quoque ordineſque turbauit.

PORRO, non minus Equos rationales, quales erant Apoſtoli quàm hinnientes illas beſtias terret rerum nouarum aſpectus. Quare cùm Chriſtus, tot illuſtribus documentis cognitionem ſui animis illorum immiſiſſet, & excitaſſet adſectū, incipit in huius Dominicæ Euangelio (a) pauorem tollere, & aſſuefacere illos ad videndum, audiendum, ſentiendum abſque omni metu, quæ reliquos concutiunt, ac terrere ſolent. Sciebat, quam fuiſſent hactenus timidi. Memor erat pudendæ illius fugæ, quando ad gladiorum & lignorum ſtrepitum, Diſcipuli omnes, relicto Domino ſuo, in pedes ſe coniecerant. Recens erat inter omnes animoſiſſimi pauor ille, ac timor panicus, quo correptus Petrus ad mulierculæ vocem, negarat, pernegarat, iurarat, ſeque anathematizarat. Itaque, præmonet, fore, vt progredientibus ad præliandum contra Idololatriam, Cacodæmonem, Mundū Peccatum, occurrant horrenda quædam monſtra, immanes hominum, animaliumque formæ, terribiles rerum ſpecies: vt audiantur vlulatus mulierum, rugitus leonum, barritus elephantorum, crocitus coruorum, grunnitus ſcropharum, latratus moloſſorum, mugitus boum, eiulatus parturientium. Ad hæc, vt videantur ingentes boiæ, vinculorum ferreorum ligneorumque genus omne, cataſtæ, cippi, compedes, cullei, equulei, fidiculæ, vngulæ, flagella, nerui, taureæ, cruces, enſes, ignis, patibula. Sed hortatur, vt non moueantur, eſſe terriculamenta puerorum, eſſe oculorum ludibria, eſſe aurium tinnitum inanem, eſſe mera phaſmata, ſummum, eſſe larnas, & malorū fucum, non vera mala, nihil moleſtiæ allatura, niſi ijs qui expaueſcunt.

AT, incurrent in corpus tortores, petent caput, colligabunt manus, conſtringent pedes, radent cuticulam, incident carnem, diuident, continuunt, amburent crines, inflammabunt pedes, comminuent oſſa, adigent ſtipitem per medium corpus, extendent membra, illaqueabunt guttura, lancinabunt latera, exprimentanimam. Nolite expaueſcere. *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Aliquid patiemini. Sed quis non terreatur, Domine, dum audit: per tres horas eris ſub carnifice, per dies octo in neruo per menſem in profundo lacu, per annum in latumijs, per luſtrum in triremibus, per decennium in Tulliano, per vitam vniuerſam in ergaſtulo. Pauorem

(a) *Domin. III. poſt Paſcha Ioannis XVI.*

inanem. Diſcipuli mei excutite. Mundus gaudebit *Modicum*: vos contriſtabimini *Modicum*: Sed triſtitia veſtra modica vertetur in gaudium perpetuum. Quid eſt hora, dies, hebdomas, menſis, annus, luſtrum, ſeculum, vita vniuerſa? paruum *Modicum*, magnum Nihil. Poſt *modicum* iterum videbo vos, *& gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis*. Hæc conſolatio eſt Christi Martyrum, dum capiuntur, trahuntur, pulſantur, contunduntur: dum accuſantur, condemnantur, illuduntur: dum ſuſpenduntur, ſuffocantur, ſecantur, diſcerpuntur, excarnificantur, comburuntur. Hoc eſt ſolamen bonorum Religioſorum, dum in vili ac depexâ lacernâ, paupere tunicâ, detritâ cappâ, mundum circumeunt egentes, anguſtiati, triſtes, malis ludibrio, gentibus oſtentui, hæreticis ſcandalo, dum in anguſtiſſimâ cella cum CRVCIFIXO & libello laboribus defatigati, vigilijs defeſſi, ſiti arentes, fame extenuati, contemplatione pallidi, quamuis amore diuino rubicundi, zelo ſanguinei illud ingeminant: DEVS MEVS & OMNIA, dum benè agendo malè audiunt: denique, dum tentantur, vexantur, premuntur. O generoſi Equi, non vos terreat inanis miſeriarum ſtrepitus. *Modicum* Mundus gaudebit: *Modicum* vos contriſtabimini: Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium ſempiternum.

MEMBRVM IV.
EQVVS CHRISTI

Non terreatur vmbris, & fallacibus rerum apparentium imaginibus.

QVONIAM maximum Equi militaris vitium eſt pauor, ac trepidatio, quæ Equitem, & totum nonnunquam exercitum perdit, magna eſt aduerſarijs cura, vt inductis horribilium rerum formis. Equos pugnæ initio perterrefaciant, quo ſtuporem ijs ingenerent, vel in fugam conijciant. Quod contingit in omni penè conflictu contra Vitia. Quare emendationem vitæ quidam non aggrediuntur? Cur pænitentiæ, poſt grauiſſima ſcelera non ſe dedunt? cur pugnare non audent contra vitia & concupiſcentias? cur bellum gulæ ac ventri non indicunt? cur contra Mundum & Cacodæmonem ſigna non mouent? Obſtat metus & inanis terror à falſis rerum inaniſſimarum imaginibus, videntur ſibi progredi contra immanes proceritate gigantes, pugnaturi cum inuincibilibus ſupra omnem potentiam monſtris, præliaturi cum portentis inſuperabili fortitudine præditis: camelum concipiunt, qui eſt pulex; elephantum, qui muſca; Leuiatanum, qui eſt piſciculus; Behemothum, qui eſt ouicula. Inſonat auribus, per fallaciſſimam conceptionem, bellicum taratantara, & putant eſſe Tartari conſpirantis horriſonum clangorem: audiunt plauſtri fœno onuſti tranſeuntis ſtridulum ſtrepitum, & exiſtimant eſſe tonitru: candela accenditur, & videtur illis fulmen: ſi prodeundum ad opera pietatis, pluit, ningit, grandinat, ſibilat Eurus, ſtridet Africus, & opinantur ſaxa de cælo ruere, molares decidere, conſpirare; vt habent Poëtarum fabulæ, Iunonem, & ventorum Deũ ad Troianorum exitium: hæretur domi, vel quæruntur latebræ. IVCVN-

IVCVNDVM fuit diebus proximè ſuperioribus ſpectaculum in celeberrimâ Theophoriæ ſupplicatione. Viſebantur lactei aliquot puſiones in Angelorum effigies transformati : pulcra profectò ſimulacra, ſi interna exterioribus reſpondeant. Supremus temporum moderator, fortaſſe, ne Sol obeſſet detectis capitibus, nubeculam inducebat pluuiam, tanquam vraniſcum ; vel, vt cæleſtis choragus, rorulentum ſupra theatrum tapetem: ea reſolutâ guttulas ſpargebat innocuas, & nonnunquam ad varietatis delectationem alo icantes, intercurrentibus è grandine glandibus, tanquam ſacchari globulis. Nimirum, dum

Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

Ad recreationem noſtram dat de ſupernis, *niuem, ſicut lanam, nebulam, ſicut cinerem ſpargit: mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas.* Vti tunc factum, Superûm, vt reor, applauſu, & Sapientûm in terrâ admurmuratione, ac conſolatione mirificâ. At territi pueruli illi Angelici, in omnem partem, tanquam pulli equini, nondum duriora experti fugam circumſpectant, albas tunicas ad talos dependentes colligunt; alas, quibus volare ſolent alites ac Pegaſi, complicant, vel panno ad id deſtinato, inuoluunt; denique, quâ datâ portâ ruunt, curſitant, latebras, vt aſylum, velut mortis filij, quæritant. Hic pallio oblongo excipitur, & contegitur; ille â cuſtode domeſtico abripitur, iſte in proximam ſe officinâ illatebrat: quiſque ſibi conſulit. Ita momentò diſparet niueus ille Angelicorum puſionum equitatus. Tantum poteſt puerilis timor, & in re ludicra trepidatio. Sed infantibus illis, tanquam inexercitatis pullis eſt ignoſcendum, qui ſi vel ſaccharo compluantur, grandinem ſuſpicati, plorant.

QVID de maiuſculis illis, ſiue adoleſcentibus, ſiue viris dicas, qui nullam ſacri itineris partem peregerunt, qui ſe continuerunt domi, qui in hypocauſto ad fornaculum, aut in lectis inter plumeos colliculos ſudarunt, qui pietatis pompam, quam augere debuiſſent ſui copiâ, dedecorarunt abſentiâ. Quæſiti cauſſam, reſpondere videbantur: profectò terribilis fuit tempeſtas, non audebam iſti me auræ committere: ſi egreſſus fuiſſem heri, decubuiſſem hodie: iam tunc diſtillatio in maxillam & molares dentes defluebat: iam tunc paroxyſmum febrilem ſentiebam, iam tum toto corpore trepidabam: ſuadebat Medicus ne me periculo exponerem: non equidem hodie viuerem, ſi tunc nudatum verticem perflaſſet glacialis aura. Et tamen talium plerique volunt cenſeri inter Milites. Si ſonet tympanum, nullo ſudi turbatique aëris diſcrimine, prodeunt: gladio ſe accingunt, bombarda humerum onerant, ocreis & calcaribus graues ad campum, quamuis pluente, ningente, fulgurante Ioue, ac ſibilante Æolo, cum turba prouolant: ſi vel ſemel abſint, ſi tardius veniant, vt prius Sacrificio Miſſæ adſiſtant, quod audire debuiſſent ex officio, de Republicâ actum exiſtimant: nullus tunc eſt ab auræ brumalis acrimoniâ, nullus à catarrho ſequentis diei, nullus à cephalæâ, nullus â lumbagine, colicâ, odontalgia, nullus à pedum tumore metus. Tantum poteſt fallax perſuaſio. Quæ non eò ſpectant,(a) quod improbem in generoſis adoleſcen-

(a) *Reſpublica armis etiam defendenda.*

tibus præclarum iuuandi ac defendendi, non libris ſolùm, ſed armis etiam Rempublicam ac patriam conatum, quem laudare ſoleo, ad illumque idoneos hortari: &, ſi per me ſtaret, plurimorum nomina in album referrentur. Sed vt hoc exemplo declarem, quomodo quibuſdā imponat, vel puerilis trepidatio, vel iuuenilis vanitas. Cùm de negotio pietatis agitur, cùm officium virtutis peragendum, cùm DEI honos publicè procurandus, pauemus ad ſtrepitum folij, & facillimè ob minimā corporis incommoditatem nos ſubducimus. Eodem tempore, aut alio magis incommodo, ſi quod ſenſualitati arridet, quod voluptati blanditur, quod vanitati magis eſt conſentaneum, offeratur exequutioni mandandum, arripimus auidè, ſine vlla excuſatione, exceptione, aut metu inde conſequutorum damnorum, quæ dum viuis vacandum, confugimus. O quantum eſt in rebus inane!

QVAM multi, vt puerulí, ad laruas, aut terribiles primo aſpectu perſonas trepidant, & familiares etiam ſuos, ſi in ijs cōſpiciantur, fugiunt. Ita in officijs honeſtatis, pietatiſque, vmbra & opinione malorum territi, noſtræ non ſatisfacimus obligationi, & facillima, tanquam difficillima vitamus, ac fugimus, ſiue cauſſa trepidi ac inepti.

—— Vt pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis,
quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntq. futura

Sumus tanquam *Equi*, qui dicuntur *Vmbroſi* vulgo, quia vel vmbrâ occurrente terrentur, ac aufugiunt. Tales Equos cùm ſciret eſſe ſuos Apoſtolos Saluator, ideoque ad bellum, quod ſibi in ſubigendo Mundo deſtinarat, minus idoneos, timorem omnem, ſed maximè ſuperuacaneum, ijs demere, tum aliàs tum hodie potiſſimùm, validiſſimo argumentorum genere, quod ex Euangelio audiuiſtis, eſt aggreſſus; ceſſitque è ſententia, vt docuit deinde euentus.

MEMBRVM V.

EQVVS CHRISTI

Difficultatum, tanquam foſſarum Tranſilitionem non horreat.

OBSERVANT equitandi magiſtri, ac monent, tunc præſertim Equos pauere concuti, trepidare, dum foſſam ante ſe vident, quæ ſaltu tranſmittenda ſit. Quare aſſuefaciendi ſunt, vt hîc non hæreant, & multo magis, vt non excutiant inſeſſorem.

—— Paſsim ſaltu tranſmittere foſſas
Horror equis, hærent trepidi, atque immane pauentes.
Abruptum mirantur equi. ——

Canit Poëta Statius lib. x.

Eſt autem interdum neceſſarium, vt inſigni ſaltu foſſam alueumque tranſmittat equus, quod ni fiat, hoſtis in equitem inſilit. Narrauit familiari ſuo quidam

dam machinarum caſtrenſium Præfe-ctus, & Equitum Pro-Magiſter in caſtris Regis Catholici, quod aliquando vim magnam hoſtium, ipſe minore equitum numero ſuſtentaſſet, ſed cùm premeretur, foſſam pedum vicenûm ſaltu tranſmiſerit, neque aliter potuiſſet euadere. Iter facienti per Palatinatum inferiorem, quod mihi aliquando contigit, inter Crutznacum & Alzæum, nota regionis illius oppida, dimidio à Crutznaco milliari, lapides duo in agro defoſſi apparẽt, cùm emineant altitudine pedum ferè trium, diſtantes inuicem interuallo pedum XXVI. In his inciſa eſt imago Equi ſalientis, adſcriptusque dies quo Fridericus II. Comes Palitinus, & Elector, tantum ſpacij Eques vnico tranſuolarit ſaltu.

IAM verò, ſi quid in Diſciplinâ Symbolica profeci, reor, per foſſas, hiatus, alueos, chaſmata, quæ in itinere virtutis ad Perfectionis Chriſtianæ arcem tendentibus, aut ad bellum cum animarum hoſtibus gerendum proficiſcentibus, aut in ipſo conflictûs campo ſtrenuè concurrentibus ac bellantibus occurrunt, & expeditioni ſunt impedimento, deſignari difficultates illas, quæ animo obijciuntur, ac interueniunt; ad quas inexperti ſolent ſubſiſtere trepidi; at niſi illas generoſè ſaltu ſuperent, nunquam ad optatum finem perueniunt, & ſæpe in hoſtium manus incidunt. Duobus autem temporibus maximè neceſſarius eſt per latiſſimam difficultatum foſſam ſaltus. *Primò*, quando agitur de ſeriâ vitæ totius ad meliorem frugem conuerſione. *Secundò*, cùm relictâ vitâ ſeculari ad religioſam fit tranſitio. De illo exemplum illuſtre reliquit S. Auguſtinus, qui cùm tanquam *Equus*, ante foſſam altam & latam mille difficultatum, quæ obijciebantur menti, conſtitutus, vrgeretur, ac exſtimularetur à ſuo ſeſſore, vt tranſiliret, nunc tentare incipiebat, nunc reſiliebat: nunc quaſi pedes anteriores erigebat, nunc penè enitebatur, ac impetum capiebat; ſed mox exhorreſcens, pedes iterum demittebat, nec progredi audebat: ter conatus, ter retrocedens, tandem collecto ſpiritu in aduerſum marginem generoſo auſu tranſilijt. Audite quàm artificioſè illum ſuum, vt imbecillis *Equi* pauorem, deinde, vt nobilis caballi ſaltem depingat (*a*) atque idem facite. *AEgrotabam animo*, inquit, *& excruciabar, accuſans memet ipſum ſolito acerbius nim*[illegible] *voluens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, & tenebar tamen. Et inſtabas Tu in occultis meis, Domine, ſeuerâ miſericordiâ, flagella ingeminans Timoris & Pudoris* (eu duobus calcaribus ab inſeſſore ſuo incitatum) *ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur id ipſum exiguum & tenue, quod remanſerat, & reualeſceret iterum, & me rebus tuis alligaret. Dicebam enim apud me intus:* (b) *Ecce modò fiat, modò fiat. Et cũ verbo iam ibã in placitũ: iam penè faciebam, & non faciebam: nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabã, & reſpirabam.* (c) *Et iterum conabar, & paullò minus ibi eram, & paullò minus iam tamque attingebam & tenebam: & non ibi eram nec attingebam, nec tenebam:* (d) *heſitans mori morti, & vitæ viuere: pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum, punctumque ipſum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem.*

(a) *Lib. VIII. Confeſſ. cap. 11.* (b) *Titubatio.* (c) *Iteratus conatus.* (d) *Heſitatio.*

(a) *Sed non percutiebat retrò, ſed ſuſpendebat* Imaginare equum elatis anterioribus pedibus ſuſpenſum hærere ante foſſam. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: dimittis-ne nos? & à momento iſto non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc & illud, vltrà in æternum? Et quæ ſuggerebant in eo quod dixi, Hoc & illud? quæ ſuggerebant* DEVS *meus? Auertat ab anima ſerui tui miſericordia tuâ. Quas ſordes ſuggerebant, quæ dedecora. Et audiebam iam longè minus quàm dimidius, non tanquam liberè in contradicentes eundo obuiam, ſed veluti à dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, vt reſpicerem. Retardabant tamen me cunctantem abrumpere atque excutere ab ijs, & TRANSILIRE, quò vocabar* (ad alteram nempe foſſæ lineam) *cùm diceret mihi conſuetudo violenta: putas-ne ſine iſtis poteris? Sed iam tepidiſſimè hoc dicebant.*

NVNC ſalientem & tranſilientem ſpectate. (b) *Aperiebatur enim ab ea parte, quò intenderam faciem, & quo tranſire trepidabam caſta dignitas.* CONTINENTIÆ *ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens vt venirem, neque dubitarem. Et extendens ad me ſuſcipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas & graues viduæ & Virgines & anus, & in omnibus ipſa* CONTINENTIA, *nequaquam ſterilis, ſed fecunda mater filiorum, gaudiorum, de marito* TE, *Domine, Et irridebat me irriſione exhortatoriâ, quaſi diceret: Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? An verò iſti in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo. Dominus* DEVS *eorum me dedit eis. Quid in te ſtas & non ſtas? Proiice te in eum ſecurus, excipiet te & ſanabit te. Et erubeſcebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, cunctabundus audiebam. Et rurſum illa, quaſi diceret: Obſurdeſce aduerſus immunda illa membra tua ſuper terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex* DEI *tui.* His animatus vocibus Auguſtinus, tanquam *Equus* generoſus Chriſti, tandé hiatum illum immanem tranſiliuit.

ALTERVM tempus quo vſui eſt *Saltus* (c) per hiantem profundamque foſſam, illud eſſe cenſeo, quando de Religioſo ſtatu ineundo ſuſcipitur cogitatio. Tunc ſtatim circumſpicienti apparet ingens chaſma moleſtiarum, aſperitatis, afflictationum, miſeriarum, à paupertate, & quæ illam comitatur inedia, à caſtitate, ab obedientiâ, à ſilentio, clauſtro, ſolitudine; à contemptu, ludibrio, contumelijs, mundana vanaque ſapientiû. Hinc fit, vt multi ſalutis ſuæ amantes, & qui alio pacto ſe ſaluari vel non poſſe, vel vix poſſe, exiſtimant, à Religionis ingreſſu deterreantur, & nulla ipſis Religioſorum familia arrideat. Nimirum ſpectatur externa illa facies pœnitentiæ, rigoris, egeſtatis, obedientiæ. Occurrit in homine Societatis IESV Crux in vertice, pulla ac depexa tunica, quam nitidè induti horrent, ſcholarũ moleſtiæ incredibiles, puerorum inſtitutio deſpicabilis, graue ſtudendi onus, catechizandi, docendi, peregrinandi incōmoda, miſſionum labores indefeſſi, noſocomiorum, & orphanotrophiorum, viſitatio, & in ijs commoratio permoleſta: tenuis domi victus, & plebeius, licet vulgus contrarium mentiatur; ſponte ſuſceptum in-

(a) *Fluctuatio.* (b) *Procurſio.* (c) *Saltus ad ſtatum Religioſum.*

tum iugū, & ad vitæ exitū conſtanter portandū. Conſideratur in Capucino, ſaccus, flagellū, nuditas, horror. In Auguſtiniano, Carmelita, Dominicano, Franciſcano mendicitas. In alijs Monachiſmus, & ſecundum primam inſtitutionem, clauſtrum, illudque D. Bernardi optimi Abbatis (a) *Monachi non eſt docere, ſed lugere.*

Et ſanè, vt animaduertit vitæ religioſæ præclarus commendator Hieronymus Platus, *lib.* III. *cap.* 16. Non ſolum animales homines, qui *terrena ſapiunt*, vt ait Apoſtolus, (b) multa in Religioſo ſtatu quaſi difficilia & aſpera exhorrent; ſed ipſamet huius diſciplinæ facies, & aſpectus oculis corporis quiddam triſte & durum, ac ſenſibus odioſum repræſentat. Quod ni eſſet, inquit ille, nemo inueniretur, qui non libentiſſimè, & auidiſſimè ad hæc inſtituta accurreret, quibus ſe & æternæ ſalutis gloriam, & præſentis vitæ tranquillitatem, curarumque omnium vacuitatem adipiſci videret.

VERVM illa aſperitatis ſpecies tantum poteſt, vt ea plerique perterriti, has tantas vtilitates, tantis, quas ſibi fingunt moleſtijs emendas non arbitrentur. Quare hîc maximè opus eſt animoſo ſaltu, qui, quo erit concitatior & maior, eo plura commoda cauſabit, nullum damnum, quod aliquando ingentem ſalitionem conſequitur. Sat enim conſtat quoſdam iuuenili ſaltu vitam amiſiſſe. Vnius celebris eſt memoria, cuius monimentum extat in Caſtro Ambroſ. propè Oenipontum. (c) Teſtatur illud equum ab ephebo nobili ſubditis calcaribus admiſſum, vt foſſam viginti pedum tranſiliret. Tranſilijt quidem adoleſcens, ſed eques & equus ſubitò, & vnâ penè morte conciderunt. Id equi exuuiæ, & ephebi veſtes hodieque loquuntur, vt ſcribit Hippolytus Guarinonius. (d) Sed nunquam obeſt incitatiſſimus licet ſaltus per foſſam latiſſimam difficultatum, quam Dæmon ante Religioſæ vitæ caſtrum fodit, & horribilem primo aſpectu facit.

PORRO, quomodo ad tranſiliendam foſſam Equus ſit condocefaciendus ita tradit Xenophon libello de re equeſtri. Qui eſt nactus Equum omninò imperitum ſaltuum, is vacuum illum, prehenſo loro ductorio, tranſgreſſus prior foſſam attrahat ad ſaltandum & inuitet. Quod ſi ille renitatur, à tergo aliquis flagrum aut virgam ſummis viribus incutiat. Ita tranſiliet non modò illud ſpacium, ſed longius etiam, quàm debuiſſet: & in poſterum non expectabit verbera, ſed vbi ſenſerit modò ponè accedere aliquem, ſponte ſaliet. Poſtquam vacuum aſſueſeceris, agitabis etiam inſeſſum: primùm quidem per minores foſſas, mox etiam latiores. In conatu autem ſaliendi ſubdes calcaria. Ad eum autem *Saltum* faciendum, quo tranſmittitur foſſa difficultatum ante Religionis ingreſſum, quomodo exonerari debeant Equi intellectuales ab omni onere peccati, & concupiſcentiarum, tum verò exemplo CHRISTI EQVITIS peritiſſimis, aliorumque in diſciplinâ Equeſtris Spiritualis exercitatorum perſuaſione; tanquam fune ſuauiter duci, & flagello timoris inuitari, nec non calcaribus acerrimarum adhortationum impelli, denique, per minores foſſas proba-

(a) *Epiſt.* LXXXIX. (b) *Ad Philip.* 3. (c) *Herman. Hugo lib.* 3. *cap.* 1. (d) *Lib.* 6. (e) *Drexeli Prolo. Æternit. lib.* 1. *§.* 20.

probationum diuerſarum ſaliendo aſſueſieri, accuratè præſcribunt, qui de optimo vitæ ſtatu eligẽdo diſſeruerunt Theologi Religioſi. Verùm, nihil magis ad id ipſum eſt vſui, quàm quæ noſter Hipparchus adhibuit (f) in hodierno Euangelio, vt Equis ſuis, Apoſtolis impetum ad ſalitionem inderet. Nimirũm, conſiderare Modicvm vitæ præſentis, in quo nihil eſt diuturnum, conferendo illud cum Æterno alterius, in quo nihil non perpetuum, & conuerſionem ſimplicem triſtitiæ momentaneæ in gaudium ſempiternum.

(f) *Modici.*

Membrvm VI.

EQVI CHRISTI

Non ſint Tortores, Cruciantes, Succuſſatores.

Pavore excuſſo, dedocentur Equi, ſi poſſint, ſuccuſſationem. Nam in vitioſis cenſentur Nonio, Equi *Tortores*, quos Plautus *Cruciantes*, Lucillius *Succuſſatores*, & *Succuſſarios* appellat. Profectò valdè cruciant Equi, dum inſeſſorem ſuccuſſant, & concutiunt, duriore gradu incedentes. Tales ſunt, inter Equos intellectuales, illi, qui dum vehunt Dominum & Chriſtum portant, ad omnem aduerſitatem, impatientiæ ſigna edunt, conqueruntur, murmurant, pedes ſupplodunt, manus iactitant; quod eſt, inſtar equi, ſuccuſſatim incedere. Hi ad æquanimitatem reducendi ſunt, & docendi ambulare, vt *Aſturcones*, equi Hiſpanici, quibus mollis alterno crurum explicatu eſt glomeratio, vt inconcuſſo dorſo, ſine querelâ, ſine murmuratione, Dominum, eiuſque iugum ſuſtineant. Quod ſit eadem arte, quam Magiſter Noſter tradidit in hodierno Euangelio: ſi conſideretur ſeriò Modicvm aduerſitatis, & huius mutatio in gaudium nunquam finiendum. Quo etiam ſpectat illud Domini effatum: *Expedit vobis, vt ego vadam.* (a) Expedit, vt conſolationem, quam ex meâ præſentia habetis, vobis ſubtraham: expedit, vt interdum omni gaudio exuamini: expedit, vt aliquãdo triſtitia impleat cor veſtrum: expedit, vt bonis ſpoliemini, vt è patriâ eijciamini vt in exilio commoremini, immò moriamini. Expedit, vt inimici vos perſequantur, amici odio habeant, nemo quamuis rogatus, ſubſidio veniat. Expedit tibi, Amice, vt non ſemper blanditijs tecum agatur: expedit vt duris, dum mereris, verbis & interdum verberibus benè excipiaris. Expedit vobis, vt ad extremas redigamini anguſtias: denique, expedit vobis, vt ſanguinem pro iuſtitia, & nomine meo profundatis, caput ſecuri vel gladio ſupponatis, vitam detis. Hæc & infinita alia continentur vna illa ſenteniola: *Expedit vobis vt ego vadam*: quæ eſt compendium, epitome, breuiarium omnium exhortationum, ſermonum, concionum de Patientia in aduerſis, & maxime idonea, vt vitium ſuccuſſationis à Chriſti iumento tollatur.

(a) *Ioan. XVI.*

MEMBRVM VII.
EQVVS CHRISTI
Non ſit Refractarius, Singularis, Solitarius, Contumax: ſed promptiſsimè Obſequens.

ALIA, præter dicta, ſunt periculoſa in bello vitia quorundam equorum, quæ recenſet accuratè Xenophon ſcribens de re equeſtri, illudque imprimis obſeruans, reperiri Equos, qui recuſant cum Equite ab alijs equis digredi: eſſe quoque nimium amantes ſtabuli, ac præſepij domeſtici: amare ſimilium contubernium, & commoda ocij. Quod in Apoſtolis, quibus, Dominus ad omnem expeditionem vſurus erat, nunc coniunctim, nunc ſeparatim, fuiſſet perquam detrimentoſum. Itaque inſtruit illos, vt quocumque mitterentur, ſponte procurrerent, Sine vllo ſodalium, comitum, locorum, temporumque diſcrimine. Dixit ijs: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: nullus vos ab hac indifferentiâ reſpectus humanus, nullius amicitia, nullius familiaritas, aut præſentia, ne Domini quidem, detineat: & quia fragiles vos in hac parte eſſe ſcio: *Expedit vobis vt ego vadam*. Valuit commonitio: nam factâ ſeparatione, promptiſſimè profecti, prædicauerunt vbique, Dominumque & illius Euangelium in omnem terram deportarunt.

CONTRARIVM ſuperiori vitium eſt in alijs Equis, qui ſocietatem communẽ non admittunt: qui è conſortio aliorum fugiunt: qui eiuſdem ſtabuli ſocios morſu, ac calcibus impetunt. Hoc metuendũ erat in Thoma, & Cleopha, eius ſodali, non malis cetera Chriſti Equis. Quare diligenter aduigilat eorum Magiſter, excurrentes nimium inſequitur, reducit, dedocet ſolitarium illum ſeceſſum, & aliorum horrorem; deterret à ſeiunctione, docet quorumlibet contubernium pati, & gaudere conſortio.

INVENIVNTVR Equi, qui de malâ educatione, ex equitationibus recurrunt ad domeſticos receſſus, inquit Xenophon. Erat ſanè cauendum in Equis Chriſti, ne tam longis itineribus defatigati, ponè reſpicerent, ac ſe verterent, redirentque ad præſepia Palæſtinæ, antequam ad deſtinatum belli campum, ijſque propoſitam metam peruenîſſent. Quare ſolicitè Dominus docuit, non eſſe cogitandum de recurſu, donec curſum abſoluiſſent ſuum. Cùm Chriſtus rediuiuus ſtetiſſet in medio Diſcipulorum, vti narrat Ioannes Euangeliſta capite xx. gauiſi ſunt viſo Domino. At ille dixit eis. *Sicut miſit me Pater*: nempe, vt opus meum perficerem, curſũ conſummarem, nec ante ad illum redirem: & *Ego mitto vos*. Itaque nolite ante de recurſu cogitationem ſuſcipere. Quod ſanè exequuti fuerunt ſtrenuè. Nam quocumque peruenerunt, vitam citius amittere, quàm de regreſſu ante finem expeditionis ſuæ deliberare voluerunt.

SVNT præterea Equi, vt monet Xenophon, qui extimulati, non obtemperant. Hinc ſunt detrectationes frenationum & conſcenſionum: hinc, quod nonnulli, qui duri oris equi dicuntur, nolint excurrere,

agilliмè conuerteretur. Huc tendebant monitiones, mandata, doctrina CHRISTI vniuerſa, eiusque exemplum perfectiſſimum, quo Sanctiſſima eius Humanitas, præcipuus Diuinitatis Equus ad omnem nutum inſeſſoris ſui, perpetuò flectebatur, illud aſſiduò ruminans & exequens. *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et Vos, ſi omnia vitia momento dedoceri, & virtutibus cunctis ſtatui veſtro conuenientibus, eorum loco ornari velitis, &, vt generoſiſſimi Equi, DEVM habere ſeſſorẽ, ad illius Vos voluntatem fingite, illius nutum obſeruate, ad illius quodcumque mandantis præceptum attendite, ad illius conſulentis vocem & afflatum prompti procurrite. Matrem veſtram, nam DEIPARÆ filij eſtis omnes, obſequendi promptitudine exprimite, de q' a Guaricus Abbas: (a) *Ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ea prædixerit Pater* (quod eſt elogiorum D. Virginis maximum) *Vocaberis Voluntas meâ.* (b)

(a) *Serm. 4. de Aſſump.* (b) *Iſai. lxii.*

NOTÆ.

In quibus Auctores & Explicatio vocum.

§. I. EQVVS.] *Non omnis Equus ad omnia eſt idoneus, nec quilibet, eiuſdem cum quolibet alio indolis. Hinc diuerſa ſunt nomina & epitheta à dotibus, muneribus, ornamentis.* ADMISSARIVS, *qui ſobolis procreandæ gratiâ admittitur, à Varrone &* Plinio ſic dictus; à Plauto Emiſſarius. AGMINALIS *Vlpiano, qui exercitum* ſequitur ad conuehenda impedimenta. CALCITRO *Varroni, &* Calcitroſus *qui calce ferit.* CERNVVS *Virgilio, qui in faciem, quaſi in eam partem, quam cernimus, cadit, vt Seruius explicat: vel, qui capite in humum impacto cadit.* CESPITATOR, Suffoſſus *Virgilio, qui ſæpe in ceſpitem, lapidem, aut quid ſimile impingit: ceſpitare enim primaua ſignificatione, eſt ad ceſpitem offendere, vacillare.* CABALLVS. *Italis quoque & Hiſpanis. Hinc Monte cauallo Romæ Quirinalis. Differt ab* Equo *Latinis, quod* Caballus *nunquam ferè ſine irriſione dicatur: Equus ſemper de apto & probato, ſi ſimpliciter enuntietur.* Pomponius *de fundo inſtructo. L. ſi ita Caballus ait* qui in piſtrinis eſſet, *tanquam dicat, malus. Caballina caro apud* Plinium *lib.* XXVIII. *cap.* 20. Caballinus *fons, qui & Pegaſeus apud poëtas celebratiſſimus.* DESVLTORIVS, *de quo facilis eſt deſultus, qualis eſt nudus ſine ephippio. Nebriſſenſis exponit,* Saltator. *malè.* DOSSVARIVS, *quia dorſo aliquid vehit: antiqui autẽ doſſum dicebãt, quod nos dorſum. Hinc doſſuaria iumenta Varroni, quia onus doſſo ferunt. Idem dicitur* CLITELLARIVS *à clitellis. Sunt autẽ clitellæ ſarcinæ colligatæ, quales ferè in mulis cernimus: vnde clitellarij muli, ac Sarcinarij.* EPHIPPIATVS, *inſtructus ephippio.* HELCTARIVS, *Martiali, qui Munitus helcyo naues molitur, ſubducitq;. Eſt autem* helcyum, *vel melius* helcium *inſtrumentum ante pectus equorum, & id genus animalium, ab armis, id eſt, humeris pendens, quo & molæ per machinulam innexæ verſantur, & curricula ac naues per temonem*

trahuntur: ab ἑλκω, *trabo.* MERITORIVS, *conductitius, qui quæſtus gratia locatur, & ad vſum conducitur.* REFRACTARIVS, *duri oris,* Sternax, *qui ſeſſorem excutit.* Succuſſator, ſuccuſſarius, ſuccuſſor, tortor, crucians. Suſpiroſus, anhelans, anhelus. Scutulatus, *ſcutulis & nigricantibus maculis in candido corpore inſignitus.* Strigoſus, *malè habitus.* TOLVTARIS, Tolutarius, gradarius, Aſturco, Tardipes. Membroſus. Squamiger. Currilis. Inſultans, Iubatus. Mordax.

§ II. HIPPODROMVS.] *Locus, in quo curſu exercentur equi: curriculum equorum: planities in qua equis curritur.* STADIVM, *in quo equites imaginario prælio concurrunt.* κατάδρομα. Hippodamus, *bellicoſus equorum domitor.* Canterius, *quaſi Carentarius, quod ſemine careat, Varro,* Spado *Vegetio: equus caſtratus.*

COMMENTATIO IX.

EQVORVM VITIA QVÆ A CHRISTI EQVIS ABESSE DEBENT.

Viſitauit Dominus exercituum gregem ſuum domum Iuda, & poſuit eos, quaſi Equum gloriæ ſuæ in bello. Zachariæ x.

MEMBRVM I. EXPEDITIO CHRISTI MILITARIS.

Monomachia. Hippomachia. Dodecauigum Equorum nobiliſſimorum Apoſtoli.

CVM ſancitum eſſet in cæleſti Trinitatis Auguſtiſſimæ conſiſtorio, vt poſt cruentam illam Monomachiam, in quâ *Mors & Vita duello Conflixère mirando:*

Dux vitæ Chriſtus, è mortuis reſurgens glorioſus nouâ expeditione ſuſcepta Orbem vniuerſum ſubigeret; ad hãc autem iudicaret ipſe *Hippomachiam* ſibi potiſſimùm vſui fore; in id incubuit, vt Equorum pararet copiam, quibus ipſe inuectus, Mundi partes omnes percurreret. Selegit autem imprimis duodecim, quos peculiari curâ ad omnem diſciplinæ militaris vſum, tum aliàs, tum præſertim quadraginta illis diebus inter Reſurrectionem & Aſcenſionem decurrentibus exercuit, & erudiuit. In quorum conſiderationem abreptus facundiſſimus Antiſtes Ambroſius exclamat, *O bonorum Equorum dodecaiugum mirabile, quibus frena pacis, habenæ ſunt caritatis, conſtricti inter ſe concordiæ vinculis, & Iugo fidei ſubuecti: quattuor rotis Euangelij myſterium totius orbis finibus inuehentes, Bonum* Aurigã *portantes* DEI

VERBVM, *cuius flagello fugatæ ſunt illecebræ ſeculares, exterminatus Mundi iſtius Princeps iuſtorũ curſus impletus eſt. O ratiunabiliũ Equorũ grãde certamen! ô mirandũ myſteriũ! Currebant ibi Equi, quia non dormiebat, qui aſcenderat Equos.* De iiſdẽ, & CHRISTO EQVITE imprimis, reor vaticinatũ Prophetã Zachariam ijs verbis: *Viſitauit Dominus exercituum gregem ſuum, Domum Iuda, & poſuit eos, quaſi* EQVVM *Gloriæ ſuæ in bello.* Agebat Vates de viſitatione ad tuendum ac propugnandum Populum ſibi carum: quod fecit, quando conſtituit Iudam Machabæum, eiusque fratres, qui quaſi Equi generoſi DEI ad bella pro Populo proceſſerũt, & illius hoſtes, nominatim Antiochum illiusque chiliarchas profligarunt. Vt vaticinium illud exponunt, S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, & alij complures. At myſticè, in Eccleſiâ Chriſtianâ, IVDAS ſupremus Princeps, eiusque fratres bellatores fortiſſimi ſunt CHRISTVS & Apoſtoli, qui ex Iudæorum ſtirpe prognati, veluti generoſi Equi prælium inierunt, cum Regibus, Principibus, Philoſophis, & Mundo omni infideli, eumque CHRISTI Domini pedibus ſubiecerunt, vt commentantur Remigius, Haymo, Lyranus. Quibus fauet Chaldæus Paraphraſtes, qui vertit: *Ex ipſo Rex eius, ex ipſo* CHRISTVS *eius: ex ipſo fortitudo belli ſui: ex ipſo magnificabuntur omnes gubernatores eius ſimul.*

PORRO, *Equus gloriæ*, phraſi Hebræâ, id eſt, glorioſus, ſpecioſus, decorus, *illuſtris*, vt vertit Syrus; promptus ac ſtrenuus in bello, vt legit Arabicus, idem eſt, quod Equus, omnibus Equi optimi dotibus excellens. Qui quidem eſt præclariſſimum hieroplyghicum APOSTOLI, ac Viri Apoſtolici, qui velut *Equus bellator* vbicumque CHRISTVM Seſſorem, tanquam Equitem circumfert, & animoſiſſimè infidelitatem, vitiaque ſternentem, necnon Principes ac Reges terræ ſubiugantem per orbem vehit. Huius ea eſt alacritas, robur, ac conſtantia, nullis vt laboribus fatigetur, nullis occurſantibus hoſtibus terreatur, nullis difficultatibus cedat, illi ſimilis Equo, qui apud Iobum celebratur (*a*) cuius *gloria narium terror: qui terram vngula fodit: exultat audacter: in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Qualem Equum fuiſſe Bucephalum profani memorant. Et quoniam prædicatione Euangelij bellum hoc conficiendum erat, Apoſtolos quà Prædicatores, eorumque prementes veſtigia Apoſtolicos in Eccleſia cooperatores eſſe Equos Chriſti, monet Papa Gregorius (*b*) enarratione in Iobum, illuſtri hoc commentario. (*c*) EQVVS *eſt* Prædicator, *qui habet* Fortitudinem, *quia aduerſa conſtanter tolerat: habet* Hinnitum, *quia ad ſuperna blandiens vocat. Huic Equo ſuo Dominus, & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis, fortitudinem miniſtrat actionis.* Terram vngula fodit, *id eſt, quicquid in mente ſuâ terrenum verſari conſpicit, hoc nimirum ſuper ductæ pœnitentiæ duris percuſſionibus rumpit.* Addit talem *Equum gloriæ* fuiſſe PAVLVM Apoſtolum, ac pergit: *Equus* DEI *exultat audacter, & exteriora tormenta non metuit, quia Internam delectationem quærit: Poteſtatum mundi iracundiam non formidat, quia ipſius quoque vi*

(a) *Apoſtoli Bellatores.* (b) *Cap. xxxix.* (c) *Lib. xxxi. Moral. cap 19. 20. 21. & ſeq.*
(d) *Dotes Prædicatoris*

ta præſentis deſiderium per mentis exceſſum calcat. In occurſum pergit armatis. *Intueri libet illum Sefforis ſui calcaribus excitatum contra armatos hoſtes quanto feruore* Paulus *accenderetur, quando eum Epheſi ad irrumpendas theatri turbas flamma rapiebat.* Ego, *inquiebat*, non ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum pro nomine Domini IESV. *Actuum xix. & xxi.*

Contemnit pauorem. *Ait enim* ad Romanos ſcribens (a) *Quis nos ſeparabit à caritate* DEI? *tribulatio? an anguſtia? an fames? an perſequutio?* Addit plura Magnus Papa, qiubus generoſiſſimi *Equi* qualitates Præconi Euangelij, ſed nominatim *Paulo* Apoſtolo accommodat.

QVAM accommodationem auidè arripiunt Interpretes Litterarum Diuinarum, exponentes illud Prouerbiorum xxi. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit.* Et monent, Doctorem ſacrum non ex tempore producendum, ſed edomandum, cicurandum, inſtruendumque ad bellum, id eſt, ad debellandos Chriſti hoſtes: quamuis non ideò ſtatim ſit certa ſalus, ſiue victoria: *Dominus enim ſalutem tribuit.* Itaque, antequam Apoſtoli efficerentur Equi ad bella Domini idonei, magna cura à *Chriſto* tanquam peritiſſimo *Hipparcho* inſtructi fuerunt monitis & exemplis, quibus id effectum, vt dedocerentur vitia, quibus Equi ad militiam reddũtur inutiles; virtutes deinde docerentur, ſine quibus illorum in bello exiguus eſt vſus.

(a) *Cap. viii.*

MEMBRVM II.
EQVORVM VITIA
Et incurabilia, & quæ curari poſſunt.

EQVORVM porrò vitia, alia ſunt, quæ medelam admittunt; alia, quæ remedium omne reſpuũt, vt morbi moresque deſperati, quorum catalogum texit Pollux, (a) vbi agit de vituperatione operum ingenijque equini, & numerat vitia omninò quinquaginta quinque, à quibus ſigillatim denominari ſolet Equus, *ſegnis, hebes, ocioſus, delicatus, ſimplex, piger, malis pedibus præditus, maleſpirans, cunctator, timidus, trepidus, tremens, ſuſpectus, heſitabundus, mollis vngula, duri oris, impares habens maxillas, grauis capite, cernuus, aſininus, vorax, difficilis incitatu, immorigerus, habenas negligens, difficilis ductu, impudens, imbellis, ſtupidus, humilis, puſillaminis, deformis, indecẽs, facilis captu, turbam non tolerans, militarem clamorem non ſuſtinens, equorum oſor, bonorumque, mordax, calcitrator, indomitus, male inſtitutus, non promptus, rudis, incompoſitus, ſæuus, difficilis ad portandum, effrenis, impudentibus maxillis, refrenans, decutiens, incurioſus, Equitis excuſſor, freni impatiens, ſubtimidus, deficiens* Cum his vitijs non ſunt Equi ad bellum idonei. Quæ tibi vtilitas erit Equitatus (rogat Socraets apud Xenophontẽ (b) ſi Equites adduxerunt Equos tam vitiatis pedibus ac tibijs, quoſdã verò ita debiles ac ſtrigoſos, vt ſequi non poſſint? & quoſdam ita malè educatos, vt non maneant, quocũq; in loco ordinaueris? quoſdã verò tã calcitroſos, vt nõ ſit poſſibile de vno aciẽs loco

(a) *lib. 1. cap. 11.*

(b) *lib. de dictis Socratis.*

aciei loco in alterum transferri? Multa tamen Equorum vitia inſtitutione ac vſu tolli poſſunt. Neque enim ſtatim eſt deſperandum de Equi, ſicut neque de adoleſcentis, etiamſi aliquoties peccet, indole, quaſi emendari nequeat, qui vitium aliquod, aut conſuetudine, aut incultu contraxerit. Et ſanè, Germani, vt, Cæſar animaduertit, ſcripſitque, iumenta apud ſe nata, praua atque deformia, exercitatione quotidiana, ſummi vt ſint laboris, efficiunt, eodemque remanere veſtigio aſſuefaciunt, dum pedibus ipſi prælîatur.

In Chriſti autem Equis ratione vtentibus, de quibus nobis eſt ſermo, omne vitium eſt curabile illius beneficio, qui illis ad expeditionem ſuam vtitur. Quomodo in ijs emendauerit timiditatem, quomodo excuſſerit horrorem ad tranſiliendas foſſas difficultatum longas, lataſque, quomodo ſuccuſſationem abſtulerit, quomodo ſingularitatem, contumaciam, obediendi tarditatem emendauerit in præcedentibus eſt declaratum. Hodiernum autem Euangelium (a) in quo dedocentur Apoſtoli, animi deiectionem, & illius comitem immoderatam triſtitiam, necnon ignauiam aliaque huius generis, ſuggerit nonnulla nondum ſatis explicata Equorum rationabilium vitia, quæ analogiâ ad irrationabilium defectus exponere, & remedia à Chriſto vſurpata proferre, ac modum vtendi oſtendere erit vtiliſſimum.

(a) *Domin. IV. poſt Paſcha. Triſtitia implenit cor veſtrum, Ioannis XVI.*

MEMBRVM III.

EQVVS CALCITROSVS.

Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Actu. IX. 5.

ET imprimis, malum Equi epitheton eſt *Calcitroſus*, non minus, quàm pauidus, ſuccuſſarius, vmbroſus, duri oris, conſorti; impatiens, intractabilis, inobſequens, de quibus actum proximè. CALCITROSVS vocatur *Equus* qui ſæpe calcibus ferit. Et quidem vitioſum eſſe calcitronem iam olim pronunciauit Agellius (a) eundem inutilem bello aſſerit Socrates apud Xenophontem, libello de dictis Socratis. Ipſe verò Xenophon in ſuo Hipparcho, *Calcitrones*, inquit, *ab vſu belli remouendi ſunt, cùm præſertim tales nobis plus calamitatis, quàm hoſtes ipſi inferant: quippe nunquam in acie inſtrui, aut conſiſtere poſſunt. Itaque propter Equi vitium inutilis quoque redditur eques.* CALCITRARE, in morũ diſciplinâ, eſt admonitiones nõ admittere, repugnare, vicinos infeſtare. De quodam ingrato ſcribit Cicero, hac ſignificatione: (b) *Illum filium familias patre parco & tenaci habere tuis copijs deuinctum non potes: calcitrat, reſpuit, non putat tua dona eſſe tanti.* Oritur autem frequenter hoc vitium ex triſtitiâ irrationabili, & tetritudine ac moroſitate, Nam homines triſtes, tetrici, moroſi, ita ſe habent, dum quid illis dicitur, quod non placet, ſicut Equi, qui calcibus feriunt: murmurant enim, & linguâ, manu, pedibus in monentem inſurgunt. Vt vitium iſtud ab Equis ſuis auferret, multis egit hiſce quadraginta diebus CHRIS-

TVS

(a) *Libro IV. cap. 2.*

(b) *pro Cælio.*

nem Apoſtolorum reijcere. Quoniam Saulus plus deferebat epiſtolis Pontificum Iudaicorum, quàm Apoſtolorum doctrinæ, & exemplis fidelium Chriſtum ſequentium, confoſſus eſt in viâ ſtimulo penetrante, & audiuit, inquit Hieronymus, *Durum eſt tibi calcitrare contra ſtimulum* DEI. *Minatur his verbis Medicus*, ait S. Ambroſius, (*a*) *ſed vt corrigat: terret, ait, vt curet*, *Spirituales* enim *hi ſunt ſtimuli*, vt idem ſcribit, (*b*) *clauique quibus configi bonum eſt, reſiſtere malum: vincit enim omnia veritas.* (*c*)

EST etiam acutus duruſque ſtimulus *Conſcientia peccantis*, qui & remorſus ac oblatratio dicitur: *Durus animo ipſe accuſator, iudex, carnifex, vermis remordens*, quod à profanis etiam obſeruatum, & habet Quintilianus libro 5. Inſtit. Neque mihi eſt dubium hunc Conſcientiæ ſtimulum haud rarò ſenſiſſe Saulum. Cui cum acclamabat Chriſtus *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, & conſcientiam ſtimulantem, arguentem, flagellantem, perurgentem, & DEVM maximè impellentem deſignabat: contra hunc enim inſurgere, cum hoc pugnare, in hunc calces obſtinationis iacere, quid eſt aliud, quàm vindictæ potentem laceſſere, & plagas intolerabiles ſibi accerſere? DEO illuminanti, vocanti, mouenti, flagellanti, increpanti obluctari, quid eſt aliud, quàm ſtimulo ipſi acutiſſimo recalcitrare? quod qui facit, non ſtimulum ſed ſe ipſe væcors lædit. Vere dictum in ſic delirantem. (*d*)

Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus doles.

Sentiebat ita, qui DEO ſe, ſuaque ſubdens profitebatur palam: (*e*)

Potius ſacra illi fecerim quàm calcibus
Stimulos ferire coner, iracundiâ
Citus in DEVM, *mortalis ipſe cùm ſiem.*

Quæ, ſi non dixit ore, mente voluere tamen potuit videri Saulus, quando mox *tremens* ac *ſtupens* ad tantam lucem, vocẽ, gloriam, potentiam, maieſtatem præſentis CHRISTI, quâ cæcari ſe, & ad terram affligi ſentiebat exclamauit: *Domine, quid me vis facere?* Quæ fuẽre verba animi planè compuncti, humilis, reſignati, deuoti, tradentis, ac dedentis ſe penitus DEO inſeſſori ſuo. Quod conſiderans S. Auguſtinus, (*f*) *iam*, ait, *parat ſe ad obediendum, qui prius ſæuiebat ad perſequendum. Iam formatur ex perſequutore Prædicator, ex lupo ouis, ex hoſte miles.* Adde, ex Equo calcitroſo, obſequioſus. Atque ita ſubitò dedoctus calcitratrũ Saulus, factus eſt Equus ad omnem Chriſti expeditionem aptiſſimus. Verè EQVVS GLORIÆ, vt eum depingit S. Gregorius verbis initio prolatis.

HIC verò, antequam progrediamur (quoniam ad rem militarem Commentationes haſce noſtras referimus) animo obuerſetur, dum recalcitrantem ſternit Saulum CHRISTVS, velut duello cum eo congreſſus, ac monomachiâ victum conieciſſe in terram. Vnde iure duelli, poterat eum trucidare, poſito in eius iugulo pede, & pugione in pectus adacto. Sed proſtrati miſertus, vitam illi condonauit. Quocirca Paulus deinde, gratias agens, eius ſe perpetuò mancipium fore profeſſus eſt. Hinc initio ferè omnium epiſtolarum ſuarum hunc titulum præfert, PAVLVS SERVVS IESV CHRISTI, vt Rupertus Abbas obſeruauit. In profanâ verſatus litteratura, Æneam Troianum,

L hunc

(*a*) *In Pſalm.* CXVIII *Octonario* 15. (b) *Eſdr.* III. 12. (c) *Plaut. Trucul.* (d) *Euripid. in Bacchis.*
(e) *Serm.* XIV. *de Sanctis.* (f) *Ænea cum Turno duellum.*

huc aduocare poſſet, vt Chriſti victoriam illuſtraret exemplo: nam ſimilis ferè vox fuit arrogantis prius Turni duello victi ac proſtrari ab Ænea, quem graphicè exprimit Virgilius iſtis verſibus, lib. XII. Turnus

Ille humilis, ſupplexq́ue oculos dextramq́ue precantem
Protendens, equidem merui, nec deprecor, inquit.
Vtere ſorte tua (occide, ſi libet) *miſeri te ſi qua parentis*
Tangere cura poteſt, oro, fuit & tibi talis
Anchiſes genitor. Dauni miſerere ſenectæ
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis
Redde meis. Viciſti & victum reddere palmas
Auſonij videre. Tua eſt Lauinia coniux.
Vlterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas voluens oculos, dextramq́ue repreſſit.

At mox vt agnouit baltheum ſui Pallãtis, quo ſe accinxerat Turnus, indignans, & vlciſcens eum interemit. Longè mitior & clementior fuit Chriſtus in Saulum, quàm Æneas in Turnum, cùm ſatis illi fuerit ſternere recalcitrantẽ, vt doceret, non fore eum *Equum gloriæ ſuæ*, quem ei titulum dare cogitarat, niſi recalcitrare deſiſteret.

NOBIS quoque maximopere curandũ eſt, ſi Equi CHRISTI eſſe volumus, ne ſimus calcitroſi. Quales ſunt, qui cùm ſentiunt inſpirationes diuinas, DEVM, ſiue per ſe proximè, ſiue per Eccleſiaſten, Cõfeſſarium, Magiſtrum Scholarum ad emendationem vitæ, vel ſanctitatem, vel diſciplinæ Chriſtianæ perfectionem inuitantem, hortantemq́ue & acrioribus ſtimulis perurgentem, reſiſtunt, obluctantur, repellunt. quod eſt recalcitrare. Quicũque talis memor ſit paræmiæ: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Dum poſt grauia commiſſa crimina, poſt continuatam aliquot menſibus, aut fortaſſe annis, turpitudinem, poſt longam iurandi, peierandi, blaſphemandi conſuetudinẽ, poſt ebrietates, & quæ illas conſequitur, laſciuiam, audis clamantem monitorem domeſticum: ſat eſt, Adoleſcens, dãnaberis certo certius, ſi pergas: actum eſt de ſalute tuâ, ſi domum illam frequentes: niſi quam primum pænitentiam agas, in ſtercore tuo computreſces: tu interim rides, iocaris, illudis, non DEO, cui recalcitras, ſed tibi. Caue, *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*.

VOCARIS à DEO ad ſtatum religioſũ, quod negare non audes, nec potes: ſentis enim dum confiteris de peccatis, dum ſacram ſynaxin ſumis, dum alijs pietatis vacas officijs, quaſi inuitantem, quaſi trahẽtem, quaſi raptantem. Mira tibi oboritur, dum de religioſa vita cogitas, animi dulcedo; mira dum ingredi proponis, mentis tranquillitas; mirum illius potiundi deſiderium. In die ſolitariè agenti frequenter occurrit, quando tandem? ô felices, qui in illum inuecti ſunt portum! ô me infelicem in procelloſis mundi fluctibus agitatum, & hæſitantem! Noctu nullam quietis partem tibi relinquit vitæ illius beatæ, cuius tamen experientiam nondum habes, memoria.

Quam nihilominus expellere conaris vel obiuere, cantu, potu, luſu, fabulis, alea, ſympoſijs, choreis, equitatione, venatione, & poſt hæc omnia, dilatione periculoſa, DEOque ingratâ. Equus es calcitroſus. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Ni ceſſaueris, malè tibi erit in nouiſſimis. Metuendum, ne in te quoque impleatur, quod diuina minatur iuſtitia in Prouerbiorum Codice: *Vocaui & renuiſtis*, id eſt recalcitraſtis: *exten-*

(g) *Vocationem ad Religionem repellentes*, NOTA.

de

di manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis. Quæ ergo pœna recalcitrãti debetur? Subijcitur ea ſtatim. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, euenerit.*

Cuius metuendæ comminationis acerbitatem expertus eſt ille, qui, vt narrat (a) S. Antoninus, cùm aliquando Franciſcani Ordinis ineundi votum concepiſſet, monereturque, ac incitaretur acuto DEI inſpirantis, & conſcientiæ perurgentis ſtimulo, vt quod vouerat, redderet quam primum Domino, ac obligationi ſatisfaceret; ille autem calces obluctando iacere non deſiſteret, factum eſt, vt mutato conſilio fieret Canonicus. At, poſt paucos menſes incidit in morbum lethalem. Quare admonitus à ſuis de animâ per confeſſionem expiandâ, reſpondit exertè, haud eſſe opus, cùm oſtenſum ſibi ſit, ſe eſſe damnatum; itaque deſiſterẽt ſibi moleſti eſſe, confiteri de peccatis ſe non poſſe. Mox ſubiunxit, apparuit mihi Dominus iratus, dicens: *Vocaui & renuiſti, ideò vade ad pœnas inferni.* Quo dicto expirauit. Itu nunc, & ad perfectiorem vitam vocanti, inuitanti, impellenti, & poſt firmum prius propoſitum, aut ſuſceptum etiam votum, exſtimulanti recalcitra. Profectò,

Inſcitia eſt, aduerſus ſtimulum calces.

Immò, impietas, aduerſus DEVM calces. Senſit hoc, qui vitam terminauit tam triſti, ac miſerando, quem audiſtis, exitu.

QVO lætior fuit, DEO miſerente, alterius in ſimili periculo. Is, cùm ad huc iuuenis Ciſtercienſe inſtitutum amplecti decreuiſſet (non tamen voto ſe obligaret) dum de die in diem differret, ac interius calcaria imprimenti ſuo inſeſſori recalcitrat, cæpit flacceſcere. Quare cùm ex Compoſtellanâ peregrinatione domum rediſſet, eadem ipſa nocte apparuit illi Chriſtus Dominus cum duobus Apoſtolis Petro & Iacobo. Petrus autem elegantem tenebat librum coram Domino apertum, in quo nomen adoleſcentis, IOANNES, deſcriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum, dele iſtum de libro meo: interceſſit mox Iacobus, orans pro ſuo vt appellabat, peregrino, promittens quoque emendationem. Adoleſcens etiam hæc circa ſe agi videns, tremebundus ſpondebat meliora, nouamque in futurum vitam. Cui antequam annueret Dominus, fideiuſſorem poſtulauit, quaſi nõ fidens inconſtanti, & hactenus recalcitranti: ſpopondit illicò Iacobus. Inter hæc excitatus Ioannes iacuit ad viſum attonitus: tum denuo obdormiſcenti iterum eadem eſt obiecta ſpecies. Quâ motus, & minis territus, ad Monaſterium ſe contulit, atque ita in vitâ religioſâ profecit, vt & in ordine Abbas Bonæ-vallis, & deinde Valentiæ Epiſcopus fuerit, vt D. Antoninus ſcriptum reliquit. (b).

ADDAM exemplum aliud recentioris memoriæ in Equite, quod ita deſcribitur à Nicolao Orlandino in hiſtoria Societatis IESV, eo loco, vbi profectionem Diui Franciſci Xauerij in Luſitaniam enarrat. Erat in comitatu legati Luſitanici Petri Maſcareniæ, cum quo proficiſcebatur Xauerius, honeſtus vir equitandi Magiſter, qui paullò antequam Româ abiret, acres impulſus animo ſenſerat, vt remiſſo humanis rebus nuncio, in cœnobium

(a) *S. Antonin. 3. p. tit. 2 4. cap. 2 § 7.* (b) *S. Antonin. 2. p. hiſt. t. 17. cap. 1. § 2.*

bium abderet ſeſe. Verùm recalcitrans nihil expedierat. Hunc vbi ad fluuium è Ciſalpinis ventum eſt, cupido inceſſit vadi tentandi, nec omnium deterreri vocibus comitum potuit, quo minus temerariam leuiſſimæ cupiditatis libidinem ſequeretur: fortè vt animi ſui excelſitatē, & regendi artem equi oſtentaret. Tanto procliuius vel ſuos, vel Diaboli, ad perniciem, quam diuinos ad ſalutem impetus excæci mortales ſequuntur. Ceterùm vix amnem intrarat, cùm ſuperante vim Equi, artemque Equitis agmine aquarum, cæpit vterque rapi in præceps. Tollunt voces Maſcarenia ceterusque comitatus: tum cuncti, Xauerius imprimis, ad diuinam implorandum opem vertuntur. Nec fuerunt irritæ preces. Cùm amplius tria ſtadia Eques abreptus eſſet, ſublimis ſemper in aquâ, tanquam manu, comitum precibus ſuſtentatus, ad ripam, haud dubio miraculo, appulſus eſt. Xauerius quidem Maſcareniæ, qui non ſine lacrymis orauit; Maſcarenia autem & ceteri Xauerio acceptam hominis vitam tulêre. Qui vt emerſit, attonitus & ſtupens, nec audebat, nec poterat vocem mittere: manſitque in eo, tanquam ab inferis extitiſſet, horror quidam, pauorque terrificus. Interroganti Xauerio, quid animi habuerit, dum ſalute deſperatâ raptaretur à profluente, recurriſſe ſtatim Cœnobium dixit, in quo multo mallet eſſe. Et angore inde perculſum acerbiſſimo, quod tam diu vixiſſet ſine curâ præparandæ mortis, diuinis ſurdus inſtinctibus. Palàm verò ad comites de pœnis infernis, & vita futura ſic agebat, tanquàm planè eſſet expertus, multum iterans, non eſſe differenda recta conſilia: multo minus DEO ſuperbè reluctandum, & RECALCITRANDVM. Vt rectè vſurpare potuerit, quod quidam olim:

Igitur me vſus magiſtro,
Contra ſtimulos non membra extendes.

SVPERIORI affine eſt, quod in Franciſcanorum monumenta eſt relatum, ad annum Domini M. CCCL. Scholaris quidam Pariſinus, cùm Ordinem S. Franciſci, ad illum à DEO extimulatus, ingredi decreuiſſet, & eo fine, ſacrum religionis habitum ſibi curaſſet, poſtea, conſilio mutato, aliò cogitationes deflexit, id eſt, recalcitrauit interius ſtimulum admonenti DEO. Dum liberum ſe putat à monaſtici clauſtri cogitationibus, nocte quadam viſus eſt, ſiſti ſe ante Iudicem IESVM in regio throno cum maieſtate conſidentē: ad quem conſcientiâ compunctus, clamare cæpit: Miſerere Domine. Cui Dominus: Miſerebor, ſed ita, ſi cogitata perfeceris. Id ille facturū ſe prōptiſſimè ſpopondit. Nihilominus à Dæmone in ahenum oleo ac pice feruens conijci videbatur, & tantis in eo torqueri cruciatibus, ac ſi doloris magnitudine oſſa à carne diſtraherentur. Interim ſomnus diſcutitur: expergefactus recalcitrator, deſijt in ſtimulū diutius agere, & nulla interpoſita morâ ad religioſam vitam magnis paſſibus contendit.

SED dum de Militiâ differimus, exemplum ob militiæ ſtudium Iuuenis, cetera præclari, recalcitrantis DEO, fortaſſe mouebit magis, certè erit perquam accommodatum (a) GERARDVS S. Bernardi germanus, monita fratris de ſeculo deſe-

(a) *Vita S. Bernar. lib. 1. cap. 3.* (b) *Antonin. 2. p. Hiſt. tit. 17. Cap. 5. §. 6.*

deſerendo, iuuentutis, nouæque militiæ feruore calidus obſtinatè reſpuebat. Cui Bernardus DEO plenus, prophetico ſpiritu iam tum impulſus, digito in eius latus intento: *Veniet dies, & citò veniet, cùm lancea huic tuo lateri infixa, pectus aperiet ſalutaribus conſilijs, quibus nũc eſt clauſum.* Quod vt dixit, ita euenit: paucos enim poſt dies, eo ipſo loco vulneratus in pugna, captus etiam ab hoſtibus, cum recordatus eſſet fraternæ prædictionis, clamare cœpit, ſe Monachũ eſſe Ciſtertienſem. Abductus tamen & in cuſtodiam coniectus, illic mœrore cruciabatur, quod in fratrum comitatu, à quo auulſus erat Ciſtertium abire non poſſet: cùm ecce quadam die diſruptis repentè compedibus quibus detinebatur, oſtio etiam, quod erat obſeratum, diuinitus patefacto: ad hæc, diffugientibus huc illuc, qui eum, aut impedire poterant, aut prodere, ad Eccleſiam ſe recepit, inde quantocyus ad Monaſterium, ſtimulo impellentis ſpiritus incitatus, & nouo illo miraculo accelerare greſſũ monitus. Quare nunquam deinde amplius DEO ad meliora exſtimulãti recalcitrauit. Felicior illo, de quo S. Bernardus epiſtola CVIII. ad Thomam Andemarenſem, qui ob litterarũ ſtudia Religionis monaſticæ ingreſſum differebat. Ad hunc deterrendum alterius in ſimili cauſſâ recalcitrantis ſupplicium in ſuperioribus nobis narratum proponit.

ATQVE iſtiuſmodi exempla in omnibus ſeculis præcedentibus multa fuerunt, & ſunt quotannis in omni penè gente, hominum, qui voluntate, quam DEVS inſpirarat, perfectionis ſectandæ, ac religionis incũdæ excuſſa, & relictâ, in maximas easque perpetuas inciderunt calamitates, malo ſuo docti, quàm ſit durũ contra ſtimulum calcitrare. In quorũ numerum, vt vos non veniatis, hodie, ſi vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda veſtra: ſi ad emendationẽ vitæ, ad morũ reformationem, ad perfectionem diſciplinæ Chriſtianæ vos vocet DEVS, & impellat, nolite RECALCITRARE.

AT, quod-nam eſt contra vitium calcitrationis in equis remedium? Legi aliquando, quod ſcribit Plinius (*a*) rerum naturalium ſcrutator ſolertiſſimus, iumenti calcitratum inhiberi vſu vini crebri ore. Duplex eſt *vinum*. Vinum corporis, quod in carnis meatus illapſum, dum illam facit feruere, ac inſoleſcere, corpus ad recalcitrandum ſpiritui, ac inſpirationibus diuinis, excitat. Hinc nulli magis recalcitrant cæleſtibus monitis, quàm Baccho, Veneri, Cupidini, clarius, quàm qui ſunt carnis ebrietati, laſciuiæ, luxuriæ dediti. *Vinum* alterum eſt animæ, ac *Spirituale*, cuius energiam, vt ſentiamus, precamur frequenter DEVM cum D. Ambroſio:

Læti bibamus ſobriam.
Ebrietatem Spiritus

Quæ ſpiritualis ebrietas, vt commentatur D. Cyrillus Ieroſolymitanus (*b*) corporeæ eſt contraria, quod non inducat cognitorum obliuionem, ſed etiam ignoratorum notitiam donet. Oritur autem ex eo vino, quod non ex alia eſt vite expreſſum, quàm, quæ quoniam loquela erat prædita, dicebat de ſe: *Ego ſum Vitis, Vos palmites* (*c*) Huius autem vini vſu crebriore, qui ebrietaté ſpiritualem cauſſat, inhibetur omnis contra DEVM *Calcitratus*

(a) *Plin. lib. VIII. cap. 42.* (b) *Cateche. 17.* (c) *Ioan. XV. 5.*

tus.Nam,vt præclarè diſſerit. S. Auguſtinus.

Muſto,id eſt, feruore ſpiritus diuini ebrij, *multi pro deſiderio ſalutis ſuæ parentes & patriam ſuam fugiunt : & mortui huic mundo, alios animarum inquirunt parentes: &* liberi ſub iugum veniunt : & paullò ante elati atque ſublimes,humilia affectant,ſuperba faſtidiunt,& cupiunt eſſe, quod ante deſpexerant, ac odiſſe incipiunt,quod fuerant : præſentium hoſpites, futurorum appetitores : æternam illam patriam,contemptâ temporalium falſitate,ſuſpirant: abſtinentiam vigilijs iungunt,illam delicijs, has dulcibus ſomnis, paupertatem diuitijs anteponunt. Iidem arduum contra vitia laborem iucundiſſimam computant voluptatem: dulceſcunt iſtis vilia, & quæ prius fuerant pretioſa, vileſcunt.diligunt inimicos ſuos, & benè faciunt his, qui ſe oderunt: non conuitiantur indignantibus, non irritantur in opprobrijs,non franguntur in iniurijs: prorſum horum nihil ſentiunt, propter feruorē Spiritus-Sancti, & propter æternam retributionē. Hoc ſpirituali mero calebant Martyres,quando abijcientes,ac poſt ſe iactantes omnia mundi blandimenta ibant ad paſſiones, obliuiſcentes facultates & affectiones,patrimonia ac matrimonia ſua & vincētes armatā contra ſe paruulorum pignorum fletibus pietatem: vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas auulſis crinibus dilacerantes.Sed illi hæc omnia,tanquam ebrij,nō videbant, nec cognoſcebant ſuos, quia infuſo præcordijs ſuis Spiritu - Sancto ad dolores, ad ſupplicia, tanquam ad conſolationes, & ad præmia feſtinabant.]

ITAQVE liberatior ac repetitus vini ſpiritualis hauſtus à iumētis Domini tollit recalcitrandi libidinęm.Id experti fuerunt Apoſtoli, qui poſt quam in die Pentecoſtes hoc vino fuerunt inebriati,nunquā amplius recalcitrarunt, dedocti perfectè hoc vitium. Cuius promiſſionem acceperunt in hodierno Euangelio: *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnē veritatem*. Venit ille tandē,& capacia ſuorum vaſa,ita impleuit, vt dicerēt, qui eos videbāt & audiebāt, *Muſto pleni ſunt iſti* (b).

Muſto madere deputant
Quos Spiritus repleuerat.

Hoc muſtum, non *in quo eſt luxuria*, ſed ſpirituale,diuinumque,quod *Virgines germinare facit*, ſponſas Chriſti caſtas, frequenter haurite, & nunquā Inſeſſori veſtro,tanquam Equi generoſi, recalcitrabitis, At quare *Vini* illius vſus *Calcitratum* cohibet? Cauſſam eſſe reor,quod *Calcitratus* Equorum rationalium ſit indicium,a c effectus impatientiæ, impatientia autē frequenter ex triſtitiā graui torpenteque oritur,quā ablatā per ingeneratam lætitiam,& hilaritatem,quam cauſſat vinū,quod lætificat cor hominis, ceſſat recalcitratio. Vnde in gymnaſio litterario minimè ſolent eſſe calcitroſi, qui genio ſunt & naturā læti,hilares feſtiui; adoleſcentes,qui rident cum ridentibus, ludūt cum ludentibus, cantant cum canentibus.Ii nō obmurmurant facilè in ſcholis, ſi quid imperetur, quod minus ſapit : ſi quid dicat Magiſter,quod acerbum videtur,non reluctantur, non ſe opponunt. In religioſis familijs,& maximè in earum tyrocinio,

(a) *Ioan.* xvi. (b) *Hilar. hym. ad laud.* (c) *Ad Epheſ.* v. 18. (d) *Zacha* ix. (e) 2. *Corin.* 11. 2. (f) *Actuū.* 2. 13.

tyrocinio, ſeu nouitiatu, illi qui ſunt læ-tiſſimi, ſūt ad omnia Religionis officia, ad pænitentias, mortificationes, aſperitates corporis promptiſſimi, ideoque optimis nunquam obmurmurantes ſemper morigeri, nunquam recalcitrantes. Contrarium eſt cernere aliquando in hominibus triſtibus, & indole moroſis ac tetricis, qui ſibi alijſque ſunt moleſtiſſimi. Quare in officijs quoque pietatis eſtote ſemper hilares: ſeruite Domino in lætitia; gaudete in Domino ſemper, & nunquam illi recalcitrabitis.

MEMBRVM IV.

EQVVS STERNAX. CÆSPITATOR. EFFRENIS.

NIHILO meliores Equis Calcitronibus, ſunt *Sternaces*, qui ſeſſorem excutiunt ac in terram deijciunt. Quàm illi ſint Domino pernicioſi docuit iſte apud Virgilium Æneidos duodecimo, vbi Turnus

Et ſternacis equi lapſum ceruice Thymœtem,
Eudemo comitem conjecta cuſpide mittit.

Dominum ſuum CHRISTVM excutiunt, vt Sternaces equi, qui aliquamdiu in pueritiâ, adoleſcentiâque modeſti, pij, morigeri; cùm ad ætatem maturiorem peruenerit, eum, quem hactenus portarunt in animâ ac corpore, à ſe morum improbitate repellunt.

SVPERIORIBVS affines ſunt Equi *Suffoſſi*, ſiue *Cæſpitatores*, vt Seruius interpretatur, qui ſæpe in cæſpitem, vel lapidem, aut aliquid huiuſmodi impingunt. Virgilius Æneidos XI.

Tum Lyrim, Pegaſumque ſuper: quorum alter habenas
Suffoſſo reuolutus equo dum colligit, ——

Vbi tamen *Suffoſſo*, fortaſſe dicitur à ſuffodio, ſuffodere autem Equum eſt eum ſub ipſo ſeſſore confodiendo occidere: ſed admittatur interpretamentum Seruij, vt idem ſit, quod Cæſpitator. Iam verò, in morum diſciplinâ, quoties quis mandatum aliquod DEI tranſgreditur; quoties offendit ore, manu, pede; toties, vt Equus impingit in aliquod viæ, quæ ad cælum ducit, obſtaculum, eſtque occaſio Dominum deijciendi, vt more humano loquamur.

IN eadem claſſe ſunt *equi Effrenes*, qui inſeſſori ſuo frequēter fuerunt exitio. Apud Virgilium Meſſapus Clonium

—— *infrenis equi lapſu tellure iacentem*

obtruncat. Effrenes Equi ſunt in Stadio virtutis, qui frenum moderationis, frenum increpationis, frenum timoris, frenum mandatorum DEI non ferunt, nec eo ſe duci, retrahi, in gyrum rationis agi patiuntur: homines ad Spiritualem militiam inutiles.

MEMBRVM V.
EQVVS MORDAX.

SVNT denique *Mordaces Equi*, qui inter maximè vitioſos cenſentur. Vtinam pauci reperirentur huius notæ inter rationales, quos tamen ratio, ſi illa vterentur, ſatis coërcere deberet, ne iumentis hoc vitio ſint deteriores. Videre eſt vbique penè homines quoſdam, vel naturâ, vel malâ inſtitutione ita affectos, vt ſemper mordacitatem in promptu, immò, in actu habere videantur, ad contradicendum facti, fictique; qui omnia perperam interpretantur, quibus nihil niſi ſuum placet: nullam vellent, niſi è ſenſu ſententiaque ſuâ rem agi, aut dici; ſi quid præter id contingat, vt erratum, repudiant: aliorum dicta & facta admordent, vt eiuſdem præſepij equos mordax iumentum. Tales etiam ſunt liuidi, contentioſi, detractores, de quibus Paulus Apoſtolus, monens Galatas, vt à mordacitate hac equinâ abſtineant: idem nobis dictum putemus. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab inuicem conſumamini*, (a) Cauete, *Academici, Chriſtiani*, à contentioſis diſſertationibus, quas dum partim inuidiâ ducti, partim inanis gloriæ ſtudio incitati habere inter vos ſoletis, fit vt obtrectationibus alius alium mordeatis; & quod vix credibile, certum tamen, vos inuicem deuoretis. At videte, ne viciſſim alius ab alio conſumamini. Qua metaphora à canibus aut Equis deſumpta diſcrimen maximum altercationis, ac pugnæ verbalis ob oculos ponit. Non enim, vt obſeruat D. Chryſoſtomus, tantùm dicit *mordetis*, quod eſt vehementer commoti, & concitati, inſtar Equi ſed addit, *comeditis*, hoc eſt, deuoratis, corroditis, diſcerpitis, quod eſt malignitatis extremæ, & perſeuerantiam in rabiosâ quadam malitiâ denotat. (b) Nam non de morſu ac deuoratione corporea loquutio illa figurata accipienda eſt, ſed de ijs, quæ ſpectant ad animum, in quo morſus, qui fit obtrectatione ac maledicentia tanto eſt perniciosior, quanto ille corpore eſt præſtantior.

QVIS autem mordacitatis huius equinæ, ac contentionum acerbiſſimarum eſt exitus? *Conſumi ab inuicem.* Siquidem, ſeditio, & contentio, vt monet S. Chryſoſtomus, corruptionem & interitum adfert, non modò ijs qui læduntur, ſed ipſis etiam contentioſis & obtrectationis auctoribus. Quamobrem rectè docet Plutarchus in præceptis politicis, initijs concertationum iſtiuſmodi, tanquam ſeditionis, ſubitò occurrendum eſſe. *Non enim debemus*, inquit, *ciuiles, ſicut in corpore offenſiones, quæ citò tabe inficiunt paruì facere; ſed occurrere quàm primùm, reprimere, opitulari. Quoniam attentione*, vt ait Cato, *vel magnum efficitur paruum, & paruum in nihilum redigitur.*

PORRO, Mordacitas illa, quæ in beſtijs propria, & in hominibus figurata, plurimum obeſt prædicationi Euangelicæ, ideoque abeſſe debet ab omnibus, qui in Chriſti equili reperiuntur: Magnam autem tunc fore ſtragem in exercitu Chriſtiano, quando in Equitatu Chriſti erunt multi Equi mordaces inſinuat Ieremias Propheta, ſecundum explicatio-

(a) *ad Galat. v. 15.*

(b) *Morſus metaphoricus.*

nem S. Hieronymi: *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent Patres ſuos*: id eſt: *Magiſtri contra diſcipulos, & diſcipuli contra magiſtros, ſeditione mutuâ concitabũtur, & implebitur illud: Si inuicẽ mordetis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Hoc enim fit, dum *contentionis, atque inuidentiæ vitio* (vt loquitur S. Auguſtinus) *pernicioſæ diſputationes gliſcũt, & quiſque obtrectando, quærendoqúe, victoriam, & inanem gloriam appetit.* Quapropter Auditores Lectoreſque mihi percari, volque præcipuè Academici Adoleſcentes, Militiæ Chriſtianæ deſtinati ab vtero matris, ſi deſideratis portare CHRISTVM ſupremum Equitem Magiſtrum, Imperatorem & DEVM veſtrum in anima & corpore veſtro, nolite eſſe *Calcitroſi* rebellione, *Sternaces* inconſtantiâ, *Ceſpitatores* lubricitate, *Effrenes* immodeſtiâ, *Mordaces* altercatione; ſed morigeri, obſequentes, læti, hilares, pacifici; vt cùm viſitauerit Dominus Exercituum hunc gregem ſuum, domum in ſe ſperantium & confidentium, ponat quemlibet veſtrûm, quaſi EQVVM GLORIÆ SVÆ, poſt pleniſſimam de Carne, Mundo, Cacodæmone victoriam in ſecula ſeculorum æternaturæ.

NOTÆ.

§. 1. EQVVS calcitroſus.] *Calcitro idem eſt, quod pede percutio, vel calce ferio.* Gellius *lib. 4. cap. 2.* Equus mordax, aut Calcitro vitioſus non morboſus eſt. *Compoſitum* recalcitro, *calce percutientem viciſſim calce peto.* Calcitratus *actus eſt calcitrandi.* Calcitroſus, *propriè, qui frequenter calcibus ferit.*

§. 2. *VOCATIONEM* ad Religioſum ſtatum repellentes.] *Legendus* Hieronymus Platus *lib. 3. de bono ſtatus Religioſi, vbi varia habet de hoc genere Calcitronum exempla.*

§. 3. *CONTRA* Stimulum ne calces]

Æſchylus in Prometheo Captiuo

Οὐκ οὖν ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ

Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.

Conſule Auctor. Adagior. V. Contra ſtimulum calces.

LIBER II.

EQVITATVS ANGELICVS.

ALLOQVVTIO

Ad Academicos Chriſtianos.

QVAMVIS illa ſit Saluatoris Mundi potentia, vt ſolus ipſe, ſine vllis, ſiue pedeſtris, ſiue Equeſtris exercitus auxilijs potuerit hoſtes ſuos debellare, Mundum vniuerſum conuertere, Euangelium vbique diſſeminare, Vexillum CRVCIS erigere, & na-

 tiones

t[illegible] omnes ſub iugum mittere, t[illegible] quoniam ex Prouidentiæ Diuinæ decreto, ita ſunt nexæ rerum cauſſæ, vt Prima adſciſcat inferiores, quibus tum Naturæ, tum Gratiæ Admini[illegible]la, præſe ſemper, ac præſidens exequatur; placuit Imperatori ſupremo SACRÆ MILITIÆ *adlegere Socios quorum fideli opera, ad tam glorioſam expeditionem, ac Victoriam vteretur. Hi verò vel ſunt* EQVITES, *vel* PEDITES; *aut potius, vtriuſque denominationis Bellatores, quia ad vtrumque æquè parati, vt aut ſuis, aut alienis ad bellum progrediantur pedibus: & nunc in equum promptè inſiliant; nunc ſi vſus poſtulet, expeditè deſilientes ſtatariâ pugnâ cum hoſte congrediantur. Quod quomodo fiat, & alia eodem ſpectantia, vt Academicis Chriſtianis innoteſcat, prius vniuerſim de* EQVITATV *Domini Exercituum, eiuſque prima ac nobiliſſima Turma, quæ eſt Angelicorum Spirituum, paullò accuratius diſſeremus.*

COMMENTATIO I.

EQVITATVS ANGELICI

Multitudo. Pompa. Magnificentia. Potentia.

MEMBRVM I.

EQVITATVS CHRISTI NVMEROSISSIMVS.

PRINCIPIO illud ſtatuendum, in Domini Noſtri Imperatoris, aduerſus Peccatum, Mundum, Cacodæmonem pugnantis Exercitu eſſe numeroſiſſimum & inſtructiſſimum Equitatum, id tum ex alijs multis Diuinæ Scripturæ locis, tum ex illo clariſſimo Apocalypſis XIX. vbi vidiſſe teſtatur ſe Ioannes, aperiri cælum indeque egredi Chriſtum, velut Equitem cum Turmis equeſtribus quàm plurimis, ex eoque portis quaſi patentibus deſcendere ad pugnam cum hoſte capitaliſſimo ineundam, & ad opem ſuis fidelibus contra eum decertantibus ferendam. *Vidi cælum apertum* (verba ſunt Prophetæ Euangelici) *& ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur* Fidelis & Verax, *& cum Iuſtitia iudicat, & pugnat.* Idem deinde dicitur habere nomen, *Verbum* DEI. *Et Exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis.* Eſt autem hic Saluatoris Mundi Equitatus copioſior, quàm vnquam ab vllo Rege in campum fuerit inductus, licet aliquando ſupra fidem ab aliquibus fuerit multiplicatus. *Darius* CCC. peditum millia, Equitum millia C. eduxit, auctore [illegible] CC. millia Equitum ei tribuit Diodorus Siculus libro XVII. *Ninus* Aſſyriorum Rex Zoroaſtri Bactriano obiecit Equitum millia ducenta, falcatorum curruũ millia decem & ſexcentos. *Semiramis* contra Indos collegit duxitque quingenta Equitum millia, curruum millia centum auctore Creſiâ. (*a*) O animoſiſſimam Reginam! viraginem præ multis viris equeſtrâ

(*a*) *apud Diodor. lib. 2. cap. 2. & 5.*

equeſtri ſtatu dignam. Quot Equites habuiſſe putandus eſt *Xerxes*, in cuius exercitu tot fuêre iumenta, vt vel aquando flumina ebiberint: quod ſcribit Herodotus lib. VII. *Auguſtus*, ſubiugato Lepido, legiones habuit XLIV. Legio conſtabat peditibus quinquies mille. Ergo conficiebant ducenta viginti peditum millia. His Equitatus adiungebatur, vt quarta ferè parte peditatum adæquaret, quinquaginta duum millium octingentorum. Ne noſtra tam contemnantur ſilentio, *Polonia* exiſtimatur colligere poſſe centum Equitum millia, *Lituania* eiuſdem Regni prouincia ſeptuaginta millia. Quod mihi non videtur incredibile, cùm ex Polonia perſcribatur, in electione Regis Poloni, quæ anno ſuperiori eſt facta, fuiſſe in ciuitate & agro Varſauienſi, decies centena millia hominum. Hinc eſt, quod adeò fidant Equitatui ſuo Poloni, vt neque hoſtis vllius vires reformident, neque magnoperè de munitionibus in regno ſuo conſtruendis ſint ſoliciti. Nobiles autem expenſis proprijs Regi ſuo in Equis ſeruire coguntur, dum bella ab exteris ingruunt.

SED quid hæc omnia ad immanes illas Turmas, quas immenſo numero venturas cum Anti-Chriſto prænunciat Ioannes Vates veridicus Apocalypſis IX? vbi hæc leguntur: *Numerus Equeſtris exercitus vicies millies dena millia.* Græcè, non per ciſras, in quibus facillimè committitur error, ſed expreſſis ſyllabis habetur, δύο μυριάδες μυριάδων: Id eſt, *bis millies centena millia*: ſiue, *ducenti milliones.* Qui numerus quibuſdam incredibilis videtur, inquit, eo loci præclarus Apocalypſis Interpres Cornelius, cùm in toto orbe vix eſſe videantur ducenti milliones hominum. At errant, ſubiungit idem: nam in ſolo regno Sinenſi numerantur CCL. milliones hominum, teſte Nicolao Trigantio, qui inde rediit. Ex ijs autem pars quinta, ſeu milliones L. ita poſſunt eſſe milites. Adde totidem ex Æthiopia, totidem ex Tartaris, totidem ex India. Accedit, quod plurimi circa mundi finem, tempore Antichriſti erunt homines: nam plerique omnes erunt carnales, dediti voluptatibus, maximè venerijs, ac generationi hominum. Fortaſſe etiam bona Exercitus, quẽ educet Antichriſtus, pars, erit Cacodæmonum, qui induti ſpecie ac forma Equitum, DEO permittente, impios affligent & caſtigabunt. Nam Duces eorum erunt quattuor Archidæmones, vt ex eodem Apocalypſis capite, quidam haud malè colligunt. Magnus haud dubiè eſſet Equitatus, qui non niſi millionibus aliquot Equitum exprimi poſſet. Sed longè maior eſt Imperatoris Noſtri Chriſti, ſi ad calculos reuocetur. Nam in eo pars vna longè ſuperat numeros omnes hactenus recenſitos.

MEMBRVM II.

EQVITATVS ANGELICI SVPPVTATIO.

EQVITATVS Militiæ Chriſtianæ partem primam, nobiliſſimamque conſtituunt innumerabiles Turmæ Angelicæ. Quot autem putatis Vos eſſe Angelos? Numeroſæ admodum de Angelorum numero ſunt opiniones. Magnum ſe

 adſignare

adſignare rebatur, qui dicebat æqualem eſſe Angelorum & hominum numerum; nempe, vt quot ſunt, erunt, fuerunt homines, tot ſint Angeli. Ita inueniens apud Auctorem antiquum quæſtionum ad Antiochum. Quid ſi omnes homines à mundo condito ad eiuſdem interitum eſſent Equites, quantus inde conflaretur Equitatus? Quid ſi augeas hunc numerum, & dicas, maiorem hominum numero decem partibus eſſe numerum Angelorum? Sic eſt apud D. Brigittam in Reuelationibus, quas habuit diuinitus. Quid ſi aſſeras, maiorem eorundem hominum numero eſſe nonaginta nouem partibus? Ita legitur apud Cyrillum Ieroſolymitanum in Catecheſi xv. Rabbini Cabalici opinantur, vt refert Archangelus, Scriptor, ſi quis alius, curioſus, & in multis, quod Rabbinorum eſt vitium, fabuloſus, in Commentario dogmatum Cabiliſticorum, eſſe Angelos omnes numero, trecentos milliones, ſexcenties quinquaginta quinque millia, ſeptuaginta duos (*a*) Quæ opinatio Angelos facit pares: ego potius impares dixerim, vt ſi progrederentur bini ac bini, ARCHISTRATEGVS MICHAEL vltimo loco, ſolus eſſet, aut inter duos, neminem habens parem. Plures hactenus deſignatis concipiebat D. Chryſoſtomus, qui homilia de Aſcenſione ſcribit: omnia bonorum & malorum Angelorum eſſe plena.

HAVD multum ſe aberrare arbitrabantur olim quidam Scholaſtici, qui adfirmabant, tot eſſe Angelos, quot rerum omnium corporearum ſunt indiuidua. Nimirum, quot guttulæ in Oceano, omnibusque orbis fluminibus, lacubus, ſtagnis; quot arenulæ in littoribus; quot atomi in aëre; vt omittam folia in arboribus, lapillos in montibus, gramina in campis, crines in capitibus, ſtellas in orbibus cæleſtibus, & quæ per decem prædicamenta ſparſa ſunt penè infinita. Addebant alij, eſſe plures Angelos indiuiduis cuiuslibet ſpeciei, & non corporeæ tantum. Itaque plures eſſe habitibus, actibusque animi internis, plures qualitatibus ſpiritualibus, plures omnium hominum cogitationibus. Ambigo, an amplius quid cóceperint, qui aiebant, tantum eſſe numerum Angelorum, quantus arithmeticus vllus eſt numerus qui hominum vſu teratur. Quod legitur apud S. Hieronymum, (*b*) & Guilielmum Pariſienſem libro ſecundo de Vniuerſo.

Quorundam iſta eſt calculatio: quanto maiora cælorum corpora ſunt ſublunaribus corporibus, tanto eſſe ampliorem Angelicarum naturarum numerum rerum omnium inferiorum numero. Securius quidam: Angelos eſſe innumerabiles: non quod infiniti ſint, ſiue ſyncategorematicè, ſiue categorematicè, vt quidam exiſtimaſſe videntur, vel aſſeruiſſe, quod damnatur in Articulis Pariſienſibus; ſed quod eorum à nobis numerus iniri non poſſit. Id ſanè veriſſimum eſſe indicat, vel ipſa dumtaxat numerorum diuerſitas quæ, cùm de Angelis agitur, in Scriptura diuina ponitur. Siquidem in eà numeri certi pro incertis collocantur, minores pro maioribus, vt præciſè quantus ſit numerus, hominum calculo nullo ſubduci poſſit. Illud omninò ſentiendum eſt, de quo dubitare nefas eſſet: Maximum eſſe Angelorum numerum: nam id Diuina oracula enunciant. DANIE-

(*a*) *Angeli 300655072.*

(*b*) *Daniel vii.*

DANIELIS VII. *Millia millium miniſtrant* DEO, *& decies millies centena millia adſiſtunt ei.* Iobi XXV. quæritur, *Numquid eſt numerus militum eius?* Pſalmo LXVII. vbi de Equitatu DEI ſermo eſt: *Currus* DEI *decem millibus multiplex, millia letantium.* Quod vertit Chaldæus: *Currus* DEI *multipliciter viginti millia, & millia Angelorum.* Lucæ ſecundo cap. dicitur *facta cum Angelo multitudo Militia cæleſtis laudantiũ* DEVM. Matthæi XXVI. nominantur legiones plus quàm duodecim Angelorum. Apocalypſis V. ſcribit Ioannes: *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium.* Maximam quandam multitudinem hæc, *Exercitus*, ac *Militia cæleſtis* nomina important; ſicut & *Caſtra* DEI, Geneſis XXXII. Et ſanè cum Dæmones, mali Genij ac Angeli damnati tam numeroſi ſint, vt in vno homine legio integra fuerit (c) quantam bonorum ſanctorumque Angelorum eſſe multitudinem exiſtimare par eſt? Et hæc quidem conſtituit vnam partem Equitatus Imperatoris ſupremi. De altera antequam diſſeramus, ne ſine fructu pietatis allata ſint tã varia ex profanis ſacriſque auctoribus, Equeſtrium copiarum magnitudinem ſpectantia, breuiter indicemus, ad quid deſeruire vobis poſſit notitia conſideratióque ampliſſimi Equitatus illius qui ad DEI nutum ſemper & vbique aduigilat.

(c) *Marci v. Luc. VIII.*

MEMBRVM III.

EQVITATVS ANGELICI MVLTITVDO

Deo Exercituum Domino conueniens.

IMPRIMIS conducit, vt animo efformetis imaginem Imperatoris bellici dignam ſummo Principe, dignam Monarcha Vniuerſi, dignam DEO *Sabaoth*, *Exercituum Domino.* Quippe qui in throno regio altitudinis eximiæ tanquam in centro, circumfuſa innumerabili Equitum ſplendidiſſimorum multitudine conſpiciatur. Nam Angeli omnes DEO, tanquam Domino & Regi maximo, inſtar obſequentiſſimorum & velociſſimorum famulorum, atque idcircò in equis & alati, ſemper adſiſtunt, eius mandatum præſtolantur, eius nutum expectant, eius imperio confeſtim quidlibet agere, quolibet ſe conferre, quamlibet expeditionem ſuſcipere, contra quoslibet præliari, cuiuſcumque defenſionẽ ſuſcipere, quodlibet arduum opus aggredi paratiſſimi. Vt & nos homuli ex argilla & luto facti, ac terræ quædam tubera, illorum reſpectu, atque in Exercitu DEI, ſi naturam attendas, vix lixæ, aut calones, diſcamus adſiſtere ſemper & vbique, in templo tamen maximè, & orationis tempore cum timore & tremore, vt illum omni reuerentis animi ſignificatione honoremus, vt colamus, veneremur, nunquã corã tanta Maieſtate abſque peculiari modeſtia & demiſſionis eximiæ indicijs cõpareamus. Contra quæ grauiter peccatur à multis, in quibus, ſiue dum Sacrificiũ Miſſæ audiunt, ſi tamen audiant, dum corpore tantũ præſentes ſunt; ſiue dum matutinis aut veſpertinis laudibus, quæ DEO in templis decantantur, interſunt, ſiue dum Con-

cionatori dare deberent operam; ſiue dum alijs officijs diuinis interueniunt, multa irreuerentiæ: pauca, aut nulla religioſæ obſeruantiæ aut pietatis ſigna exhibent. Qui curioſis oculis, nutu, geſticulationibus indecoris, fabulis, DEVM grauiter offendunt, aliorum deuotionem impediunt, circumſtantibus ſunt offendiculo.

ET quid mirum, hos non obtinere à DEO, quod ſe in orationibus, ſi quas fundunt, petere vel deſiderant vel aſſerunt? Dicitur in hodierno Euangelio (d) quod dirigitur ad petendum & orandum, vt obtineamus, quibus indigemus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Pollicitatio Domini eſt hypothetica: Si peteras *in nomine Chriſti* obtinebis. Petere *in nomine Chriſti*, præterquam quod ſit petere bono fine, bono modo, bono affectu; & petere ad ſalutem neceſſaria, vel vtilia, & petere cum reſignatione in voluntatem diuinam, & petere conſtanter, iuxta illud: *Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* eſt etiam petere, cum attentione, reuerentiâ, ſubmiſſione. Non petit in nomine Chriſti, qui corpore eſt in templo, corde in plateâ, foro, vallo, caupona: qui os mouet & labia, ac ſi oraret, & hiſtrionicam exercet: qui oculis graſſatur per omnes angulos baſilicæ: qui nihil minus facit, quàm ad quod templum eſt extructum & dedicatum. Petis, & non accipis, quia malè petis. Es indoctus vt anteà, quia irreligioſus vt anteà: nihil tibi in ſtudijs, in negotijs, in expeditionibus tuis ſuccedit, vt anteà, quia vagus & vanus vt anteà. Muta mores, ſi vis mutari erga te cæli duritiem.

EQVITES cæli circumſtant ſuum Regem cum ſummâ veneratione; nec aliò obtutum dirigunt, ac petunt cum extrema demiſſione, ſuntque prompti ad omnia Principis ſui mandata exequenda. Ab his igitur diſcamus quid in templo, quid orationis tempore vbique, quid coram Imperatore noſtro, in cuius ſemper ſumus conſpectu officij noſtri ratio exigat. Horum exemplo, nutum DEI Opt. Max. tanquam eius famuli dedititiſſimi obſeruemus, quod imperat, actutum exequamur, quod conſulit, arripiamus, quod gratum ſibi fore oſtendit, confeſtim perficiamus. Illo mandante nunquam tergiuerſemur, quocumque nos conferre, prompti quemlibet locum, vel deſerere, vel occupare, quamlibet munitionem inuadere, quodlibet propugnaculum aggredi. Parati relinquere domum paternam, cognatos, amicos, patriam, commoditates corporis, lenocinia carnis, blandimenta voluptatis: expediti ad excurrendum ocyus in ſolitudinem, ad explorandas vires aduerſariorum, Mundi, Peccati, Cacodæmonis, ad opponendum nos hoſtibus, ad quàm primũ in agmina vitiorum irrumpendum. Denique, nihil omninò detrectemus, quod ad tanti Principis voluntatem exequendam, honorem promouendum, cultum augendum, regnum amplificandum, ſpectare animaduertemus.

(d) *Dom. v. poſt Paſcha. Ioan. XVI.*

MEMBRVM III.

EQVITATVS ANGELICI POMPA

facit, vt facile ſpernatur omnis Pompa humana.

HVIC adnexum eſt alterum, quod conſideratio ampliſſimi Equitatus Angelici in nobis efficere poteſt, vtinam in omnibus efficiat. Nimirum, generoſiſſimum contemptum pompæ illius exterioris à clientela, famulis, ſtipatoribus, copioſo peditatu, equitatuque Principum huius mundi, quem plebei homunciones ſuſpiciunt, æſti[illegible] maximi faciunt, & vt felicitat[illegible] appendices habent. Vile[illegible] ad altiora non dicerunt me[illegible] rigere. Eſt generoſi pectoris & Chriſtiani, pompas illas aulicas, & ſtrepitum forenſem tot palatinorum, [illegible] puratorum, torquatorum, cirratorum, antecedentium & ſubſequentium, Dominumque ſuum ambitioſè ſtipantium cuneos, Equites illuſtres, ornatu ſplendido penè rutilantes, vt ſcenæ quaſdam vmbras reſpicere, nec pluris facere, ſi exteriora ſpectentur, quàm apiculas regulum ſuum, vel ſcarabæum circumuolitantes. Quod faciliimè fit, ſi ad DEVM, tam nobili, tam numeroſo, tam inſtructo circumdatum Equitatu oculos mentis reflectamus. Quid enim ad hunc ſunt Regum omnium qui ſunt, aut ante nos fuerunt in Equis copiolæ? Quod vt vobis perſuadeatur, vagemur non corpore, ſed animo, & luſtremus præcipuas Principum Regumque aulas, & in ijs ſtabula inuiſamus, vt comparatione cum Equitatu Imperatoris Noſtri factâ, vileſcat tum tel quus omnis, tum hic etiam ab Equis & Equitibus pompæ mundialis faſtus.

PRIMO deferamur ad palatium ingens *Magni Cham*, cui excubant, (a) domeſticorum teſtimonio, duodecim Equitum millia: æſtimatur ab equitatu potentiſſimus, & cenſetur habere numeroſiſſimum, quo ſuperet reliquos orbis Principes. Rex *Narſinga* habet Equitum millia viginti, quibus pacis belliique tempore ſtipendia largitur. Quem Equitum numerum *Rex Perſarum* educere poſſit, conſtat ex apparatu bellico, qui curatus fuit tempore bellorum, inter Iſmaëlem & Selimum primum Regem Turcarum, inter Iſmaelem & Solimanum; inter Cadabendam & Amurathem tertium geſtorum. Nemo enim horum Regum habuit vllo in loco contra Turcam vltra xxx. Equitum millia.

Rex *Abaſſinorum* aut Imperator, quem *Pretejannem* appellant Europæi imperitè, habet Religionem militarem, quæ ſub protectione S. Antonij procedit, ex quâ ſeliguntur XII. millia Equitum, qui Regem comitantur & ad nutum aduigilant. In *Suecia* & *Gothia* numerâtur circiter XXXII turmæ Equitum, quarum vnaquæque eſt quingentorum aut ſexcentorum militum ſclopos humeris geſtantium. Rarò haſtis aut lanceis vtuntur propter Siluarum frequentiam. At Suecorum relatione, Equitatus Suecicus, ordine conſueto, in XIII. Turmas diuiditur, quarum XI. *Suecia* & *Gothia*, duas *Finlandia* ſubminiſtrat.

(a) Nota.

ſtrat. Addunt, neceſſitate perurgente, poſſe multo plures colligi. In *Marchiâ* tanta eſſe dicitur Equorum copia, vt ferè nihilo venundentur. Et hæc quoque prouincia ad Gothiam ſpectat. Reges *Galliæ* olim alebant quattuor millia lancceariorum, & ſex millia Sagittariorum. Vna lancea trahebat ſecum vnum Sagittarium; & ex conſequenti vna turma Lancearum aliam turmam Sagittariorum, quæ ſolo ſigno diſtincta erat. Impendebatur in hanc militiam vna myrias, & CCC. aureorum millia quotannis. *Muſcuæ* Magnum Ducem ſunt qui dicant, trecenta Equorum millia educere poſſe. At hi equos numerant non Equites. Hos qui exprimunt, adfirmant, cogere eum poſſe centum quinquaginta millia: & narrant ab Ioanne III. in expeditionem Aſtrachanenſem educta Equitum millia Cxx. quot à Dario aduerſus Alexandrum producta ſcribit Curtius. De Polonis & alijs dictum eſt ſuperius.

VERVM, fiat iam collatio cum immenſo illo Ducis ſupremi Equitatu cæleſti, nonne vileſcet animo pompa quæcumque cuiuſcumque aulæ equeſtris? Et tamen nos extollimur, ſi vel caballum vnum alterúm-ue, quamuis luſcum & ſtrigoſum parens noſter alat, quid ſi Equites? quid ſi dum proficiſcitur, vnum ante ſe Equitem, alterum ponè habeat, ad latus puerum à pedibus, mancum licet, aut claudicantem? tunc felicitate Principum filijs nos pares putamus, exſilimus, ſaltitamus. Hæc nobis ſuperbiendi eſt cauſſa: hoc à DEI cultu exquiſitiore nos retrahit: hoc ab ingreſſu Religionis retardat. Egon, Monachus? egon' Anachoreta? egon' Ieſuita? cùm in patris mei ſtabulo quattuor hoſpitentur equi? cum aliquando ad illam fortunam, ad quam aſpiro, peruenire poſſim, vt ipſemet equitem? equos alam? Turmam vnam ducam! O curuæ mentes! ô corda ficulnea! ô cæca pectora! vtinam ſaperent, & nouiſſima prouiderent. Diſcite, & Vos, (*Cara mihi Capita*) hæc & iſtiuſmodi pompam ſpernere: diſcite res mortales omnes, quanti ſunt, id eſt, nihili, facere. Quod expeditiſſimè fit per comparationem declaratam. Occurrat vobis frequenter: *Millia millium miniſtrant* DEO, *& decies millies centena millia aſſiſtunt ei. Currus* DEI *decem millibus multiplex: millia lætantium. Numquid eſt numerus militum eius?*

HANC collationem non raró inſtituiſſe opinor ALEXIVM Romanorum nobiliſſimum, cuius parens trecentos alebat famulos, qui idcircò [illegible] hæc reſpuens, ad imitandum Dominum potentiorem primà nocte nuptiarum, relinquens intactam ſponſam illuſtrium orbis Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit. Quibus in itineribus, cùm ignotus ſeptendecim annos fuiſſet, aliquando apud Edeſſam Syriæ vrbem, per imaginem Sæ Virginis MARIÆ, eius nomine diuulgato, inde naui diſceſſit. Ad portum Romanum appulſus, & à patre ſuo, tanquam alienus pauper hoſpitio exceptus, apud eundem, omnibus incognitus decem & ſeptem annos deliuit, relicto, circa finem vitæ ſcripto ſui nominis, ſanguinis, vitæque teſtimonio. Neque ſine eâ comparatione, LOTHARIVS Imperator, à quo Lotharingia nomen accepit, cum antea Auſtraſia diceretur, magnifico ſemper cinctus ſtipatorum comitatu, & Imperio annis quindecim iuſtè ac piè admini-

miniſtrato, humana omnia pro nihilo habere, ac deſerere, & Monachus fieri ex Imperatore in animum ſuum induxiſſet: quod factum Anno DLXV.

Eadem illa collatio iuuit ac inſtigauit VGONEM, qui ſimul Prouinciæ Rex ac Imperator fuit, vt rebus multis bello præclarè geſtis, multis cumulatus victorijs, Imperatorias opes ac clientelas, purpuram quoque Cæſaream, cum vili tunica, & ſolitaria cella commutarit, Anno DCCCC XX. Denique, ea ipsâ comparatione didicerunt omnem Mundi apparatum, pompam, oſtentationem, vt nugas, habere, puerorumque ludicra & RACHISIVS Rex Italiæ, qui ſpretis omnibus in Caſſinenſe monaſterium ſe recepit; & PIPINVS Italiæ item Rex Caroli Magni primogenitus, qui Veronæ ad Cænobij clauſtra perfugit; & BAMBA Rex Hiſpaniæ, qui pompas omnes monaſticæ vitæ poſthabuit; & VEREMVNDVS Rex Caſtellæ; & RAMIRVS Rex Aragoniæ; & SIGEBERTVS Rex Northũbriæ; demum, ne ſingulos nominem, cum plures ſexcentis inueniantur, nominatis haud multo diſpares, tot Regum, Principum, Ducum filij (nam Comitum, Baronum, Dynaſtarum, ſimiliumque numerus iniri non poteſt, qui deſpectâ omni aulæ ſeculique pompâ, volentes, lubentes ſe Religioni deuouerunt.

MEMBRVM V.

EQVITATVS ANGELICI NVMEROSITAS *magnam ingenerat belli tempore, & in quolibet periculo, erga Dominum Exercituum fiduciam.*

AD hæc, numeroſiſſimi illius Equitatus diuini conſideratio auget mirum in modum fiduciam, belli tempore, maximè ſi bona cauſſa foueatur. Inuadat patriam coniunctis viribus, Thrax, Scytha, Cappadox, Turca, Saracenus, conſpirent Principes vicini, Reges vniuerſi in vnum coëant: veniant cum centum millibus ab Oriente, adducant ab Occidente totidem; ab Aquilone millibus CCC. ab Auſtro decies centenis millibus impetum faciant: quatuor Archidæmones excitis Inferni cohortibus tartareos omnes moriones equis velociſſimis & cataphractis imponant, & hominum turmis iungant, quod nondum tamen factum, ne metuas: nunquam millecuplam Equitatus Diuini partem conficient. Quare ſi DEO curæ ſis, nihil copioſæ illæ contra te poterunt. Muſcarum ſunt agmina, quid expaueſcis? Millia millium, & decies millies centena millia Equitum ad ſubſidium tibi parati ſunt. Horum enim munus eſt, ad quamlibet piorum neceſſitatem accurrere, eoſque propugnare. Ideò vocantur in Sacra Scriptura *Cornua*, quia pro hominum ſalute contra hoſtes ferociſſimos præliantur. Ita conſolabatur ſuos S. Poſthumius ſermone exhortatorio ad Fratres. *Si aduerſus vos conueniunt caſtra Dæmonum, poteſtis vos multum adiuuare agminibus Angelorum.* Et S. Hilarius omnes verè orthodoxos, in Pſalm. CXIV. *Iis qui ſtare volunt in Eccleſia Catholica non deſunt Sanctorum cuſtodia, & munitiones Angelorum.* Et rurſum:

Angeli Eccleſiam quadam cuſtodia circumſepiunt.

ITA in ſpem erigebat familiarem ſuum Eliſeus Propheta. Cùm enim Rex Syriæ miſiſſet equos, & currus, & robur exercitus ad capiendum Prophetam, (*a*) iamque circumdediſſent ciuitatem, famulus Eliſei, vt vidit exercitum in circuitu ciuitatis accurrit ad Magiſtrum ſuum, clamauitque trepidus, *Heu heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* Reſpondit Eliſeus, *noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis.* Cùmque oraſſet, ait, *Domine aperi huius oculos, vt videat.* Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: *Ecce mons plenus equorum & curruum ignitorum* in circuitu Eliſei. Cùm irruente Lyſia, Iudas Machabæus ſuis auxiliatum iret, *Apparuit præcedens eos Eques in veſte candida, armis aureis, haſtam vibrans,* vt refertur in ſecundo Machabæorum, (*b*) Nimirum, vt noſtri Equites ferro, ſic Angelorum Equitatus auro interdum cataphractus pulcherrimo ſchemate apparet. Contra Timotheum Aſiatici exercitus Ducem, cùm pugnaretur à Iudæis, *apparuerunt de cælo* (libro ſecundo Machabæor. 10.) *viri quinque in Equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes.* Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruabant: in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant.

His ſimilia multa acciderunt apud nos, in Imperij tumultibus proximis, per Equitatus Angelici ſubſidium cælitus tranſmiſſum ſignatè Imperatori FERDINANDO Auſtrio, & MAXIMILIANO Electori Bauaro: quæ ſuum locum habent, vbi fuſius enarrantur, in libro, qui *Auxilia Sociorum Eccleſiæ Militantis* exhibet: inter ea enim primas habet Equitatus Socialis Angelorum, & fortiſſimus, & fideliſſimus, qui pace belloque nobis ſuam offerunt paratiſſimam operam, ac inuictum robur, qui nocte vnâ patriam ab hoſte numeroſiſſimo liberare poſſunt, qui vnâ nouaculâ centenis millibus momento iugulum incidere, qui vnico flagello innumerabilem aduerſariorum turbam abigere, qui non tantum ſcipionem ferunt, vt peregrini, quamuis & illo caput aduerſarij feriant, ſed clauam quoque vt Milites, & armati enſe, vt pedites, lanceâ, vt Equites, pacem offerunt & bellum. Sic olim Q. Fabius Carthagine in curiâ ſinu è togâ facto, *pacem,* inquiebat, *& bellum portamus, vtrum places?* Pacem ferunt Angeli hominibus bonæ voluntatis, bellum rebellibus, ac interitum frequenter repentinum adoleſcentibus deſperatæ emendationis, quia obſtinatæ impietatis, ſicut quibuslibet hominibus inſignitæ improbitatis.

(a) *Lib. IV. Reg. 6.* (b) *Cap. 11.*

MEMBRVM VI.

EQVITATVS ANGELICVS IN EQVIS ALBIS.

EXHIBVIMVS hactenus Equitatus Dei vnam partem, eamque nobiliſſimam ac numeroſiſſimam, quam conſtituunt Angeli. De quibus potiſſimùm intelli-

telligitur, quod ſcribit Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi cap. 19. vbi cum produxiſſet Dominum è cælis egredientem, tanquam Equitem, hoſtes ſuos debellaturum, ſubiungit: *Et exercitus qui ſunt in cælo* (nimirum Angelorum, & hominum Beatorum) *ſequebantur eum in equis albis.* Per quos licet nonnulli (a) Sanctorum incorrupta corpora denotari exiſtiment; magis tamen accommodatè ad ſenſum litteralem, Angelis, & Beatis alijs, dantur Equi albi ſymbolicè, per quos ſignificetur victoria ac triumphus, vt præclari aliquot Interpretes adnotarunt. (b) Sic Zacharias Propheta cap. 1. vidit Angelos hominum Cuſtodes in equis albis ſedentes. At cur Angelorum Equis albus color maximè conuenit? An quia, vt non tantùm, quod paulò ante dictum, victoriam ac triumphum hoc colore indicent, verùm etiam pretium, generoſitatem, æſtimationem? Erant olim Equi albi, & ſunt etiamnum alicubi in magnâ æſtimatione, pretij minimè vulgaris; habebantur nobiles, magnanimi, regij, immò diuini. Quare quem honore excellentiſſimum faciunt Poetæ, albo imponunt, aut albis quadrigis vehi comminiſcuntur. De Amphiarao Statius:

Oebalios ſublimis agit Spes maxima palmæ
Amphiaraus equos, tua furto capta propago
Cyllare, dum Scythicas diuerſus ad Oſtia ponti
Caſtor Amiclæas remo permutat habenas,
Ipſe habitu niueus, niueis dant colla iugales
Concolor eſt albis, & caſsis & infula criſtis.

Platonem vt ſummo honore afficeret Dionyſius, vittatam nauem miſit obuiam: ipſe autem quadrigis albis egredientem è littore excepit: hunc honorem habuit Philoſopho, vt Sapientiæ Antiſtiti, quod alicubi ſcribit Plinius. Addunt alij, Tyrannum ipſum aurigam egiſſe cum veheretur Plato trahentibus albis quadrigam equis. Apud antiquiſſimos Romanos non niſi Deorum cultui niuei Equi erant tranſcripti. Ob quam cauſam conflata fuit in Camillum inuidia cum Equis albis in triumphi pompâ vteretur, quo clarior, quàm gratior populo Romano eius triumphus fuiſſe ſcribitur. Magnificè Liuius, Libro V. *Aduentus Dictatoris omnibus Ordinibus obuiam effuſis celebratior, quàm vllius vnquam antea fuit: Triumphuſque omnem conſuetum honorandi illius diei modum aliquantum exceſsit. Maximè conſpectus ipſe eſt curru* Equis albis *iuncto Vrbem inuectus: parumque id ciuile modò, ſed humanum etiam viſum. Iouis Soliſque Equis æquiparatum Dictatorem in religionem, etiam trahebant: triumphuſque ob eam vnam maximam rem clarior quàm gratior* fuit. De eodem Plutarchus: *Quadrijugas albas conſcendit, & Romam ingreſſus eſt, quod nemo Dux, nec ante, nec poſtea fecit: eo quod iſtiuſmodi currum Regi ac Patri Diuûm conſecratum crederent.* De poſteriori æuo erratum puto: nam ita triumphaſſe aliquos ſatis Ouidius inſinuat, prædicens aut promittens triumphum:

Quattuor in niueis aureus ibis equis.

IMPERATORES Perſarum nunquam progrediebantur in publicum, ſiue ad bellum proficiſcerentur, ſiue ad ſacrificium ſe conferrent, quin *Currum* Iouis & Solis præmitterent: vtrumque autem fuiſſe *Album* Xenophon ſcribit, & quidem illud ex Cyri inſtitutione. Eleganter Curtius (c) exhibens ordinem agminis, quo proceſſit Darius ad Euphratem: *Currum Ioui ſacratum* albentes *vehebant* Equi. *Hos*

(a) *Hierony. Iſa. 66. Gregor. Apsbert. Viegas* (b) *Ribera, Cornelius, Victoria.* (c) *Lib. 3. Cap. 9.*

eximia magnitudinis Equus, *quem Solis appellabant, ſequebatur. Aurea virga, & albæ veſtes regentes equos adornabant.* Sic & *Angeli*, vt in *Albis Equis*, ita ipſi *Albentes* toti ſæpe ſunt viſi, & albâ induti veſte pinguntur. Hic color maximè conuenit puriſſimis Spiritibus: albi ſunt innocentiâ, ſanctitate, candore. Nihil in ijs eſt atrum, nihil obfuſcatum: nulla in ijs peccati macula, nulla ſimulationis obſcuritas: albi ſuper niuem ſinceritate. Candor gratus eſt Angelis color in paludamento, ſed gratior in animo. Vis placere niueis illis Spiritibus? candidum te præſta mente & corpore: illi candorem conciliat caritas: huic caſtitas. ANGELVM ad ſalutandū B. mam Virginem MARIAM miſſum exiſtimat S. Auguſtinus (d) veniſſe ingreſſu mirabili, facie rutilante, veſte coruſcante, quod eſt chamydis ſplendētis ac niueæ. Quam ita propriam Angelo exiſtimauit Seuerus Antiochenus, vt aliûs coloris amictu vti nulli Angelorum liceat: quod inane eſt figmentum. Decet Angelos niueus ille habitus, non tamen ita, ac ſi eis purpura, quemadmodum olim Romanis fæminis, aut alius color ſit interdictus.

(d) *Serm. xiv. de Natiu.*

MEMBRVM VII.
EQVITATVS ANGELICVS ALATVS.

EST etiam hæc pars Equitatus DEI, quam efficiunt Angeli, *Alata*: ita, vt non Equi tantùm ipſorum alas habeant, ſed ipſi quoque Equites, quorum ſinguli velut Pegaſo vehuntur. Alas appingi Angelis vſitatiſſimum eſt, & primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe vſurpatum, teſtis eſt S. Dionyſius Areopagita; & idcirco id fieri innuit, quod in Angelis nihil ſit ſordidum, nihil è terrena fece corruptum, nihil maculatum, nihil luteum. Poſt Dionyſium, Alarum Angelicarum meminit S. Chryſoſtomus (a) & nominatim Gabrielem alatum pingi adfirmat ad ſpiritalem intelligentiam, vt grati ſemper recordentur mortales mirandi volatus è cælo in B. mæ Virginis Nazarethanum conclaue, vbi Legationem ſuam expediuit Angelus, & tanquam procurator Altiſſimi, Virginis aſſenſum expetijt & obtinuit ad cæleſtes nuptias, vnde Orbis dependebat ſalus. Monet tamen prudenter Orator, pro myſteriorum ignaris, non fuiſſe creatum Gabrielem à DEO Alatum: ſed *Alis* Angelicis indicari pernicitatem promptitudinemque ad obſequendum mandatis diuinis: nam nihil ijs eſt velocius, cùm DEVS quidpiam imperat, aut è Spiritibus illis aliquem, quocumque tandem, mittit.

ALÆ volucrum & ſagittarum, immò ventorum, curſus etiam ceruorum, aut tigridum, volatus aquilarum, velocitas nubium, rotatus orbium cæleſtium, ſi cum Alis Equitatus Angeli conferantur, tarditatem ſuam produnt. In horum Equitum Alatorum admirationem raptus exclamabat Pſaltes Regius: *Domine* DEVS *meus magnificatus es vehementer! Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* (b) *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*, Pſalmo CIII. Eorum vtinam nos imite-

(a) *hom. 3. de incomp.* DEI *natura.*

(b) *Pſ. 103.*

imitemur exemplum, & quocumque nos DEI nutus deſtinarit, tanquã Angeli veloces, alatis bonæ voluntatis, & potentiæ exequutiuæ plantis, properemus.

NOTÆ.

§. I. NVMERVS Angelorum.] *Legendi Scholaſtici, 1. p. quæſt. 50. ar. 3.* Suarez *lib. 1. cap. 11.* Vaſquez *diſp. 180. cap. 2.* Tannerus *diſput. 5. dub. 6.* Nicolaus Serarius *in Tobiam cap. 12. q. 4. & 5.*

§. II. EQVITATVS CHAM] *Legendus* Ioannes Botterus *de Imperijs mundi. Auctor Theſauri Politici, Apotheleſmate 15.*

§. III. MAXIMILIANVS *Bauarus*] Legatur *Ieremias Drexelius* in Horologio Angeli Cuſtodis, Hora V. Noctis cap. 2. *Florus* Germanicus. *Gloria* bellica Bauari.

§. IV. EQVVS albus] *Hinc Equis albis præcurrere, aut quadrigis.* Horat.

Barros vt equis præcurreret albis.

Plaut. *Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubduxerit,*
Nunquam edepol albis quadrigis
(Citis) *indipiſces poſtea.*

Vetus Interpres.

Qui candore niues anteierit, auſibus annos.

Seneca. Ibi vnus ex his *Equus*, qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementêr commouit Regem.

Horum Equorum nobilia ingenia celebrat Dio Chryſoſt. Maximus Tyrius, Themiſtius, Philoſtratus.

§. V. EQVITATVS alatus.] *Alæ etiam dicitur equitum turma, quod pedites tangant alarum vice: nam circum legiones Equites ponuntur dextra ſiniſtraque tanquam alæ in auium corporibus.* Alæ *auium ſunt, ſedet nauium.*

Velorum pandimus alas.

Alæ *ſumuntur pro velocitate, ab effectu, nam illam efficiunt. Virg. l. 3. Æneid.*

Ventis & fulminis ocyor alis.

Dicuntur *Alarij Equites: Cohortes Alariæ.*

Mercurius fingitur, pingiturquè alatus humeros & pedes. Solis Equi alati. Virg. 4. Æneid.

Vt primum alatis tetigit magalia plantis.

Alipes, velox, velut alas pedibus adnexas habens. Virg. 2. Æneid.

Alipedumquè fugam currus tentauit equorum
Silius lib. 7.

Alipedum planta curru premit.

§. VI. PEGASVS alatus] Strabo *lib. 8. Fama eſt Equum Pegaſum cum potaret hoc loco à Bellerophonte deprehenſum fuiſſe, alatum, inquam, caballum, è Meduſa ceruice, & de Gorgonis erecto gutture proſiliente. Hoc Equo vſus eſt Bellerophon in expeditione contra Chimæram. Idem cùm Helicona euolaſſet, ſaxum vngula feriens fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene, fons equinus, vel caballinus eſt appellatus. Poſt hæc, rerum terreſtrium tædio ductus, in cælum dicitur euolaſſe, ibiquè inter Sidera conſtitutus Arcticum circulum ſpectare, pedibus æſtiuo orbi adnixus, extremo ore caput Delphini tangere, & Aquarij manum dexteram ceruici ſuæ adiungere.*

Pegaſeus volatus. *Catull.* ad Camerium
Naſi Pegaſeo ferar volatu.
Pegaſeium. Perſius,
Coruos Poëtas, & poëtrias picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

§. VI. ALÆ S. Michaëlis.] *Scio cum*

Sarcaſmo obijcere ſimplicioribus Catholicis Nouatores, aſſeruari in neſcio quâ regione, inter ſacra lipſana, & Cælitum Reliquias Alam S. Michaelis: *ſed homines iſti plumâ ſunt leuiores, qui benè apud nos inſtitutis pueris non perſuadent quod meditantur, cum docti ſint, quas* Michaeli, *alijque Angeli* Alas *habeant: certè, non alias, quàm figuratas, velociſsimæ obedientia indices.*

COMMENTATIO III.

EQVI ANGELORVM

Vidi cælum apertum; & ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat: & pugnat. Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in Equis albis. Apocalyp. XIX. 11. 14.

MEMBRVM I.

POMPA CHRISTI ASCENDENTIS *in Cælum, Equitatu Angelico comitante.*

SPLENDIDISSIMAM fuiſſe pompam in cælos Aſcendentis Chriſti Domini dubitari non poteſt, quãuis in dubium vocetur, quo habitu, quo geſtu, quomodo eò peruenerit. Rem paucis abſoluit Lucas hiſtoricus in Apoſtolicis Actibus Cap. 1. *Eleuatus eſt*, inquit, *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo Viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* Obſerua mecum, *τὸ Eleuatus*: non ſubitò raptus, vt Elias & Enoch, non furtim ſublatus, ſed propriâ virtute per dotem agilitatis in altum enitens: non ſcalis adiutus, non funibus attractus, non Angelorum manibus fultus, etſi Angelico comitatus Equitatu, & obſequio. Equitatum dico Angelicum præceſſiſſe Currum Chriſti triumphalem, ſubſequutum etiam, ac carpento Victoris circumfuſum. Quod CVRRVM nominem, nemo miretur: nam non fruſtrà dictum eſt: *Nubes ſuſcepit eum.* Hanc Nubem fuiſſe Chriſto inſtar throni, aut deaurati gemmatique Currus, vel Sellæ geſtatoriæ perſuaſit ſibi Epiſcopus Abulenſis Actuum Interpres doctus. Et ſanè, commodiſſimè ſic concipitur inter tot myriadas Equitum Angelicorum, antecedentium, comitantium, ſubſequentium in cæleſtem aulam inuehi. Porrò, nobiliſſimam Equitatus Diuini partem, eamque numeroſiſſimam conſtituere Angelos, ex ijs, quæ proximè antecedente Commentatione diſputata à nobis ſunt, ſatis eſt manifeſtum. Quoniam autem Eques non eſt abſque Equo, quo vehitur, & quem regit; vt efformetur, & mentibus noſtris obuerſetur pulcherrima ſpecies *Equitantium Angelorum*, ignorari non debet, quoſnam *Equos* habeant. Ex hiſtoria autem Aſcenſionis Dominicæ multa nobis innoteſcunt, quoad

Equo-

Equorum, Equitumque illorum conditiones, quia totum hunc de Equitatu Diuino locum illuſtriorem facient.

IMPRIMIS, dum audio: *Cùmque intuerentur euntem illum, ecce duo Viri in veſtibus albis*, Equitum, Equorumque illorum colorem penè aſpicio. Nam duo illi Viri duo fuerunt Angeli in adſumptis corporibus, tanquam in Equis (vt paullò poſt explicabitur) quorum phaleræ, & ornamenta fuère candidiſſima. Duo autem illi vltimum ſequebantur agmen Equitatus Angelici, quo properante cum CHRISTO, ſubſtiterunt, & Apoſtolis ſe videndos præbuerunt, dixeruntque, *ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem:* hoc eſt, in eadem gloriâ, ſplendore, maieſtate, eodem niueo, vt nos ſpectatis, equitatu. Vnde S. Ioannes, dum refert ſe vidiſſe CHRISTVM deſcendentem de cælo nouiſſimis mundi diebus ad debellandum Antichriſtum, & Tartareas omnes legiones (*a*) *Vidi*, inquit, *cælum apertum, & ecce* Equus albus, *& qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum Iuſtitia iudicat, & pugnat. Et Exercitus, qui ſunt in cælo ſequebantur eum in Equis albis.*

At qui ſunt Equi Angelorum?

(a) *Apocalyp.* xix.

MEMBRVM II.

DESIGNANTVR ANGELORVM EQVI.

ANGELVM, vt EQVITEM, bifariam conſiderare poſſumus. PRIMO. quatenus in ipſo quædam diſtinguuntur, quorum aliquid ſe habeat, vt Equus, aliud vt Inſeſſor, aliud vt Ephippium, aliud vt Frenum. Nam Angelus, licet non ſit compoſitus ex corpore & anima, vt homo: non enim eſt corporeus, quemadmodum olim opinati ſunt Quidam; componitur tamen ex *Subſtantiâ* ſuâ ſpirituali, & proprietatibus, quæ ſunt; *Intellectus, Voluntas, & Vis motiua.* Itaque concipe *Subſtantiam* Angelicam, veluti *Equum*; cui inſidet, Equitis inſtar, *Voluntas*: quæ inſtratum habet, & quoddam veluti *Ephippium*, illum Modum, cui nomen eſt in meâ Theologiâ *Locabilitas.* Tam autem *Equus*, quàm *Eques*, Vi, ſeu *Potentiâ* motiua eſt *Alatus*: nam per eam fit, vt celerrimè,

—— *ventis & fulminis ocyor alis,*

in quamcumque partem ſe transferat Intellectu, veluti Freno, gubernata: & Imperij diuini, ceu calcaribus exſtimulata. O pulcherrimum Equitem! SECVNDO. conſideratur totus *Angelus*, tanquam *Equus*, inſidere corpori, in Equi formam aptato. Et quidem ſi de his Equis ſit ſermo, quibus vehi videntur, quando hominibus, tanquã Equites apparent, quid ſint, dicam, ſi detur mihi, ſic nonnunquã apparuiſſe: quod eſt longè certiſſimum, cùm habeatur in Sacro Bibliorum Codice. Vt enim ſcribitur libro ſecundo Machabæorum cap. xi. Iudas ferocis Lyſiæ exercitum proſtrauit fretus auxilio miſſi cælitus Equitis. Machabæo enim & eius

militibus *apparuit præcedens eos Eques in veſte candidâ armis aureis haſtam vibrans.* Et eodem libro capite antecedente, *Cùm vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſarijs* Iudæorum *de cælo Viri quinque in Equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruabant: in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant. Ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant.*

Eqvos illos eſſe corpora quædam, ſicut ſunt etiam formæ illæ viriles ac militares, quæ ijs impoſitæ in oculos intuentium incurrunt, in confeſſo eſt apud Theologos. Nam ſi Angelus quiſpiam apparere velit hominibus, debet adſumere figuram aliquam corporatam, ſiue corpus ſibi certa quadam ratione coniungere, illudque mouere, propellere, dirigere, & in omnem partem, prout negotij, officijque, quod exhibet, conditio exigit, verſare. De quo eſt concinna, ac penè Scholaſtica decertatio S. Bernardi ſermone quinto in Canticum Salomonis; vbi, *Quattuor*, inquit *Spirituum genera nota ſunt nobis*: Pecoris, Noſter, Angelicus, & Qui condidit illos. *Non eſt ex omnibus, cui, ſiue propter ſe, ſiue propter alium, ſiue propter vtrumque neceſſarium corpus non ſit, corporiue ſimilitudo; excepto dumtaxat illo, cui omnis tam corporalis, quàm ſpiritualis creatura meritò confitetur & dicit:* Devs *meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (a) Subiungit deinde, quod huc maximè ſpectat. *Quod ſuper cæleſtes Spiritus opus corporibus habeant, illa maximè certos nos facit vera & verè diuina ſententia:* (b) Nonne omnes adminiſtratorij Spiritus ſunt, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis? (c) *Quonam ergo modo implent miniſterium ſuum ſine corpore? Denique, non eſt diſcurrere, neque de loco in locum tranſire, niſi corporum: quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quàm nota probat auctoritas. Hinc eſt quod & viſi ſunt Patribus, & ad eos intrauerunt, & manducauerunt, & pedes lauerunt. Ita inferior ſuperiorque Spiritus proprijs corporibus egent; ſed tamen quibus iuuent, non etiam iuuentur.*

Hæc corpora formant Angeli punctulo temporis ex aëre, aliquando in effigiē volucris, vt dum apparet ex ijs quiſpiam in ſpecie columbæ: aliquando in effigiem hominis; & tunc, vel Viri, vt agnoſcatur virtus, robur, magnanimitas: vel fœminæ; vt in apparitionibus fortaſſe multis factum, cùm ſe B. Virgo Deipara, vel è cæleſtibus aliæ videndas humanis oculis exhibuerunt. (Nam, quod falſitatis Magiſter Mahomet fingit, (c) de Angelorum quorundam ſexu fœmineo fidem nullam apud Chriſtianos meretur) aliquando in effigiem Equorum. Quamobrem Equi iſti Angelorum dici poſſunt *Aerei*; qui, cùm non indigeant hauena, paleâ, ſtramine, potu, perpendite vobiſcum, quàm ſit facile, horum aliquot myriadas educere, eorumque operâ diutiſſimè ad omnem expeditionem vti.

(a) *Pſal. xv. 2.* (b) *Ad Hebr. 1. 14.* (c) *Azoara LIII. & LXIII.*

MEMBRVM III.
EQVORVM ANGELICORVM COLOR.

QVAMVIS color iſtorum Equorum frequentiſſimè ſit candidus, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum, habent tamen interdum ab albo diuerſum, ſicut varias formas, & qualitates, quæ ſuam habent ſingulæ ſignificationem Symbolicam, & ad officium Angelicum, quod tunc temporis ab illis geritur, accommodatam. Quæ à nobis negligendæ non ſunt, aut ſine expoſitiuncula aliquâ omittendæ: præſertim, cùm lux hodierna ſit Sacra D. MICHAELI *Apparenti*, qui ſrequenter in Diuinis Scripturis, tanquam Equitatus cæleſtis Dux videndum ſe obtulit. Illuſtris eſt autem illa *Apparitio Angeli*, velut *Equitis*, & huic tempori accommodata, quæ habetur Zachariæ 1. cap. vbi videt Propheta Angelum liberatorem populi DEI ſtantem inter myrteta. At, quo ſchemate? Equitis armati. *Vidi*, inquit, *per noctem, & ecce Vir aſcendens ſuper Equum rufum: & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & poſt eum Equi ruſi, varij, & albi.* Per *Noctem* ſignificabatur calamitas, in quâ verſabantur tunc Iudæi, vt modò Chriſtiani Catholici, vagi, exules, afflictique: quæ in diem, lucem, ac lætitiam reſtaurationis Vrbis, ac Templi erat conuertenda; vti hoc tempore ſperamus, poſt ærumnas patienter toleratas Religionem orthodoxam, illiuſque decus reſtituendum, & patriam liberandam.

IN Nocte hac tribulationis & miſeriæ, *Ecce Vir*. Qui ille? Angelus Viri ſpeciem aſſumens. Angelum enim fuiſſe liquet ex verſu XI. vbi dicitur de hoc Viro: *Reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta.* Virum hunc fuiſſe Angelum MICHAELEM cenſent Hebræi, S. Hieronymus, Theodorus, & alij paſſim, cùm olim Synagogæ Iudæorum fuerit Cuſtos ac Patronus, vti nunc Eccleſiæ Chriſtianorum. Quod colligitur ex Danielis cap. X. & XII. & ſuo loco fuſius eſt demonſtratum. (a) *Inſidet Equo.* Qui indicat velocitatem, generoſitatem, ardorem præliandi, victorias, gloriam, ac triumphos S. *Michaelis.* Veniebat tunc quaſi celer ac feſtinus ad opem ferendam, quod poſtulabat Reipublicæ neceſſitas: quæ quoniam erat maxima, maximum ac generoſiſſimum Ducem, eumque victorioſum poſtulabat, qualis erat MICHAEL, in omnibus bellis ſuperior, ſemper triumphans. Nec myſterio vacat, quod *Equus* Michaelis fuerit *rufus*, ſpadicem vocat Theodoretus. Eſt autem ſpadix auulſus à palma termes cum fructu, qui quoniam puniceum refert colorem, hoc eſt, rubrum, cum exuberantiâ quadam ſplendoris, factum eſt, vt ſpadicem pro puniceo colore accipiamus, qui potiſſimùm in Equis commendatur. Quare non neglexit hanc notam deſcribens Equum generoſum Virgilius, Georg. III.

——— illi ardua ceruix,
Argutumque caput, breuis aluus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus, honeſti
Spadices, glaucique color, deterrimus albis.

O   Quocirca

(a) *Tom. 1. Libro III. Commentationis V.*

Quocirca exiſtimat Benedictus Arias Montanus per Equum illum rufum à Propheta deſignari Bucephalum, ſic dictum, quod capite ac colore ſimilis eſſet boui: boues autem communiter ſunt rufi, præſertim in Græcia, alijſque regionibus calidioribus. Illi inſidebat Alexander Macedo, Monarchiam à Perſis ad Græcos translaturus. SED aliud indicare volebat Propheta, qui populi Iſraelitici defenſorem MICHAELEM conſpiciebat in *Equo rufo*. Quo Equi colore exiſtimat Theodoretus ſignificari afflictionem Iudæorum. *Equus rufus*, inquit ille, *hoſtium conjurationem, & indignationem oſtendit: quia ſanguinarius ac rufus eſt furor.* Melius alij & conuenientius *Equiti Michaëli*, qui eo colore dicunt eius denotari acrimoniam, quod vindex acer properet ad ſumendam vindictam, & fundendum ſanguinem hoſtium populi ſibi commendati. QVID ſi dicamus, inſinuari colorem Equitis, cui ſit caput rufum, coma aurea, ſpadiceâ cæſarie, flauo capillitio, phœnicea barba pulcherrimum. Talis enim ſpecies haud indecens eſt Duci bellicoſo. Certè, fortiſſimis olim Germanis rutilas attribuit comas: pugnaciſſimos *Batauos*, qui nunc Hollandi, & eorum confines, Silius appellat *auricomos*; duellatores acerrimos *Britannos* cognominat *flauos* Lucanus, ſicut & Callimachus *Arimaſpos*. Menelao quoque Spartano, Meleagro, & Achilli heroibus maximi nominis flauam cæſariem attribuit Homerus. Quod ex arte phyſiognomicâ factum putant Eruditi: (c) nam in illa rufus color in capillo & barba, qui flauum, aureum, croceum, oſtrinum, ſpadiceum multaſque alias ſpecies differentes complectitur, indicat magnanimos, felices, bellatores inſignes: & habet neſcio quid regiæ, immò, diuinæ, vt opinabantur antiqui, originis, aut dignitatis. Sanè, *Commodi Imperatoris* ſtatua, vt Diuinitatis opinionem adferret, quaſi cœleſti quodam iubare caput eius circumdante, Coma erat auri ſcobe reſperſa, vt ſcribit Herodianus & *Antoninus Verus* Imperator idcirco fortaſſe, auctore Capitolino, tantam habuit curam flaueſcentium capillorum, vt capiti ramenta auri inſpargeret, quo magis coma illuminata flaueſceret.

HOC commendabat in Salomone Sponſa, quæ caput illius dicit (a) fuiſſe *Aurum optimum*, *comam ſicut elatas palmarum*: hoc eſt, ſicut vaginulas illas fructuum palmæ floreſcentium, ſuis filamentis ornatas, aut inſtar ramuſculorum palmæ flaueſcentium. Habuit enim Salomon, vt ſentiunt Cantici nuptialis interpretes plerique, cæſariem aureoſam & flauam Dauidis parentis per ſimilem, qui fuit rufus, colorem habens ſpadiceum qui nitet in elatis, ſeu dactylis palmarum. Regalium etiam virtutum index exiſtimabatur coma ſub flaua *Auguſti*, apud Suetonium, & rubra *Conſtantini* M. apud Cedrenum. Vniuerſim autem apud Romanos in precio fuiſſe flauam cæſariem videntur teſtari cognomina Flauiæ gentis, & Ænobardarum à barba rufa, ſeu flaua. Apud Hebræos verò *Equites* illuſtriores ita eo colore delectabantur, vt fuco vel arte illum in cæſariem inducerent. Quare illa pulcherrimorum iuuenum cohors, qui ſatellitium conſtituebant Salomonis, quem foros prodeuntem comitabantur,

(a) *Hadrian Iunius lib de Coma, Cap. 1x.* (b) *Gell. lib. 2. cap 16* (c) *Cant. 7.*

bantur, quotidie ramentis auri comam irrorabant, adeò, vt ad radiorum ſolarium contactum fulgor inſignis à capitibus eorum ſpargeretur: quod Ioſephus ſcribit (d) Itaque fas ſit concipere MICHAELEM Principem Equitatus Angelici in Equo rufo, & ipſum rufum, capillis ingradus fractis, intortis, vibratiſque, & elegantiſſimè, in modum criſpatæ reflexæque ad gratiam comæ à planitie frontis per verticem, & occipitium in humeros pendulis, ac fluitantibus: barba quoque quadratæ figuræ, aut pyramidalis, modica criſpitudine tornata, coloris item aurei relucẽtis. Vultu ſanguineo, ſiue ad decus virile, ac militare Ducis, ſiue ad hoſtium terrorem, ſiue ad animoſitatem, iramque, & vindictæ cupiditatem in aduerſarios conceptam, ſiue ad beneficum erga amicos animum, qui ſanguineorum eſt, demonſtrandum: cùm æquè ſuis ſit placidus, ac alienis terribilis.

(d) *Lib. viii. antiq. c. 2.*

MEMBRVM IV.

EQVI ANGELORVM, ALBI, RVFI, VARII.

SEQVEBANTVR Equitum Magiſtrum MICHAELEM Equi, vt loquitur Zacharias Propheta. Nam ſub Equis intelliguntur etiam metonymicè ſeſſores, de quibus ſtatim ſubditur: *Iſti ſunt quos miſit Dominus*. Hoſce autem *Equites* deſignare Angelos Regnorum, prouinciarumque Cuſtodes conſentiunt Scripturarum Interpretes. Et ſignatè, in plurali exprimuntur *Equi*, non *Equus*, quoniam ſinguli Angeli, vel potius Archangeli, vtpote Principes ac Præſides Gentium diuerſarum, non erant ſoli, ſed ſtipati ſuis Turmis Angelicis, tanquam Equitibus, quibus præerant. Quod multo magis ſentiendum de Principe ceterorum MICHAELE. At cuius iſti erant coloris? nominantur in hiſtoria Prophetica *Rufi*, *Albi*, *Varij*. De prioribus dictum ſatis. In colore vario opinionum eſt varietas, cùm radix Hebræa varia ſignificet: nempe, vel ſericeum, vt vertit Arias, qualis eſt color ſerici natiui antequam tingatur, qui vergit ad flauum ſiue fuluum, quo pacto legit Arabicus Antiochenus: vel croceum, qualis eſt auri; vel vinaceum, qualis eſt color vuæ optimæ, ita Marinus: vel ſpadiceum, qualis eſt ſurculi palmæ cum fructu, qui eſt coloris punicei. Sed LXX^ta Interpretes, Chaldæus, ac Vulgatus Interpres, vertunt varij; non nulli legunt, *Multicolores*. Fortaſſe, vt commentatur Cornelius, per colorem varium intelligitur medius, ideoque miſtus. Siquidem flauus color conficitur ex viridi, rubro, & albo, ob quam cauſſam fuluo eſt clarior, qualis eſt auri. Tandem Arabicus Alexandrinus legit: *Circum eum Equi rufi, & flammei, & fului & nigri*: alij, *pectinati*: alij denique *electi*.

COLORES autem iſti in Equis & Equitibus, vt docti Commentatores exponunt, ſignificant qualitates Angelicas, & Seſſorum varia munera. Nimirum, vt intelligatur, mitti *Rufos*, ad exercendam ſeueritatem, ac ſumendam vindictam. *Albos*, ad miſericordiam, ac beneficentiam, *Varios*, partim ad vindictam, partim ad

ad miſericordiam. Adhæc, denotabant qualitatem & conditionem Regnorum ac Gentium, quibus præſidebant: præſertim, eorum mores & affectus erga DEI populum, vt commentatur D. Hieronymus, eumque ſequuti, Haymo, Albertus, Remigius, Hugo. Atque ita *Equi Rufi* indicabant Angelos præſides gentium ſanguinolentarum, quæ Iudæam, & in eâ DEI amicos, bello, rapinis, cædibus crudeliter vexarant, vt Aſſyrij & Chaldæi. *Albi*, ob colorem lucidum lætumque, Præſides gentium pacatarum, neque in Iudæos crudelium: quales erant Perſæ ac Medi. *Varij*, ob mixturam colorum diuerſorum, Angelos præſides gentium, quarum varij erant affectus, inclinationes, ac motus; tum in bonam, tum in deteriorem partem; nunc ad pacem, nunc ad bellum: modò ad amicitiam, mox ad odium: tales fuiſſe Macedones & Græcos adfirmant Hebræi apud S. Hieronymum. Verùm, quoniam eo tempore nondum erat Imperium ac potentia Macedonum, accommodatius recentiores Interpetres aſſerunt, per *Equos, Equiteſque Varios* ſignificari Gentes varias Iudæis vicinas, quæ partim hoſtilitatem exercebant, partim cum ijs colebant amicitiam, & vel aliquando erant beneuolæ, aliquando illos infeſtabant. Quales cenſeri poſſunt Ægyptij, Tyrij, Sidonij, Syri, Ammonitæ.

SED, ſi altius lubet cogitationem erigere ad myſticam contemplationem, rectè dixeris, DVCEM illum belli ſpecie viſi deſignare Principem noſtræ Militiæ CHRISTVM Dominum. Cuius *Equus Rufus* ſit Natura humana, cui inſideat Deitas. Siquidem illam ſumpſit ex primo generis noſtri parente Adamo, qui à terrâ rufâ, ex quâ plaſmatus eſt à DEO dictus eſt Adam, id eſt, rufus: quamque affatim rubricauit ſanguine tum ſuo, tum hoſtili, ſecundum illud Iſaiæ: (a) *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? Torcular calcaui ſolus.* Sequuntur Dominum *Equi, Rufi, Albi, & Varij*, vel Apoſtoli, Martyres, Virgines; vel Eccleſiaſtici, Religioſi, Seculares: vel Angeli diuerſorum ordinum: *Michaël* cum ſuis, *Gabriel* cum ſuis, *Raphaël* cum ſuis. Si autem vnquam aliàs, certè hoc tempore frequenter *Equites* illi nobis aduocandi eſſent, frequenter ipſorum patrocinium inuocandum, frequenter orationibus ſolicitandi, precibus fatigandi: & nominatim S. MICHAEL in Equitatu cæleſti Equitum Magiſter ſupremo Principi proximus. Angelus quoque ille, quem hoc tempore calamitoſiſſimo peculiariter colo, qui in caſtris Sennacheribi centum & octoginta quinque millia vnâ nocte trucidauit. Conſpirate mecum, Dilecti, & hunc ANGELVM quem SENNACHERIBICVM appellare placet, quotidie ſingulari cultu veneremini. Quis ſcit an non faciet, vt olim ita nunc mirabilia Dominus? Vt tandem læti cantent Filij Altiſſimi, (b) *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia*; DEVS Vnus & Trinus, PATER, FILIVS, SPIRITVS SANCTVS. Amẽ.

(a) LXIII.I. (b) *Deuteronomij* XV.

NOTÆ.

NOTÆ.

§. I. ANGELORVM ſubſtantia.] *De Angelis, An ſint corporei, an planè incorporei, atque etiam ſimplices, & ſine compoſitione? diſputant Theologi in* 1. *partem S. Thomæ quæſt.* 50. *& cum Magiſtro in* 2. *diſt.* 8. *Legendi,* Caietanus *ad quæſt.* 50. Suarez *in Meta. diſp* 35. *ſect.* 3. *& lib.* 1. *in p. p. de Ang. cap.* 6. *&* 7. Vaſquez, *diſp.* 178. *cap.* 3. Valentia *in p. p. q.* 1. *p.* 2. *quæſt.* 2. *p.* 1. Molina, Tannerus, Ripa, *alijs in* 1. *p. De Vbi & Locabilitate Angel. diſputatur ab ijſdem in ſubſequentibus quæſtionibus, & articulis. Item, de Motu, & ſimilibus. Item, de Apparitionibus, & adſumptione corporum. Legendus etiam* Nicolaus Serarius, *Ioſue* v. *quæſt.* 46.

§. II. COLORES.] *Legendus* Antonius Thyleſius *lib. de Coloribus,* Hadrianus Iunius *libro de Coma,* Ioannes de Pineda *lib. ſexto de rebus Salomonis, vbi multus eſt in laudanda coma rufa cap.* 4. Spadiceus, puniceus, *ſiue* baius, *ſignificat colorem cum exuberantia ruboris, ſplendoriſque, qualis cernitur in ramuſculis aut termitibus palmarum, qui ſpadices appellantur. Apuleius.* Capillus ceu aureus coruſcans in mellis leuiter deprimitur vmbram: *id eſt, in quibus melleus color placet, vmbroſo quaſi fulgore promiſſus: bibellatores & ingenio præſignes ſunt.* Polemon *Capillos moderatè flaueſcentes dociles natura, mitiſque, & quæ ad felicem fortunam tendat, ſcribit eſſe.*

COMMENTATIO IV.

EQVITATVS ANGELICI

Quadrigæ. Bigæ. Currus Militares.

Vide, & ecce quattuor Quadrigæ egredientes de medio duorum montium. Zachariæ VI. 1. *Qui aſcendes ſuper Equos tuos, & Quadrigæ tua Saluatio.* Habacuc III. 8.

MEMBRVM I.

VSVS CVRRVVM MILITARIVM.

QVONIAM in Litteris Diuinis Equitatui Militiæ cæleſtis frequenter adiunguntur *Currus,* & DEVS ipſe velut Curru vehi, & Angeli è curribus pugnare deſcribuntur, ne horum notitia in his de Militia cæleſti commentationibus deſideretur, OBSERVO: *Currus* antiquiſſimis temporibus equeſtri Militiæ admiſtos fuiſſe; nec vanè diſputari, Antiquior ne in bello ſit curulis, an equeſtris pugna? Et ſunt auctores eruditi ac antiquitatis omnis ſeruatores induſtrij, qui curulem pugnam aurigantium antiquorem equeſtri faciunt celetum, ſeu ſolitariorum Equitum. Cenſet quidem Lucretius, E-

quum prius inſeſſum fuiſſe, quàm currui iunctum: contrarium tamen docent alij, & nominatim Palæphatus: eſtque id admodum probabile. Tum quia facilius docetur *Equus* currum trahere, quàm vectorem ferre. Tum quia citius aſſueſcit loris & ſcuticâ regi, quàm freno. Et ſanè Homerus nuſquam ſolitarios equos ad pugnam adhibet, nunquam Equites in ſuis iumentis ſeſſitantes ad conflictum inducit, argumento minimè inani, priores fuiſſe aurigarum quam celitum Equitum pugnas: nam *Bigas* perpetuò ac *Currus* nominat & deſcribit. Æſchylus ad currus adiunxiſſe equos frenigeros, qui pugnam meditabantur ſcribit. Martem militari curru ſublimem faciunt in bellis Poëtæ, & eius currum Vulcani arte fabricatum dicit Virgilius. Currum Iunonis bellicoſæ Carthagine aſſeruari idem canit. Denique, Auctores omnes antiqui haud obſcurè inſinuant, equos effrenes, & iniuges prius traxiſſe currum, quam frenales & iugatos.

ERANT autem varia *Curruum* genera. Vſitatiſſima, *Biga* & *Quadriga*: quibus nominibus non tam vehicula, quàm Equos biiuges, & quadriiuges ſignificari monent Iſidorus, & Budæus, à numero equorum *Vehiculum* dicebatur *Ciſium*, quod propriè duabus tantum rotis nitebatur: *Eſſedum* quoque & *Couinus* pro vehiculo vſurpantur. *Bigas* Lunæ tribuunt Poëtæ fictione ingenioſa, ſiue quod gemino curſu cum Sole contendat: ſiue quia & nocte videatur & die: copulant enim equum nigrum cum albo. Bigis pugnaſſe Heroës ſcribit Philoſtratus. *Quadrigas* ideò Soli adſignant, quia per quattuor anni tempora voluitur. Hectorem rexiſſe quadrigas Poëtæ canunt: Latinum quoque Regem Maro (*a*)

——— Latinus
Quadriiugo vehitur curru.

Pugnandi è curru hæc erat ratio. Duo Currum eundem aſcendebant, parabates & auriga, vt Homerus depingit. *Parabates*, ſeu *Hoples* armis pugnabat, auriga frenos regebat, & currum, Locus, quo vterque in curru ſtabat, dicebatur διφρος quaſi δισφορος, quod duos ferret, vt exponit Euſtatius: (*b*) *Staticulum* vocat Plinius (*c*) à ſtando. In eo ſtantem pugnantemque ſic oculis penè ſubijcit Virgilius: (*d*)

Intereà biiugis infert ſe Leucagus albis,
In medios, fraterque liger, ſed frater habenis
Flectit equos, ſtrictum rotat acer Leucagus enſem.

Alium pugnæ curulis modum exhibet Curtius (*e*) his verbis: *Summa virium in curribus: ſenos viros ſinguli vehebant: duos clypeatos, duos Sagittarios ab vtroque latere diſpoſitos auriga erant ceteri, haud ſanè inermes: quippe iacula complura, vbi cominus præliandum erat, omiſſis habenis, in hoſtem ingerebant.*

(a) *Lib. x. Æneid.* (b) *Lib. xxxiv 17. Lib. xxxvii. 10.* (c) *Lib. x. Ænei.* (d) *Lib. viii. Rador. ib.* (e) *Iliad.*

MEMBRVM II.

CVRRVVM MILITARIVM

Multitudo. Cura. Duces. Ciuitates.

CVRRIBVS iſtis *Militaribus* maximè fidebant Gentes, Iſraëlitarum hoſtes. (a) Vnde eſt iſtud Regis Hebræi experientia docti: *Hi in curribus, & hi in Equis: nos autem nomine Domini* DEI *noſtri inuocabimus.* Antiquiſſimus eorum vſus fuit in exercitu Pharaonis conſcriptus ad impediendum egreſſum Iſraelis ex Ægypto. (b) Tulit enim Tyrannus *ſexcentos currus electos & quicquid in Ægypto curruum fuit, & Duces totius exercitus.* Copia Curruum in aliquibus bellis fuit planè ingens. Lib. I. Regum (c) ſcribitur Philiſthijm congregaſſe ad prælıandum contra Iſraël triginta millia curruum. Et Rex Hanon, vt refertur lib. I. Paralipomenon cap. XIX. conduxit aduerſus Dauid, triginta duo millia curruum, quorum ſeptem millia Dauid, intercepit. Semiramis centum millia habuit, auctore Ctefia, apud Diodorum. Hinc ſingularis fuit cura, tum in parandis, tum in conſeruandis, & inſtruendis curribus militaribus, tanquam præcipuis in exercitu machinis: quarum adminiſtrationi conſtituebantur præfecti, vt indicatur in libris Regum. Eos Xenophon vocat *Duces curruum.* Alicubi etiam in ſacro Codice nominatur (d) *Ciuitas curruum*: nempe, in quâ vt in armamentario proprio ſeruabantur.

FORMA Curruum, vt ſuperius inſinuatũ, erat varia, vnde & denominatio, vel ex numero equorum quibus trahebantur, vel rotarum, quibus voluebantur, *Bigæ* nominantur ab Iſaia, (e) vidente in bigis aſcenſorem cameli, & aſcenſorem aſini, hoc eſt, Darium & Cyrum inuadentes Babylonem. Alibi, & frequentius nominantur *Quadrigæ*. (f) Nahum tertio capite *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & Equi frementis, & Quadrigæ frementis.* In his, ſi falces erant, ſummæ rotarum curuaturæ inſertæ: vnde *Currus* & *Quadrigæ falcata*, in quibus falces extra rotas in latera porrectæ, nunc ſurſum, nunc deorſum ſpectabant, magnum hoſtibus terrorem inferebant, magnam etiam cladem, ſi peritè immittebantur. *Bigas falcatas* appellat Pomponius Mela. (g) *Currus falcatos* Scriptura ſacra, narrans Iudicum I. Iudam non potuiſſe delere habitatores vallis, quia falcatis curribus vtebantur. Numerum exprimit Ioſephus (h) ter mille. Rex Iabin habuit, Duce Siſara, nongentos. (i) Territi his machinis filij Ioſeph cum proficiſcendum eſſet in terram promiſſam, dixerunt: (k) *Non poterimus ad montana conſcendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terrâ campeſtri.* Per ferreos currus intelligebant falcatos: falciferos vocat Silius. (l)

(a) *Pſal* XIX. (b) *Exodi* XIV. (c) *Cap.* 13. (d) *Cap.* XXI. 7. (e) NOTA. (f) *Lib.* III. *cap.* 6. (g) *Lib.* V. *cap.* 6. (h) *Iud.* I. 4. (i) *Ioſue* XVII. (k) *Lib.* XVII.

MEM

MEMBRVM III.

CVRRVS. BIGÆ. QVADRIGÆ.

in Equitatu Dei Militares.

VT non terrerentur Hebræi, aut ſaltem animum non deſponderent, & vt Diuini Equitatus effigiem hoſtibus maximè terribilem animo efformarent, voluit DEVS, vt Equitatus ſuus in Curribus, quoque conſpiceretur. Et ſanè, non eſt difficilius Angelis *Bigas*, *Quadrigaſquè*, quàm ſolitarios Equos, & eorum inſeſſores ex eadem aëris materiâ, citiſſimè concinnare. Profectò, Zacharias Propheta, qui capite I. viderat *Michaëlem* eiuſque ſocios, vt totidem Equitum tricolorum Ductores, idem capite VI. ſcribit ſe vidiſſe *Quadrigas* quattuor in quarum prima erant *Equi Rufi*, in ſecundâ *Nigri*, in tertiâ *Albi*, in quartâ *Varij* & fortes. Quærenti autem à Viſionis Interprete: *Quid ſunt hæc?* datum eſt reſponſum: *Iſti ſunt quattuor Venti cæli, qui egrediuntur, vt ſtent coram Dominatore omnis terræ. In qua Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis: & Albi egreſſi ſunt poſt eos: & Varij egreſſi ſunt ad terram Auſtri. Qui autem erant robuſtiſſimi exierunt, & quærebant ire, & diſcurrere per omnem terram.* Vt autem capite primo, *Equites Albi, Rubri, Varij* repræſentabant Angelos tutelares Iudæorum: ita capite ſexto, *Quadrigæ* quattuor denotant quattuor Angelorum Turmas quadrigis inſidentes, aut inſiſtentes pro DEI populo pugnantium, & ipſorum res ac commoda ſedulò curantium. Hi enim ſtant coram Domino ad eius mandata circa populi ſalutem exequenda accincti, & ad tutelam ſibi commiſſam ſeduli. *Hi ſunt quattuor Venti*, ſiue, vt eſt in originali, *quattuor* SPIRITVS *Cæli*, aut cæleſtes per quos intelliguntur Angeli, qui egrediuntur è Cælo, ſed inſtar Quadrigarum, aut quadrigis inſidentes, ad proficiſcendum quocumquè DEVS iubet. Sic quoque Danielis VII. vbi ſermo eſt de Angelis præcipuarum prouinciarum præſidibus, dicitur: *Ecce quattuor Venti cæli pugnabant in mari magno.*

PORRO, quattuor Quadrigas, ſiue Turmas Angelicas, ita licet diſponere, ſenſu Theodoreti. *Quadriga* quam trahunt *Equi rufi*, ſignificant Angelos vltores, ac ſanguinarios, qui egreſſi à Domino, manſerunt in Iudæâ, vt de hoſtibus vindictam ſumerent ac Iudæos tuerentur. *Quadriga*, quæ *nigris* erat inſtructa *Equis*, habebat Angelos deſtinatos in terram Aquilonarem, vt per Medos ac Perſas exſcinderent Babylonios Iudæorum inimicos. *Quadriga Angelorum candidorum* denotabat Spiritus miſſos, vt populum libertate à Perſis donatum, cum lætitia in patriam reduceret. *Quadriga Angelorum Variorum* miſſa verſus Auſtrum, deſignabat Angelicam Turmam, adſignatam Iudæis vt diuerſos inſidiatores contineret, ne patriam infeſtarent. Conſueuit autem Diuina Scriptura ad metum amicis DEI adimendum, hoſtibuſquè inijciendum Quadrigas Angelorum ad DEI nutum paratorum ante oculos ponere. Sic Libro quarto Regum cap. VI. cum miniſter Eliſei vidiſſet hoſtium exercitum in

circuitu

circuitu ciuitatis & equos & currus, atque ideirco ſpem penè omnem euadendi perdidiſſet, aperuit Dominus eius oculos, & vidit: *& ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Qui ſine dubio erant Angeli. De Curribus etiam, bigis ac Quadrigis Angelicis loquebatur Rex Dauid cum celebraret Currum multiplicem decem millibus vel inſeſſum, vel ſtipatum.

MEMBRVM IV.

DEI ZABAOTH-DOMINI EXERCITVVM

Currus. Biga. Quadriga.

NEQVE Angeli tantum è Quadrigis, ſed ipſe Dominus Exercituum, DEVS Zabaoth, dum tanquam ſummus belli Imperator in ſuo ſe Exercitu conſpiciendum dat, ex iis pugnare inducitur in Diuinis oraculis. Eius autem varij poſſunt nominari *Currus*. Deuteronomij XXXIII. exanimatur DEI populus: *Aſcenſor Cæli auxiliator tuus.* Vbi *Cælum*, quaſi *Currus* bellicus DEI Auxiliatoris exprimitur. Niſi velis concipere, tanquam *Equum*, nam in Hebræo eſt: *Qui Cælum equitat.* Cælum enim, totuſque Mundus eſt velut *Equus* ſeſſori DEI qui habenis Prouidentiæ ſuæ eum regit, & in omnem partem gyrat. Is, qui velut *Auriga*, aut *Seſſor Mundi* per omnia commeat, eſt Adiutor tuus: non diu expectandum eſt auxilium: nam celeriter & repente aduolat per cælos ac nubibus, quaſi Equis velociſſimis inequitans: & è cælo, tanquam è Quadriga proiice ſagittas, lapides, fulmina & fulgura iaciens. Non eſt, ô Iſrael, quod Chananæos, quod Philiſthæos, non eſt o Chriſtiane, quod Turcas, hæreticos, Dæmones timeas. Hoc enim Auxiliator tuus ex Zabo hoc & falcato curru pugnans vno lanceæ ictu confodiet. Quare animos cape nomine, quod geris, dignos, pugna viriliter, certò vinces & triumphabis. Ezechiel quoque vidit Currum Cherubicum, quaſi Quadrigam DEI, pergentis ad excidium ſuorum inimicorum, ſtipatum quatuor animalibus quorum formæ erant, Leonis, Bouis, Hominis, Aquilæ: de cuius myſterijs diſſerendum erit ſuo loco fuſius.

QVADRIGÆ alterius meminit Propheta Habacuc Cap. III. vt confidentiam in DEI auxilio ponendam perſuadeat: contingens enim Equus Quadrigæ, *Qui aſcendes*, inquit, *ſuper Equos tuos, & equitatio tua ſaluus.* Hic *Equi* & *Quadriga* DEI, ſenſu litterali, quia Poëticè loquitur Propheta, ſunt *Nubes*, quibus, quaſi inequitans DEVS, fulgetra & tonitrua iaculabatur in Ægyptios: iuxta illud Pſalmi CIII. *Qui ponis Nubem aſcenſum tuum*. hoc eſt, *Currum* tuum: quod non eſt aliud, quàm, qui nube pro vehiculo vteris. Et Pſalmo LXXVI. *Vocem dederunt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota.* Nempe, aut in rotis curruum Ægyptiorum, aut in Cælo, quod eſt inſtar rotæ. (a) Sic Poëtæ profani Iouis potentiam deſcribentes, illum fulminantem,

P Nubno-

(a) Iupiter fulminans.

[illegible] *alis* [illegible], vt [illegible] Quabus [illegible] [illegible] libros meos.

[illegible]

Atque [illegible] DEVS concipitur in *nubibus*, vt in *igne*, & in *quadriga*. Hinc enim [illegible] Cherubim [illegible] olim, [illegible] [illegible] rubrum.

QVA R E [illegible] *Prophetam* [illegible] *Quadrigam*, [illegible] *Testament*. [illegible] Curru [illegible] & [illegible] triumphalis Gloriæ DEI *Sebaoth*. [illegible] Cherubim [illegible] *Quadriga*. Tum [illegible] [illegible] duo Cherubim, quatuor & quadriformes, [illegible] quatuor animalium, *Leonis*, *Bouis*, *Aquilæ*, ac *Hominis*, habebant vultus, quasi quatuor [illegible] DEI [illegible] Ezechiel cap. 1. [illegible] quatuor Cherubinos. [illegible] *Psaltes*, [illegible] LEVI [illegible] DEI [illegible]

[illegible] DEI [illegible] Angelorum [illegible] & Domini [illegible] Sanctuario [illegible] DEVS, [illegible] DEI [illegible] *est*, in Sanctuario.

V T autem [illegible] DEVS [illegible] conciperetur [illegible] [illegible] Equorum [illegible] *super Equos tuos*, & *Quadrigas* [illegible] [illegible] DEI [illegible] Equos, [illegible] Quadrigas, non [illegible] [illegible] Quæ [illegible] [illegible] in Apocalypsi [illegible] DEVS, (a) & *Quadriga* [illegible] [illegible] Quasi DEVS [illegible] *Quadrigas*, [illegible] [illegible] hominum [illegible] Zacharias: [illegible] *quasi Equum gloriæ suæ in bello*. [illegible] quod [illegible] [illegible] DEI [illegible] DEI salutem.

(a) *Apocalyp. Cap. 6.* [illegible]

Membrum V.

Equi et quadriga Christi

[illegible]

[illegible]

[illegible] Angelo[illegible] [illegible] | [illegible] adeſt, aſcenditque ſuper e-
[illegible] Quis [illegible] | quos ſuos, & Quadrigæ tuæ ſunt SALVS?

[illegible]

N O T Æ.

§. I. ANTIQVITAS [illegible] *Antiquitus* [illegible] *in bello curulu an equo* [illegible] *pugna*. L[illegible] lib. v.

E prim [illegible] *repertum in equi* [illegible]
Et moderarier hunc [illegible] *dextraque* [illegible]
Quàm [illegible] *curru* [illegible] *tentare* [illegible].

Palæphatus de C[illegible] *dem* [illegible] *prof*[illegible] bello, [illegible] *in* [illegible] *ſedere*. [illegible] *in equo* [illegible] *vehebantur*. [illegible] Celeres, [illegible] Latinu de [illegible] *quod ex* [illegible] [illegible] *antes* [illegible] *reptantes*. Plinius lib. xxvIII. cap. 8. Pyrrhus Rex [illegible] & [illegible] pueri. *Virg. lib.* vIII, *Æneid.*

Parte [illegible] *Marti currumque rotaſque volucres*
In [illegible]*, quibus ille viros* [illegible] *excitat urbes*
Æneid I. —— *Hic illius arma,*
Hic currus fuit. —— ——

§. II. CVRRV[illegible] [illegible] [illegible] *in* [illegible] [illegible] Cornel. [illegible] *cap.* 6.

§. III. QVADRIGARVM Angelica[illegible] [illegible] Theodoretus [illegible] C[illegible] in Zachariam, [illegible] a Lapide: *eſt* [illegible]

§. IV. CVRRVS Cherubim [illegible] [illegible] *Hieronymus* Prad[illegible] *in Ezechiel* [illegible] Cornelius, *qui* [illegible] [illegible] *Valerianus lib.* vI *cap.* I.

§. V. [illegible] Curruum & [illegible] *Currus a* [illegible] *dicitur*, [illegible] *ad* [illegible] *Quadrigæ* [illegible] *Quadrigæ* [illegible] *phantum Quadrigæ*, Curru [illegible] *bantur*. Vehiculum, [illegible] *tur. Sumitur pro Curru*, [illegible] *quod ex omni parte* [illegible] *palam*, [illegible] *tur. Var. lib.* 4. [illegible] Vehes: *plauſtrum, aut* [illegible] *rius ve materia quantitas* [illegible] *ctara una vi* [illegible] C[illegible] *rus* [illegible] *rotarum*. [illegible] *impedimenta vehebantur*, [illegible] *vel rotarum ſtridore* [illegible] [illegible] *duas habens rotas*. [illegible] Carpentum, [illegible] *habens rotas* [illegible] [illegible] C[illegible] [illegible]

LIBER III.

EQVITATVS HVMANVS.

Equitatui meo in Curribus Pharaonis aſsimilaui Te, Amica mea. Canticorum. 1. 9.

COMMENTATIO I.

DE HOMINIBVS IN ECCLESIÆ MILITANTE

Equitatum Humanum [illegible] Exercitum, & Chriſti Imperatoris [illegible].

MEMBRVM I.

EQVITATVS DEI DVPLEX *Angelorum & Hominum.*

EQVITES habebat olim [illegible]

[illegible]

[illegible]

Membrum II.

COMPARATIO EQVITATIS

[illegible]

I[illegible] Divinæ [illegible] Dei [illegible] Hæc [illegible] Principes [illegible] Apoſtoli, Doctores [illegible] contra Mundum, Carnem, & [illegible]

[illegible] Quorum [illegible] Communiorum [illegible]

Ab [illegible]

[illegible]

[illegible] non ſolùm perditum, ſed & Equitatum ſuperpoſitum in exercitu Domini [illegible] hominis ſunt, intellige communiter, non quod aliqui non ſint Equites, immò, ijdem quoque ſuo tempore ſunt Equites) *Angeli autem ſunt* communiter *Equites, propter maiorem ſuam agilitatem.* Non poterant Pedites ſoli, quales erant Iſraëlitæ, deſtituti Equitatu, reſiſtere equis & curribus Ægyptiorum, & Pharaonis. Ideò clamarunt ad Dominum, & miſit illis Equitatum terribilem Equitatui Pharaonis. Et hic Equitatus Angelorum interfecit hoſtium exercitum, *& ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Per Angelos enim [illegible] Dominum feciſſe, quæ [illegible] de cælo ieceret plane [illegible], & ideò Ægyptij qui [illegible] huic ſuperfuerunt, dixerunt, *fugiamus Iſraelem*, nempe, poſſitum Dei, *Dominus enim pugnat*, per Equitatum ſuum Angelicum, *pro eis contra nos.*

MEMBRVM III.

EQVITATVS DEI HVMANVS

Conſtituitur ex Apoſtolis, Viris Apoſtolicis: & Iuſtis quibuslibet, ſeu Animabus Sanctis.

CVm Sponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia comparetur cum Equitatu Angelico, in eâ autem Principes primique bellatores ſint Apoſtoli, & eos ſequuti Viri Apoſtolici, Magiſtri fidelium, dubitari non poteſt, quod primo loco deſignantur illi, cum de Equitatu Domini, quem homines conſiciunt, eſt ſermo. Atque ita Philo Carpathius & tres Patres apud Theodoretum, Cantici interpretes, in eâ comparatione accipiunt Apoſtolos, per quos Chriſtus profligauit *Currus Pharaonis*, id eſt, Gentes infideles, eaſque ſibi ſubiecit: deinde, per hos ſuos *Equites* velociſſimo curſu orbem vniuerſum percurrentes [illegible] iuſſit Euangelium, vt ſummi Imperatoris bullatas epiſtolas ad obedientiam illi præſtandam. Ad hæc, vt Angelorum Equitatus olim proſtrauit currus Pharaonis in mari; ita Equites Chriſti Apoſtoli virique Apoſtolici proſtrauerunt Dæmones & quoſlibet mundi Principes [illegible] Euangelij repugnantes, & illius præcones perſequentes, ac fideles infeſtantes. Hinc [illegible] comparationis energiam, quam paraphraſtice ita reddit præclarus Interpres (a) Quella [illegible] o Sponſa, ne [illegible], ne ruſum vagando, incidas in [illegible], æmulos meos, & tuos, quare quæſiiſti, vbi cubes in meridie, vt [illegible] ab omnibus hoſtibus tuta [illegible], ac hædos tuos petulantes paſcas, & compeſcas iuxta tabernacula paſtorum. Videntur ad tantas difficultates [illegible], & hoſtes expauelcere ad [illegible] ergo tibi [illegible], dicoque me tibi daturam [illegible], & robur tantum, vt ſimilis videaris Equitatui [illegible] lico, quo Pharao & Ægyptij ſunt ſuperati. Ea igitur ad [illegible] te voco, Dilecta, ac per te [illegible] Mundum [illegible] iugare deſtino, vt Principem mundi Diabolum, cuius typus hic [illegible] Pharao,

vinc-

(a) Cornel. in Cant. [illegible]

cum toto ſuo præſidio inde exigam, & quos ille in captiuitatem redegit fratres meos ſuæ libertati reſtituam. Nimirum, Apoſtolos, Viroſque Apoſtolicos animabo, ac creabo *Equites* meos. Hic Equitatus celerrimè per medias hoſtium acies penetrabit, ac populos tibi aduerſantes proſternet, meumque in orbe terrarum imperium firmabit. Huius Equitatus operâ, edentur admiranda & magis glorioſa, quàm olim contra Pharaonem facinora: per hos arduum ac memorabile in omne æuum bellum conficietur: Equitatu hoc fortiter rem gerente, de quo ſum certus, bona cauſſa obtinebit: his copijs Socialibus vincam, & triumphabo.

VERVM, magis vniuerſè comparationem Equitatus humani, qui eſt in Eccleſia cum Equitatu Angelico, plures magni nominis commentatores transferunt ad fideles omnes ſiue Iuſtos, DEO caros, quos Equitatum CHRISTI eſſe dicunt ad bella Domini doctiſſimum, & ad prælandum contra DEI hoſtes benè inſtructum. Hoc ſenſu Origenes, atque ex eo Aponius, & alij non pauci, per *Equitatum* intelligunt *Animas*, quæ ex infidelitate aut peccato, per prædicationem Apoſtolorum adde, per inſtructionem catechiſtarum, diſciplinam magiſtrorum ſpiritualium, doctrinam concionatorum, manuductionem confeſſariorum, &c. quod palmarium eſt, per gratiam Chriſti traductæ ſunt ad fidem ac ſanctitatem, ſicque ex Equitatu Diaboli, factæ ſunt Equitatus DEI. Cui quid ſit conſiderandum, quidque expectandum poſt proſtratum inimicorum exercitum, ita ſuggerit Gregorius Papa. *Scimus, quia Equitatus Iſraëliticus, currus Pharaonis fugiens in mari demerſos reliquit, nec ſtatim terram repromiſſionis intrauit; ſed prius multas tentationes in eremo quadraginta annis ſuſtinuit, multos reges, multis laboribus* ſuperauit atque *expugnauit, & ſic tandem quod promiſſum ſibi fuerat, laborioſè adquiſitum ſuſcepit. Huic Sancta Anima, Sponſi Amica ſimilis efficitur, quæ prius in baptiſmo omnia peccata ſua extincta, quaſi Pharaonis exercitum reliquit: & poſt, dum inter huius mundi habitatores, in aliquos ſeducet Spiritus viuit, imminentia vitia, quaſi reges alienos proſternit: & ſic tandem ad beatam terram, in qua cum Sponſo delectetur, peruenit.*

NON minus accommodatè ad rem noſtram S. Bernardus, Animam iuſtam oſtendit eſſe Equitatum potentiſſimum DEI; quod mirum videri poſſet, ſed, Nec miraberis, inquit, vnam Animam Equitatus multitudini aſſimilatam, ſi aduertas, quantæ in ipſa vna, quæ tam Sancta Anima ſit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum. Inſtituit deinde comparationem prælij inter Iſraëliticum exercitum cum Equitatu Angelico, & AEgyptiorum cum præſidio Curruum militarium, ac inter vtriuſque victoriam. Ibi, ait, populus eductus eſt de AEgypto, hic homo de ſeculo: ibi proſternitur Pharao, hîc Diabolus: ibi ſubuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & ſecularia deſideria, quæ militant aduerſus animam, ſubruuntur: illi in fluctibus, iſti in fletibus: marini illi, amari iſti. Puto & nunc clamare Dæmonia, ſi fortè contingat incidere in talem animam, in

qua eſt integer Equitatus DEI, *Fugiamus* | *Iſraëlem, quia Dominus pugnat cum eo.*

MEMBRVM IV.

LAVS HOMINIS IVSTI
ab aſſimilatione cum Equitatu Angelico.

PLVRIMA continentur in hac Eccleſiæ Militãtis, & in eâ hominis cuiuslibet fidelis ac iuſti, ſeu Animæ DEO caræ & ſanctæ cum Equitatus Angelici, Pharaonis exercitũ delentis ſimilitudine, quæ ad illius commẽdationẽ faciunt: immò, affirmat D. Nyſſenus, hanc cum Equitatu cæleſti aſſimilationem eſſe laudum catalogum. Imprimis verò inſinuatur, Animam ante conuerſionem ſuam, fuiſſe, vt gentem Hebræam in regione tenebroſa, Ægypti ſimillima in quâ ſub tyrannide Cacodæmonis, ſeruitute luti, ſtipularum collectione, coctione laterum, & ſimili terrena rerum viliſſimarũ occupatione fuerit detenta ac fatigata; nec ante liberata, quàm in ſacri baptiſmatis, aut pænitentiæ mari, vniuerſa infidelitas, & illi iuncta improbitas cum operibus omnibus tenebrarum demergerentur. Sic autem per medios vndarum muros illæſa tranſiens tota comparuit dealbata, atque purgata à cunctis Ægypti ſordibus, nihil amplius Ægyptiacæ abominationis retinens: à ſanguine, ranis, puſtulis, caligine, locuſtis, cyniphibus, & ceteris impiæ gentis plagis prorſus immunis, nimirum, à peccatis, quorum plagæ illæ fuerunt ſymbola.

ISTIVSMODI Animæ, id eſt, nobis omnibus, vti ſperamus, à ſcelerum contaminatione liberis dicitur, *Equitatui meo, in curribus Pharaonis*, quem videlicet oppoſui Equitatui & curribus Pharaonis, cùm pro meis Iſraëlitis pugnans eos profligaui, & in mare demerſi, *aſſimilaui Te, Amica mea.* Erat ille Equitatus niue candidior, quippe Angelicus, ab omni impuritate alieniſſimus & tu modò ſuper niuem es dealbata. Ille Equitatum Curruſque Pharaonis conturbauit, inuertit, ſubmerſit; tu ſimiliter vitiorum currus & in ijs Dæmonum agmina debellabis ac peſſumdabis. Aſſimilata es Equitatui meo in curribus Pharaonis. Siquidem quantum differt Equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es filiabus omnibus, Tu, Amica mea, inquit Origenes. Eſt Anima ſancta Equitatus DEI, quia ad obediendum, atque ad omne opus bonum, quod mandat, aut conſulit DEVS, omnibus ſuis viribus, potentijs, facultatibus, earumque habitibus, & actibus, vt totidem equitibus promptiſſimè, velociſſimè, efficaciſſimè, non tam procurrit, quàm volat, ſunt enim omnes, in hoc Equitatu, alati, vt Pegaſus volucres: de horum ſingulis dici poteſt, quod de Equitibus Angelicis: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Pſalmo CIII. & ad Hebræos I. Adde eadem comparatione commendari Animæ Sanctæ, ſeu ſanctarum omnium quæ in Eccleſia Militante ſunt, aut potius Eccleſiæ continentis omnes illas, quæ per excellentiam SANCTA dicitur, & eſt, Sponſa CHRISTI generoſitatem & robur validum, quæ duo ſpectantur in *Equitibus.* Quanta generoſitas, dum opponit ſe omnibus vitijs & concupiſcentijs, dum prouocat non ſolùm hoſtes viſibiles, ſed etiam inuiſibiles, dum ſpernit

quicquid

quicquid pugnandi ardorẽ poſſet immi-nuere? Quãtum roburin fidei cõfeſſione, in religionis veræ propug natione, in per-ſequutionũ omniũ fortiſſima perpeſſione?

MEMBRVM V.
SANCTA MARIA DEIPARA
eſt Equitatus integer in Militiâ Sacra.

PIA eſt ac ingenioſa commentatio Ruperti Abbatis Tuitienſis, qui per Equitatum, cui comparatur Sponſa, intelligi poſſe cenſet Virgam Aaronis, vel Moſis, quâ mare percuſſum iter præbuit populo DEI, & AEgyptios recurrente ce-leriter fluctu, obruit ad vnum omnes: ſic-que per eam tanquam per *Equitatum*, DEVS Pharaonem proſtrauit, & deleuit. Ita autem loquentem ſuauiter Sponſum in-ducit. Hoc eſt, quod Te nolo ignorare, Dilecta, & quod ſi ritè perpendis, non ig-norabis Te. Magnum & mirum ſpecta-culum reſpicienti, inde currus Pharaonis, hinc Equitatum meum. Currus namque Pharaonis valdè multi ferro armati, ple-rique etiam auro vel argento inſigniti fue-runt. Equitatus autem meus Virga vna fuit, Virga Moſis & Aaron Virga illa con-tra ſublimes Currus taliter equitauit. Pri-mò, verſa in colubrum deuorauit Virgas Magorum: deinde, percutiens aquas flu-minum vertit in ſanguinem: nouiſſimè, e-leuata ſuper mare, vertit illud in ſiccum, & diuiſit aquam, & tranſiuerunt filij Iſra-ël per medium maris, iterumque reducta ſuper mare, operuit aquis currus & equi-tes vniuerſi exercitus Pharaonis. Rectè *Virga* illa dicitur *Equitatus Domini*, quæ contra tot *Currus* & *Equites* Ægyptiorum ſola ſufficiens fuit, & victoriam peperit

HANC deinde VIRGAM dicit deno-tare VIRGINEM DEIPARAM, cui dica-tur: Illi Virgæ, illi Equitatui meo aſſimila-ui Te, Amica mea. *Sicut enim Virga illa Virgas maleficorum, & incantatorum deuora-uit, & omnem ſuperbiam AEgyptiacam obtri-uit, ac deinde germinauit, fronduit, floruit, & fructum protulit, non plantata, non ſucco terræ animata, ſed virtute cœleſti ſupra vſum naturæ prouecta: ſic Tu, pulcherrima Mulierum, Amica mea, cunctam prauitatem hæreticam interimi-ſti, ſuperbiam Diaboli deieciſti: conceptu florida, partu fructifera, Virgo in Conceptu, incorrupta in partu, Virgo ante partum, incorrupta poſt par-tum.* Breuius Honorius. Sicut populus DEI à Pharaone per Virgam Moſis: ita Eccleſia à Diabolo, per Virgam Ieſſe MA-RIAM, & Florem eius Chriſtum liberata eſt.

ITAQVE Virgo Mater, quæ & Virga Ieſſæa, ac Moſaica, & equitat, vt Bellatrix; & Equitatui meritò comparatur, & ipſa integer eſt in exercitu DEI Equitatus. Quid mirum hic aut incredibile? Homi-nes iuſti ſunt *Equites*, ſiue *Equitatus* DEI quem DEVS in hoſtilem exercitum im-mittit, quo arbitratu ſuo ad omnes expe-ditiones militares, quippe morigero ma-ximè, & facili, nec non velociſſimo vti-tur, cuius robore prædas animarum Dia-bolo ac Mundo extorquet, cuius fortitu-dine, & in conflictibus dexteritate victo-rias quotidie glorioſiſſimas de inimicis ſuis obtinet. Quod ſi Sanctorum iuſto-rumque hominum vlli, ſi vlli ex Anima-

bus DEO caris conuenit, nullimelius aut conuenientius, quam quæ eſt Regina omnium, ceterorum Ductrix, Equitum omnium Chriſtianorum Magiſtra, pugnantium directrix; denique, nomine ac re Imperatrix: quæ vna plures quàm omnes alij Equites, loqui poteſt victorias, vna hoſtibus DEI magis, quàm ceteri omnes eſt metuenda; cùm vna illa non Equitatus modò ſit, ſed & *Caſtrorum acies ordinata*. Cantic. VI.

ET ſanè, cùm per Equitatum DEI, cui aſſimilatur Sponſa, intelligi poſſint, vel *Angeli*, vt exponunt D. Nyſſenus, & Gulielmus Abbas: vel *Virga* miraculorum patratrix, vt Rupertus & Honorius vterque optimè deſignat DEIPARAM. Cuius rei gratia, OBSERVO, victoriam contra Pharaonem per duplicem cladem fuiſſe perfectam: nempe, occiſione aduerſariorum, per fulgura & imbres, quam Ioſephus hiſtoricus diligenter perpendit: hæc autem miniſterio Angelorum peracta eſt: & ſubmerſione terga vertentium Ægyptiorum, quæ Virgæ Moſaicæ tribuitur in Exodo cap. XIV. Vtraque laus conuenit Virgini DEIPARÆ, quæ eſt Regina Angelorum, candida, vt dealbatus Equitatus Angelicus; terribilis, vt Angeli Equites; victorioſa ſemper vt Spirituum illæ Turmæ. Eadem ſignorum ac miraculorum operatione admirabilior multo fuit ac eſt, quàm vnquam Virga Moſis. Illa currus vitiorum, ſuperbiæ, luxuriæ, auaritiæ, cum ſuis aurigis, & equis ſubuertit: Illa caput Serpentis, id eſt, Luciferi, Pharaonis infernalis, conteriuit: illa omnium eius aſſeclarum, id eſt, hæreticorum, velut AEgyptiorum fugientium copias aquis damnationis, profūdæque obliuionis obruit, vt præcedentium vix ſit memoria, & ſola vniuerſas hæreſes in vniuerſo mundo, interimet; vt ſubſequentium quoque aboleatur recordatio: nec maior ſit poſt aliquot ſecula, Lutheranorum, Caluinianorum, & Anabaptiſtarum ac ſimiliū, quàm Menandrianorum, Gnoſticorum, Arianorum ac aliorum omnium Antiquorum celebritas, recogitatio, aut monumentū. Itaque quomodocumque Equitatū DEI, quem Curribus Pharaonis oppoſuit DEVS, concipias, occurret menti benè informatæ, velut *Equitatus Domini*, DEIPARA.

IN quâ præterea nouum quendam Equitatum Amoris liber contemplari. Nam ingenioſè quidam ſic ferè commentatur: Sponſus aſſimilando Sponſam Equitatui, loquebatur de Equitatu Amoris, quo illū deuicerat, ſibique deuinxerat: quaſi hunc in modum diſſeruiſſet. O Dilecta, vt primum Te vidi, totum me penitus tibi deuinxiſti, & planè animum meum quaſi expugnaſti eximia ſpecie capillorū, frontis, oculorum, genarum, oris, colli, pectoris, membrorumque reliquorum, vſque adeò fortiter ac vehementer, vt nonminus fortis & potens mihi eſſe videaris hoc Amoris tui Equitatu, qui tot habet Equites, quot Tu membra, facultates, potentias, quàm Equitatus ille meus in curribus Pharaonis, cui nulla reſiſtere potuit aduerſariorum multitudo. Hic exclamet meritò Bernardus: O ſuauitatem, ô gratiam, ô Amoris vim! Itane ſummus omnium, vnus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de DEO Amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ iſta vis,

vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique ſemetipſum exinanuit, vt ſcias Amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa, quod altitudo exæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt. Verè, *fortis eſt*, non ſolùm vt Equitatus, ſed *vt Mors Dilectio* tua MARIA! (*b*)

(a) *Cant.* VIII. 6. (b) *Ser.* 64. *in Cant.* (c) *Canticor.* 8.

MEMBRVM VI.

ECCLESIA. DEIPARA. ANIMA.

Rectè concipiuntur vt Equites. Immò, vt Equitatus.

NON eſt contemnenda Alani ſcribentis in Cantica ratio aſſimilationis Sponſæ cum Equitatu, quam in hunc ferè modum exponit: Quis eſt *Equitatus* DEI, niſi Eccleſia, quæ ſpiritu DEI agnoſcitur ac regitur, & in hoc eſt ei *Salus*? Vnde ſcribitur Abacuc tertio: *Equitatus tuus ſalus*. Per contrarium *Currus Pharaonis* dicuntur illi, qui ſub ſpirituali Pharaone, id eſt, ſub Diabolo poſiti ſunt; & *Quadriga* eius, quas ipſe agit, ac ducit ad perſequendum populum DEI, & ad opprimendum Iſraël. Qui ſe conuertunt ad fidem ac pietatē fiunt *Equitatus* DEI, per quem ſacræ Militiæ Imperator, hoſtes ſuos, infideles & peccatores profligat; ſed ita, vt ex infidelibus faciat fideles, ex peccatoribus iuſtos, ex hoſtibus amicos, ex rebellibus ſubditos, ex feris homines, ex mortuis viuos, ex Dæmonibus Angelos. Ita Eccleſia eſt Equitatus DEI, & in ea qualibet Anima Sancta.

QVOD ſi DEIPARAM reſpicias, illi dicitur à Sponſo, *Amica mea*, Virgo MARIA dilecta mea, ſponſa mea ſingularis & vnica, aſſimilaui Te, id eſt, ſimilem feci Te Equitatui meo, id eſt, Eccleſiæ meæ, quæ prius fuit in curribus Pharaonis, dum ſubiecta erat Spiritualibus nequitijs. Virgo enim MARIA ſimilis eſt Eccleſiæ DEI. Tum quod quemadmodum Eccleſia DEI Mater eſt Chriſti in membris per gratiā; ſic Virgo eſt Mater Chriſti capitis per naturam. Tum quod ſicut Eccleſia eſt ſine macula, & ruga; ita & Virgo glorioſa. Tum denique, quod ſicut Eccleſia in diuerſis hominibus habet vniuerſitatem donorum, ita Virgo MARIA in ſe habet vniuerſitatem virtutum, ac chariſmatum, qua Dæmoni & illi adhærentibus eſt terribilis, vt benè inſtructus Equitatus ſuis hoſtibus.

AT abſurdum, inquis, eſt, fœminam tanquam Equitem fingere. Nulla in huius rei conceptione eſt abſurditas, cum muliebris Equitatus adeò antiquus habeatur, vt ipſam equitandi inuentionem Amazonibus adſcripſerit Orator Lyſias, teſte Hermolao apud Plinium. Quarum hiſtoriam tametſi fabuloſam exiſtimauerit Strabo, is tamen à recentioribus Eruditis refellitur, eiusque argumenta, vt leuia admodum facilè inuertuntur. (*a*) Licet enim elatius non nulla de Amazonibus ſint ſcripta, tamen illas equitaſſe certiſſimum eſt. Teſtis imprimis ſat idoneus Herodotus, qui libro quarto refert Amazones è nauibus egreſſas, quàm primum

Q 3

(a) *lib.* 36. *cap.* 5. *Raderus in lib.* 6. *Curtij.*

LASCA, quæ exercitui virorum metum incuſſerunt, & Equitatui aduerſariorum extorſerunt victoriam. Bellè igitur, ſiue ſacram, ſiue profanam conſulamus hiſtoriam, ſubſiſtit aſſimilatio Sponſæ, Eccleſiæ, DEIPARAE; Animæ ſanctæ, cum Equitatu; nec quicquam abſurditatis ſecum portat, ſi cælorum Regina in Equo concipiatur. Quod exiſtimarunt Viri grauiſſimi, qui non ſunt veriti DEIPARAM cum Pentheſilea conferre, immò, ita eam appellare: cùm Amazonum, nempe, ſine mammis mulierum, hoc eſt, fæminarum caſtitatem colentium ſe ſemper Ducem præbuerit MARIA.

MEMBRVM VII.

CONSOLATIO ET FIDVCIA

in ſubſidio Diuino, ex aſſimilatione Eccleſiæ Militantis afflictæ, cum Equitatu Dei, in curribus Pharaonis.

COMPARATIONEM eam illuſtrans Honorius Cantici Salomonici interpres, ita ferè commentatur. *Ægyptus* dicitur *tribulatio*: & eſt hic *Mundus* tribulatione plenus. Populus in Ægypto afflictus eſt populus Chriſti in hoc mundo oppreſſus, nempe *Eccleſia Catholica Militans* tribulationibus circumdata. Dicit ergo Sponſus Sponſam conſolans: O Amica mea, quia à perſequutoribus & hæreticis tam multa paſſa es, ideò ſimilem Te reputaui populo meo in Ægypto afflicto commoranti, quando illum Pharao perſequebatur in curribus. Verùm, ſicut eum tunc liberaui, ita Te nunc liberabo de iſtis, qui ſunt *Currus Diaboli*, & cum veris Paſtoribus, qui ſunt *Currus mei* introducam Te in terram viuentium: quæ eſt ſolida totius Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ, à qua hæretici omnes alieni, ac proinde excluſiſſimi ſunt. Quemadmodum autem DEVS amantiſſimus Sponſus pollicetur, ſe *Eccleſiam Militantem* erepturum ex omnibus aduerſariorum inſidijs ac perſequutionibus, & daturum victoriam; ita ſpondet idem Animæ cuilibet ſibi caræ ac dilectæ. ITAQVE quamuis grauiſſimè hoc tempore affligatur Eccleſia Catholica, licet homines in fide firmi ſolicitentur ad defectionem, tametſi proborum ac DEO ſeruentium peior eſſe videatur, quàm improborum conditio; tamen perſiſtamus, & fortiter inimicis religionis ac pietatis reſiſtamus, fidamus DEO, vt Sponſo dilectiſſimo, qui, vt olim electos ſuos de ſeruitute Ægyptiorum omni conatu illos retrahere nitentium liberauit; ita ſpopondit, ſe nos, ſi officio noſtro non deſimus, ſubducturum ab omnibus inſidijs falſorum fratrum, ac Dæmonum, facturumque, vt mare mundi cum Petro premamus pedibus immerſabiles, & velut Equitatus DEI, hoſtibus deletis, perueniamus ad terram fidelibus promiſſam felicitatis æternæ.

NOTAE

NOTÆ.

In quibus Auctores & Analecta.

§. I ALARII, Auxiliarij Equites.] *Legendus* Hermannus Hugo *lib.2.de Militia equeſtri cap.2.qui,inter cetera:*Vna,*inquit*,fateor, hæc res eſt, quam mecum ſæpe ſolitus ſum mirari,Romanos cetera prudentiſſimos, hic fuiſſe incautos.

§.II.IN curribus Pharaonis.]*Cùm currus euerterentur.Sic* I.*Paral.xxIV.*9.In capitibus virorum:*id eſt,cùm recenſebantur capita virorum.lib.3.Reg.xvI.34.* In primogenito ſuo fundauit:*hoc eſt, cùm adhuc viueret primogenitus ſuus fundauit. Daniel v.*2. In guſtu vini, *id eſt, cùm guſtaſſet vinum. Iſaia* LV. 6.Quærite in inueniendo: *nempe,cùm adhuc poterunt inueniri. Legendi in Cantica, Delrius,Soto maior,Cornelius,de Ponte.*

§. III. *EQVITATVS* Amoris.]*Soto maior explicat Equitatum illum ſymbolicè, vt ſit Amoris,qui eſt potentiſſimus & fortiſſimus, & vt Plato ſcribit in Sympoſio,Marte,ſiue Deo bellatore , & auctore belli fortior. Neque enim Mars, vt loquitur , Amori reſiſtit:nec Mars Amorem,ſed amor Deæ Amoris,vt fertur, Martem detinet. Potentius autem eſt id quod detinet,quàm quod detinetur. Qui verò ceterorum fortiſſimo dominatur , omnium abſque dubio fortiſſimus iudicandus eſt. Quare haud male dixit Boëtius Amorem cælo dominari. lib.* 2. *de Conſol. metro* VIII.

Et cælo imperitans Amor.

§.IV. *EQVITATVS* muliebris.*AMAZONES.*] *De his* Goropius Becanus *lib.*VIII. *qui* Amazonica *inſcribitur*, Plutarchus *in Alexandro*,Iuſtinus *lib.*XII. Curtius *lib.*VI. *cap.*10.*vbi accuratè* Raderus, *ex ijs medullam habet* Hermannus Hugo *lib.* I.*de Militia equeſtri cap.*2.*Scythicæ fuêre mulieres prope Tanaim & Thermodontem fluuios habitantes,quæ nuptias peroſæ Remp. ſine viris adminiſtrabant. Ne tamen gens periret,finitimis congrediebãtur. Si qui mares naſcerentur interficiebant. Infantibus dexteriores inurebant mammas,ne ſagittarum ictus impedirent.Virgines non ocio,neque lanificio,ſed armis , equis,venationibus,& contorquendis iaculis exercebant. Peltam & ſecurim prima omnium inuenerunt. Veſcebantur lacertis & teſtudinibus.Vocabantur Sauromatides,& Sauropatides. Dictæ putantur Amazones eò quod mammis carent:ab* α, *ſine*, μαζὸς *mamma:nam dextera inurebatur.Vel ab* α, & μάζης *pulte,ſeu pane,quod muſto reſcerentur. Vel ab* ἁμάζων,. *vnà vel in commune viuentes. Stephanus dictas vult à Nympha Amazonide filia Samorne.Fuêre & in Libia Amazones.*Silius *lib.*2.*Hasbitem Harbæ Filiam Amazonica pelta inſignem facit.Quidam ab Amazone puella Dianæ Sacerdote,& Epheſi Domina Amazones volunt appellatas. Apud Poëtas varijs deſignantur epithetis,quas diligenter collegit Ioannes Rauiſius.*

§. V. SEMIRAMIS.]

Superba geſſit ſceptra Semiramis,
Sæpe & rebelles Aſſyrios metu
Repreſſit,in laxum,Lœcaia
More comam reſoluta nodum.
Rexit viriles Actias arduas
Arces Canopi,& ſeptem incolam
Nilum bibentis martialis
Non humilis Mulier triumpho.

Noſtra

Noſtis Camillam? Pentheſileiam?
Semperquè in ipſos Hippoliten viros
Fortem? & Bohema fortè Pallas
Bella dabit maribus loquenda.

§ VI. *VELASCA* Bohema.]

Virgineas illic pharetrata Velaſca *cohortes*
Et ſocias in bella parat. patria arma viroſquè
Et conſanguineum proſpectat turribus hoſtem
Sic quondam Herculeis potuit concurrere telis
Spernereque Hippolyte Nemeaum inuicta Leonè
Æmoniis Æmoniis armata puella ſariſſis.
Si Scythica Argolicè potuit non victa bipenni
Antiope certare viris, quid Czechia *ceſſit*
Progenies. ———

Plures eius generis producit Bohemia, *quam exornauit* FERDINANDO III. *Regi Collegium Pragenſe Anno M. DC. XXVII.*

§. VII. *DEIPARAE* cum Pentheſilea & Amazonibus comparatio.] *Legendi*, Petrus Caniſius *in Mariali*, Quirinus Salazar *Prouerb.* VIII. *ver.* 14. *num* 88. 89. Sandæus, *Opuſculo* MARIA Fortuna *in Syntagmate Articulo* 5. & *Opuſculo* MARIA Luna. *Oratione* VI. *titulo.* Luna Bellatrix.

COMMENTATIO II.

EQVI

Figurati. Allegorici. Symbolici.

Quibus vtitur Equitatus Dei ex hominibus collectus.

Equus paratur ad diem belli: Dominus autem Salutem tribuit. Prouerbior. XXI. 31.

MEMBRVM I.

EXERCITVS CHRISTI

Peditatum Equitatumquè habet, ſelectum magis, & inuictum, quàm numeroſum.

ALEXANDER Macedo, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magni inditum eſt; à Daniele Propheta (*a*) vocatus *Hircus caprarum*, in Orbis terrarum Imperio ſubiugando, hoc prudenter, ac ſecundum artem militarē egiſſe cenſetur, quod Exercitum conſcripſerit, antequam expeditionem ſuſciperet, non tam numeroſũ, quàm validum ex ſelectiſſimis gentis ſuæ militibus. Nam non recenſuit, niſi triginta peditum, quatuor millia equitum & quingentos. Tantillo Militum numero triremibus centũ ac ſexaginta impoſito, primo vere. cùm annum ipſe ageret alterũ & viceſimum, in Aſiam, per Helleſpontũ traiecit: primuſque ex naui haſtam in littus coniectam, quaſi Aſiæ poſſeſſionem occupaturus, defixit. (*b*) Deinde, cum illis copiolis, quas interdum ſuppleuit, Mundum peruagatus, eum deuicit.

MAIOR incomparabiliter Alexandro Mundi Dominus, vt Imperium vniuerſi, quod omni iure ſibi debebatur ad fidem

(*a*) *cap.* VIII. (*b*) *Mundum deuincit.*

& obſequium ſuum perduceret, cùm aliquos ſibi ad tam glorioſam expeditionem Socios adſciſcere ſtatuiſſet, quibus tamen ipſe opus non habebat, quemadmodum ſuis Alexander, ſolus ille ſat potens ad hoſtes omnes debellandos, elegit ex totâ gente Iudæorum non plures duodecim, è quibus vno, ante profectionem turpiter ac proditoriè deficiente, vndecim in monte Galilææ conſtitutis, ac ſignum expeditionis præſtolantibus, edixit (*a*) clarâ voce in hunc ferè modum, quod diu meditatus fuerat.

SIBI in animo eſſe, per ipſos, puſillum quidem gregem, ſed inuictum, Mundum à Patre ſibi donatum (*Data eſt mihi omnis [illegible] in cælo & in terrâ*) imperio [illegible] ſubijcere. Irent igitur alacres, ac fiduciæ pleni, & Vexillum, Sanctiſſimæ TRINITATIS effigie inſignitum, vbique circumferrent, & quocumque terrarum peruenisſent, in animarum ſolo plantarent, & ad firmitatem æternam, ſemel, bis, ter infigerent. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patrũ, & Filij, & Spiritus-Sancti.* Deinde, quoſcumque ſub iugum [illegible] ad nouum præſtandum Sacramentum adigerent. Quod non eſt aliud, quàm mandatorum obſeruatio. *Docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis:* Et quoniam plurimum facit ad Militum alacritatem, præſentia Imperatoris, cuius auſpicijs geruntur omnia, nunquam ſe abfore promittit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

(a) *Matt. xxviii. 18* (b) *Matthæi xxviii.*

MEMBRVM II.

EQVI APOSTOLORVM

Metaphorici. Allegorici. Symbolici.

IN hoc Chriſti Exercitu *Equites* ijdem ſunt qui *Pedites*, ad omne genus pugnæ idonei; ſiue ſtando, ſiue ex equis præliando, ſiue è curru certando, ſiue cum bigis aut quadrigis concurrendo fortiter ſit agendum. Sed non eſt facile exprimere, ac declarare, vt omnibus fidem faciamus, qui, qualeſque EQVI fuerint Apoſtolis, illorumque conueniant ſucceſſoribus. Nam ſemper hic Equitatus in Eccleſia DEI manſit integer, in demortuorum locum ſuccedentibus alijs. Nec facilius eſt dicere, qui fuerint, ſintque eorumdem *Currus* quæ *Quadrigæ*, & cetera, quæ ad Equitationem requiruntur, & Vobis quoque erunt vſui, Cara capita. Nam ſingulos Vos Equites CHRISTI, iam dudum creatos fuiſſe demonſtrabo: certè, cunctis Equum generoſum offeram gratis, & neminem niſi donatum equeſtribus inſignibus à me dimittam. Attendite.

APOSTOLOS, Apoſtolicoſque Viros, immò, fideles omnes DEO caros, inter quos, quilibet è vobis, haud dubiè, nomen profitetur ſuum, eſſe EQVITES CHRISTI, neſciunt dumtaxat qui hoſpites planè ſunt in Diuinarum Scripturarum, & Patrum Orthodoxorũ lectione. (*a*) Et id apertè dicunt ac probãt Com-

(a) *Iob 39. Zach. 3. Abac 3. Apoc. 6. 19. Hieron. Aretas Origen. Gregor.*

Commentatores ſacri, qui ſcribunt in Cantica Canticorum, Abakucum, Zachariam, Iobum, Apocalypſim, quorum verba, ſenſumque in ſuperioribus dedimus. Quo autem Equo vſi ſint primitus Apoſtoli nullibi clarè, quod ſciam, indicatur. Imprimis, dari peto mihi, illos non obequitaſſe Mundum iumento, quod propriè Equum dicimus, ne hoc quiſpiam ſuſpicetur. Alienum id erat à paupertate Apoſtolicâ: & à modo, quem illis præſcribit Dominus in hodierno Euangelio, vbi dicitur illis, *Euntes*, nempe pedibus, non, equitantes, niſi cogat neceſſitas: alienum ab humilitate Diſcipulorum illius Magiſtri, qui pedibus Palæſtinam peragrabat, docendo, ac ſanando omnes: alienum à conſuetudine Iudæorum, cui ſe Apoſtoli, quamuis non tenerentur, ad aliorum ædificationem in adiaphoris conformare ſolebant.

SVNT, qui exiſtimant, prohibitum fuiſſe à DEO Iudæis equitare. Certè, S. Hieronymus in illud Pſalmi LXXV. *Dormitauerunt, qui aſcenderunt Equos*, ſcribit: *Ægyptij habebant* Equos, *ſed perierunt. Inde & præceptum eſt in lege, vt non habeat Equos Hebræus. Denique, Salomon non habebat Equum de Ieruſalem, aut de Iudæa, ſed emebat ſibi de Ægypto.* Et in illud Iſaiæ ſecundo: *Repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Non dignum eſt numero, ait, quod contra Imperium* DEI *poſſidetur.* Denique in caput XXXVI. *Non de imbecillitate venit populi Iudæorum, quod non haberent aſcenſores equorum, quaſi equitandi carerent ſcientia, ſed de obſeruatione mandatorum* DEI, *qui per Moſen ſuper Rege præceperat Iſraël: Non multiplicabit ſibi equos.* S. Baſilius optimus morum Magiſter, in eadem verba, Iſaiæ ſecundo ſcribens: nullo non loco Scripturæ obſeruaſſe dicit ſe, quod Sancti deuitauerint vſum equorum: & tunc quidem etiam cùm inſtruerentur ad bellum, aut vitæ indigentijs eſſet occurrendũ (a). Origenes quoque vniuerſè, homilia XV. in Ioſue, *Filij Iſraël*, inquit, *nunquam equis vſi eſſe referuntur. Et lex nihil de equis, ſed de aſinis mandat, vt pote de animalibus, quæ ad hominis labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur exiſtere. Equi verò magis ad hominum perditionem ſunt. Hoc enim eſt, quod per eos in prælijs geritur. Laſciui motus animal, & ſuperbæ ceruicis eſt equus.* Sed quicquid ſit de lege aliqua prohibitoria DEI, quæ nullibi clarè in diuino codice occurrit: certè ante Moſaicam legem videntur Equos Iſraëlitæ habuiſſe, vt ex Geneſi (b) colligitur. Poſt legis promulgationem, ante Salomonis tempora, nullum neque apud priuatos, neque apud Optimates, aut Reges Iſraëliticos inuenies Equorum vſum; qui Salomonis tempore incepit, deindeque inualuit: (c) ita vt multitudinem ac pompam reprehenderint Prophetæ, Iſaias (d) Ieremias, (e) Oſeas (f) Amos, (g) Zacharias.

ITAQVE, apud Iudæos olim Aſinis vehebantur honoratiores in ea gente, vti & hodie mulabus in Hiſpania, Italia, alibi. Iudicum V. cantat Debora poſt cæſum Siſaram: *Cor meum diligit Principes Iſraël: benedicite Domino, qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos.* Et Iudicum X. narratur Iairum Principem populi habuiſſe XXX. filios ſedentes ſuper XXX. pullos aſinarum: hoc eſt, parentem ſuum ſequentes inequitaſſe aſinis aut mulis. Sic interpretari licet ἱππεύειν, quo

R 2 voca-

(a) Gen. XLVII. (b) Lib. III. & IV. Reg. (c) cap. 2. (d) cap. 6. (e) cap. 14. (f) cap. 2. (g) cap. 10.

vocabulo vtitur Ioſephus, (a) nempe latè accepto quâ ratione Latinis etiam equitare dicitur, qui aſino, aut mulo inſidet, immò, qui baculo: vulgare eſt iſtud: *Equitare in arundine longa.*

CHRISTVS autem myſterioſiſſimè in Aſinâ, eo titulo felici equitare voluit. Quod nequidē Apoſtolos in profectionibus ſuis communiter vſurpaſſe arbitror: Certè, in nulla hiſtoriâ lego, Apoſtolorum quemquam Equo vſum: nullibi etiam pinguntur in Equo, niſi fortaſſe in apparitionibus hominum gratiâ factis. Inter quas celeberrima eſt quædam S. *Iacobi*, qui alioqui ſemper pingitur cum peregrinantium baculo, quique idcirco *Equus S. Iacobi* apud Religioſos nominatur, quorum ille eſt *Equus*, in peregrinationibus, dū vires ſunt integræ. Iacobus, dico Apoſtolus Equo albo inſidens & armis radiantibus fulgens Hiſpanis, vt habent illorum annales, eum inuocantibus viſus eſt frequenter, ac opem & victoriam attulit, vt alibi narramus. Sed illum ipſum *Iacobum*, dum inter mortales viuus ageret, non ſolitum fuiſſe equitare in quadrupede, aut Equo in itineribus ſuis vſum planè mihi perſuadeo. Quod de alijs quoque Apoſtolis verum arbitror. An fortaſſe horum intuitu etiamnum Cardinales, Eccleſiæ Principes, licet Eminentiſſimi, mulis vtuntur, dum ſublimes Romæ Pontificem comitantur?

QVOD de Apoſtolis diximus magnoperè confirmaretur, ſi conſtaret certò, Apoſtolos nunquam geſtaſſe calceos. Quales enim equites eſſent nudis cruribus ac pedibus per equi coſtas dependentibus? Contendebāt olim *Diſcalceati* (ſic dicebantur hæretici quidam, teſte Philaſtrio & Auguſtino (b) contra hæreſes ſcribētibus) Chriſtianos debere ſine calceis incedere. Tum quia Dominū id præcepiſſe Moſi dicebant in Exodo ijs verbis cap. 3. *Solue calceamentū de pedibus tuis*, & Iſaiæ mandando: cap. XX. *Calceamenta tua tolle.* Tum quia exiſtimabant, Chriſtum eiuſque Diſcipulos ſine illis ambulaſſe. Verùm, hoc falſū eſt. Nam Petrus Actuum Apoſtolicorum XII. iubetur ab Angelo *calceare ſe caligas ſuas*, Græcè exprimuntur *Sandalia*, quæ genus erant calceamentorum, ſicut & caligæ, à ligando, vel callo, dictæ. Quorum vſum Chriſtus permiſit tot itinera pedibus facturis Diſcipulis, abuſum prohibuit Lucæ XXII. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et Marci VI. *Præcepit eis, ne quid tollerent in viā, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zonâ æs, ſed calceatos ſandalijs*, & ne induerentur duabus tunicis. Nimirum, volebat Magiſter, ne præ nimia de futuro ſolicitudine, *plantis tegmina bina circumferrēt*, vt ſcribit Iuuencus, ſicut neque duas tunicas. Id non intelligentes Ægyptij quidam Monachi apud Caſſianū, Calceamenta, veluti interdicta Euangelico Chriſti mādato reijciebāt. Non me latet S. Hieronymum in Epiſtolis ſcribere, (c) Chriſtū calceamentorū onus & vincula pelliū haud habuiſſe. Cuius coniecturā indè capit, quòd milites veſtimentis illius ſorte diuiſis, caligas calceoſue nō habuerint, quos auferrent. Addit quoque, non potuiſſe habere Dominum quod ſeruis prohibuerat. At enim, non prohibuiſſe iam diximus. Et rei tam abiectæ viliſque ratio fortaſſe non eſt habita à militibus. Quis etiam

carni-

(a) *lib. v. cap. 9.* (b) *S. Auguſt. hær. 65. &c.* (c) *Hieron. epiſt. 22.*

carnifex paullò generoſior, hominis quem in patibulo ſuſpendit, ſi paupertinæ fuerit tribus, lutoſos veteresſque colligit calceos, & ſecum fert domum? Iſaias triennio ambulauit diſcalceatus vt cõſtat ex cap. xx. Moſes exuit calceos, vt DEO fieret propior. Quid inde ſanus colligat pro diſcalceatu Apoſtolorum? maximè, cùm Iudæorum peregrinantium calcei, quadraginta annis ſeruati fuerint illæſi à Domino, vt in Deuteronomio refertur, cap. xxix. Ferunt hoc etiamnum tempore inter alias reliquias Romæ piè aſſeruari vnum è calceis, quos Petrus Apoſtolus iuſſus eſt ab Angelo calceare. Singularis autem cenſetur illa ſententia Clementis Alexandrini, (a) non eſſe Viro Chriſtiano vtendum calceis, niſi itineris, militiæ, aut alius neceſſitatis cauſſâ: quod ſi nudis pedibus incedere quis non poſſit, ſoleas aſſumat, quas Attici *κονίποδας* ſolent vocare, quod pedes terræ appropinquent. Tales autem eidem Scriptori videntur fuiſſe, quibus pedes muniebat Chriſtus, quorum Baptiſta ſoluere corrigiam ſe negabat dignum vt ſcribunt Euangeliſtæ. (b)

AT, nonne Paulus fuit in *Equo*, cùm tenderet Damaſcum? Multi cenſent, Paulum fuiſſe peditem, ac cecidiſſe, quaſi fulmine ictum. (c) Plurium tamen eſt opinio fuiſſe tunc temporis Equitem, (d) ac cecidiſſe ex equo, vt pictores paſſim exprimunt. Verùm tunc non erat Apoſtolus, ſed perſequutor, faſtu ac ira tumens, ſpirans minarum ac cædis, proficiſcens, tanquam prætor ſtipatus ſatellitibus. Factus Apoſtolus, vt ceteri, ſectatus eſt Chriſti humilitatem, qui Equitandi ſiue delicias, ſiue faſtum in ſuis haud probaſſet. Multum ſanè poteſt Equitatio ad vanitatem, ſuperbiamque ingenerandam, ad efferendos equitantium animos (e) ad ſpiritus creandos arrogantiores. Quod ſenſit Plato, qui metu equeſtris ſuperbiæ, equum nunquam conſcendere voluit in ſe hippotyphiam damnans. Romanos quoque idem exiſtimaſſe manifeſtum eſt, qui Dictatori Equitatione interdixerunt, vt teſtatur Liuius. (f) Nimirum, arbitrabantur, faſtigium illud Dictaturæ, niſi ad emptione Equi temperaretur, immoderatum poſſe adferre faſtum, intolerabilem in ſummæ dignitatis viro arrogantiam. An fortè apud eoſdem Flamini Diali hanc ob cauſſam religio quoque fuit, Equo vehi? An vt Feſtus Pompeius indicat, ne ſi longius digrederetur, ſacra negligerentur?

(a) *Lib. 2. pædag. cap. 11.* (b) *Marci 1. 7. Lucæ 3. 16. Ioan. 1. 27.* (c) *Actuum. ix.* (d) *Sanchez Lorin. Cornel.* (e) *Hippotyphia.* (f) *Lib. xxiii.*

MEMBRVM III.

EQVVS PARATVS AD DIEM BELLI.

CVM itaque Equo propriè dicto non meruerunt in Chriſti Exercitu Apoſtoli, alius inueſtigandus eſt ad Militiam ſpiritualem idoneus. Hunc indicat Sapiens effato quodam ad hæc tempora accommodatiſſimo: quod vtinam Principes, ac belli Duces, aliique qui arma tractant, vel huius æui calamitatibus torquentur frequenter perpenderent. Dicit itaque Salomon: (a) Non *eſt ſapientia, non eſt*

(a) *Prouerb. xxi.*

eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit. In Hebræo eſt: *Equus paratus in diem belli: Domini eſt ſalus.* Chaldæus legit: *A Domino autem ſalus.* LXXta Interpretes vertunt: *A Domino autem auxilium.* Quæ omnia in idem recidunt. Alloquitur autem Sapientiſſimus Rex Imperatorem aut Ducem, cui ſuadet, vt antequam bellum ineat, DEVM *Exercituum* ſibi reddat propitium & placabilem. Siquidem, vt bella rectè ac feliciter gerantur, duo imprimis ſunt neceſſaria: peritia rei militaris in Duce, & robur atque fortitudo in exercitu. Sed quamuis in vtroque ſit eximia & ſumma, tamen nihil efficietur DEO aduerſante. Nulla ſcientia militaris, nullus aſtus, nulla ſtratagematum inuentio, aut compoſitio quicquam poteſt ad parandã victoriam ſi DEVS ſit contrarius. *Quia non eſt Sapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*; nempe cũ Dominus repugnat. Humana quidem ſubſidia non ſunt negligenda: conſcribẽdus eſt maturè miles, equites, pediteſque conducendi, de commeatu diligenter prouidendum, Equitatus potiſſimùm benè inſtruendus: nã in Equis & equeſtri militum phalange robur exercitus continetur. Verùm, quantumuis Imperator equos, Equiteſque fortiſſimos & inſtructiſſimos educat, non tamen idcirco de victoria poteſt eſſe certus, nec ijs eſt fidendũ. Sed DEVS imprimis à Duce ac Milite appellandus eſt, eiuſque auxilium enixè poſcendum: Ipſius enim eſt ſalus, incolumitas, victoria. Nihil magis certum atque exploratum multorum annorum experientiâ habemus, quàm nihil valere bellicum omnem apparatum, niſi DEI fauor accedat: ideòque bella, non niſi propitio, & auſpice DEI Numine adminiſtranda eſſe.

EQVVS *paratur ad bellum*, inquit Sapiens, quia inſtrumentum idoneum: non crateres, non pocula, cyathi, vitra, quibus vſque ad vomitum à nonnullis, ad ebrietatem à quam plurimis frequenter dimicatur pertinaciſſimè. *Equus paratur ad bellum*: non linguæ, quibus multi dimicant in menſis, circulis, ſympoſijs, quibus cubitus eſt catapulta, & petaurum (vt nunc loquitur vulgus) ad omnes portas effringendas: manus halabarda, qua decem ictu vno conficiunt: pes balliſta, quâ muri dum arietantur, conciduntur. Qui inter ſuos, flatu extemplò diſſipant exercitus integros: hoſtem omnem digitulo in terram coniiciunt, bellum omne nullo negocio abſoluunt. EQVVS *paratur ad bellum*: non plumulæ in pileolis, non aurum in calcaribus, oſtrum in baltheis, gemmulæ in capulis, ſtriæ coronatæ in ocreis, denſatæ dentatæque mappæ in ceruicibus, nidi criſpati beſtiolarũ in fronte & temporibus. *Equus paratur ad bellum*: non probra & contumeliæ in homines, non diræ in Cælites, non blaſphemiæ in Exercituum Dominum, DEVM Sabaoth, qui audit omnia cauete. EQVVS *paratur ad bellum*: *à Domino autẽ eſt* SALVS & victoria. Arrogans dictum fuit Iulij Cæſaris, quod, cùm Pharnacem primo congreſſu vicisset, ſcripſit gloriabundus amicis: *Veni, Vidi, Vici*: modeſtum ac pium Caroli V. Imperatoris Chriſtiani, partâ de Germanis hæreticis ac rebellibus velociſſima victoria, *Veni, Vidi, Vicit* DEVS. Dominus ſalutem tribuit.

MEM-

MEMBRVM IV.
EQVVS ET EQVA
ſecundum Allegoriam eſt multiplex.

PORRO habet illud enunciatum Sapientis, (a) vt pleraque alia in Prouerbijs, ſenſum magis abditum litterali cortice contectum, quem allegoricum dicimus, qui nobis Equum Chriſtiani Militis demonſtrabit. Eum vt educam, OBSERVO ex D. Gregorio, Equi nomine plura deſignari in Scripturâ ſacra.

(a) *Senſus allegoricus.*

ARTICVLVS I.
EQVVS VEL EQVA
Vita lubrica. Laſciuia. Luxuries.

IMPRIMIS autem EQVVS eſt lubrica prauorum vita. Quo intellectu dicitur Pſalmo XXXI. *Nolite fieri ſicut Equus & mulus.* Et Ieremiæ V. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt. Vnusquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Huius generis *Equum* multi conſcendunt: ſed ſunt Equites Satanæ, qui in Laſciuia, ſeu Luxuria equitant, lubrici, molles, impudici, alæ, Venerei, fornicatores, adulteri, inceſti hisq; ie ſimiles, collo tenus ſordibus libidinis immerſi. Quorum cum non pauci reperiantur in exercitu Catholicorum, & Cacodæmoni militent, Orco deſtinati, immo deuoti, & ſponte ſua addicti, quid mirum, ſi aliquando vincamur, aut proſternamur? Hic igitur non eſt Equus Apoſtolorum, nec Equitum Chriſtianorum.

ARTICVLVS II.
EQVVS
Poteſtas. Dignitas. Regnum. Imperium.

EQVI nomine Dignitas temporalis denotatur. Cuius iſta eſt ratio, quia *Equus* antiquiſſimis temporibus nobilitatis fuit inſigne: & priuſquam ad Equeſtrem Militiam transferretur, fuit decus togæ, & Equeſtris dignitatis inſigne. Apud Romanos quidem Equeſtris Ordo illuſtrium virorum fuit, atque Seminarium Senatus, vt ex Militiæ Romanæ ac Reipublicæ Scriptoribus conſtad, teſtaturque Dionyſius Halicarnaſſæus (a) & Cicero; (b) Hinc queritur Martialis (c) in Ordinem Equeſtrem relatos ſeruos

Nec de Cappadocis Eques cat iſtis

In quo argumento Satyram integram poſuit Iuuenalis. (d) Huc ſpectat illud vulgare;

Dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores.
Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.

Apud Perſas quoque & Parthos nobilitatem à plebe diſtinguebat, Equo vehi, aut pedibus incedere, auctoribus Strabone (e) ac Iuſtino. (f) Idem apud Orientales omnes obtinuiſſe crediderim, cum apud eos idcirco in pretio fuerit & Equus & Equitatus. De quo Petrus Faber in Semeſtribus, (g) & Alexander ab Alexandro in Genialibus (h) eruditè diſſerunt.

HINC Equus ſignificat, aut portendit ſupre-

(a) *Lib. xx.* (b) *Philipp.* 1 (c) *Lib.* 1. *Epig* 76 (d) *Saty* 3 (e *Lib.* v (f *Lib.* iv. (g) *Lib.* 1. *cap.* 6. (h) *Lib.* 2 *cap.* 19.

ſupremam quandam poteſtatem & dignitatem regiam. Ad quod roborandum admiranda eſt, & perquam iucunda narratio in Annalibus Bohemicis. Tertia Bohemiæ Princeps fuit LYBVSSA, Croci Regis filia, cui, cùm quærendus eſſet maritus, deſignauit ipſa decem, ex primoribus, illisque Equum ſuum magnificè, inſtratum viæ ducem præſcribit: eius autem veſtigijs ne deflectant monet: abiturum quippe eum, Superis ductoribus ad Colonum quendam in ferreâ menſa prandentem, quem Bohemiæ Principatui diuinitus deſtinatum ne dubitent. Exhortatiunculam ad abeuntes expreſſit elegans Poëta.

Ite boni auibus Procerum decus ardua, certum
Obſeruate gradum Ductoris, non ſine Diuum
Numine, fatali figit veſtigia plantâ.
Fatorum mulus ſonipes, non ſponte remotos
Tranſmittit campos, demiſſis liber habenis.
Quamuis frena fluant ſibi libera: non tamen omnis
Seſſor abeſt: ſæpe at motus Equus *audit habenas,*
Multumque occultis agitur calcaribus. Ecce
In medio reſidet Diuum Themis aurea ſellâ,
Et certo tactus nutu moderatur habenas.

Inſiſtunt Ductoris Equi veſtigijs Legati Bohemici, nec iam fortaſſis ſine tædio: quippe paullò minus quinquaginta millia paſſuum pedites erant emenſi. At ecce tibi *Equus*, vt ventum eſt ad ripam fluuij (*quo loco nunc pagus Stadicius viſitur*) ſubitò ſe de via in agrum conuertit, recens tum, & pro meliori parte proſciſſum, graduque conſtanti ad Aratorem pergens, poplites ei, vnà cum ceruice, quaſi venerabundus ſubmittit. Vocabatur is *Primislaus*, cui legationem ſuam exponunt Oratores, & inuitant, vt dignitatem omnium maximam, quippe Regiam, in Equo aſcendat. Non multum his motus Primiſlaus: nimirum, vtriuſque fortunæ capax, mox aratrum ſuum ſupinans, ruſticoſe prandio reficit, vomere menſæ vicem gerente. Obſtupuit hic enim verò nobilis illa Legatorum corona, in vomere menſam, quam Lybuſſa prædixerat, ferream contemplata. Vt ſe refecit Primislaus, exſurgit è menſâ, nempe Stiua, boues ſuos proximè paſcentes intuitus, ſic alloquutus fertur.

Adeſte fidi, ſemper in duro mihi
Sudore comites: Fata nos tandem graui
Soluunt aratro. Non ego poſt hac fero
Tonſa vobis colla conſtringam iugo,
Laſſique ſtimuli dente mordebo pedes.
Comites quietis eſſe vos decet meæ
Olim laboris. Ite ad Elyſium nemus
Magnisque Diûum gregibus immiſti ſacros
Tondete campos, rore qui ſemper nouo
Nouoque ſemper gramine pecoribus virent.
Me tuta cepit vita, & excelſa quies
Domeſtica aula. Dixit, & tenuem illicò
Abiere in auram liberi iugo boues.

PRIMISLAVS deinde *Equum* aſcenſurus, ſtimulum, quo boues hactenus agitarat terræ impangit. Quem mox (portentum!) in corylum fronduiſſe, immò, & nuces auellanas protuliſſe narrat antiquitas: fides ſit penes auctores. Villæ certè illius incolæ, in qua hæc facta creduntur Bohemiæ Regibus non plus tributi pendere iuſſi ſunt olim, quam nucum illarum exiguam menſuram. Quis vetet eos modò portenti tanti memoriam renouare & tributum ſuum perſoluere? inquit eruditus ſcriptor. Partem itineris confecerat Primislaus, cùm ſubitò ruſticarum carbarinarum, ſeu calceorum querneorum, quibus arator vſus fuerat, oblitum ſe ſentiens, nonæquè oblitus ſortis ſuæ, è Legatis vnum aliquem, qui eos ex agro

mox

mox deferat, in arce Viſſegradenſi ſeruandos, poſteriſque Bohemiæ Principibus frequenter in originis ſuæ memoriam exhibendos. Seruati ſunt illi diu quàm religioſiſſimè. Immò, & per Sacerdotes templi Viſſegradenſis in Coronationis pompa antè Regem frequenter delati.

ITAQVE *Equus* Symbolum eſt dignitatis, & poteſtatis etiam ſummæ, tam ſacræ, quàm profanæ. Quod ſumitur ex ipſâ Equi natura imprimis nobili. Quamobrem fuit *Equus* ſemper Principe ac Rege dignum donum, nec non præclariſſimorum præmium facinorum dari ſolitum viris generoſiſſimis, & Ducibus fortiſſimis. Sic apud Maronem lib. V. Æneidos Victoriæ præmium *Equus* proponitur:

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Primus Equum phaleris inſignem Victor habeto.

Libro IX. promittit Aſcanius Niſo Equum Teucri ſi vicerit:

Vidiſti quo Turnus Equo, quibus ibat in armis
Aureus? illum ipſum, clypeum, criſtaſquè rubentes
Excipiam ſorti, iam nunc tua præmia Niſe.

Briſeis quoque Achilli ſcribens apud Naſonem Equos XII. ei datos ab Agamemnone numerat.

Biſſeni aſſueti vincere ſemper Equi.

denique, Fabius Maximus apud Plutarchum, Marſo inter præmia, *Equum* pollicetur. Hinc regium cenſetur, multos tales Equos in donaria habere paratos, De Ænea Virgilius VII. Æneidos

Hæc effatus, Equos numero Pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præſepibus altis.
Omnibus extemplò Teucris iubet ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes, pictiſquè tapetis.

(*a*) Cyrus ducentos habebat, quibus erant frena aurea, amiculiſque virgatis ſtrati educebantur. C. Marius Coriolanus, (*b*) ob egregia militiæ facinora à Poſthumo optionem muneris accipiens, Equum tantùm, (*c*) & hoſpitem ſumpſit, virtutis & pietatis exemplum.

ET, vt recencius aliquid adferamus: cùm Theodoricus Rex ab Herminafrido Thoringorum Rege cum Legatis Equos accepiſſet, in ea verba reſpondit apud Caſſiodorum. (*d*) quibus eleganter tum Equum, velut donum regium, tum inceſſum ipſius, magnificentiam principalem exprimentem deſcribit. *Salutantes vos gratia competenti, indicamus nos venientibus legatis veſtris impetrabilis quidem rei, ſed more gentium ſuſcepiſſe pretia deſtinata: Equos argenteo colore veſtitos, quales decuit eſſe nuptiales. Quorum pectora vel crura ſpheris carneis decenter ornantur, coſta in quandam latitudinem porriguntur, aluus in breuitate conſtringitur, caput ceruinam reddit effigiem imitantes velocitatem, cuius videntur habere ſimilitudinem. Hi ſunt ſub pinguedine nimia manſueti, magno mole celerrimi, aſpectibus iucundi, vſibus gratiores. Incedunt enim molliter, ſeſſores ſuos inſanis feſtinationibus non fatigant; quieſcitur potius in ipſis, quàm laboretur, & compoſiti delectabili moderatione agilitate norunt continua perdurare. Verùm, hunc quamuis nobiliſſimum gregem, belluaſquè morigeras decus regia poteſtatis exornat.*

EQVVS igitur ex naturæ quadam conditione dignitatem deſignat, & honoris eminentiam, quæ non ſemper bonis defertur, qui vitijs ac perturbationibus imperant, ſed ſæpe hominibus propter improbitatem peccati ſeruis. Quod ſignificat Sapiens Eccleſiaſtæ X. *Vidi ſeruos in equis, & Principes quaſi ſeruos ambulantes ſuper terram.* Cuius ſenſum aſſerti dicit eſſe

S Neo-

(a) *Xenoph. lib. VII. pædia Cyri.* (b) *Coriolanus.* (c) *Aurel. Victor.* (d) *Lib. IV. Var. cap. 1.*
(e) *Seruus delatus honor ac poteſtas.*

Neocæſarienſis: Vidi peccati ſeruos Equis euectos. Et D. Hieronymus paullò fuſius: Qui ſerui ſunt vitiorum atque peccati, ſiue, tam humiles, vt ſerui ab hominibus computentur, ſubita à Diabolo dignitate perflati vias publicas mannis terunt. S. quoque Gregorius vſurpans illam Christi D. ſententiam, (f) *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, *monet* ſeruos in equis eſſe, cùm peccatores præſentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes verò, quaſi ſeruos ambulare, cùm multos dignitate virtutum excellentes nullus honor erigit; ſed ſumma hic aduerſitas, velut indignos deorſum premit. Quem ſenſum S. Bonauentura, Morinus, & alij plerique Interpretes Latini approbant. Alij dictam paræmiam exponunt de ſeruilis generis, & conditionis, ac viliſſimorum natalium hominibus, quos ad rerum gubernacula admoueri, & ſuper hominum capita quodammodo volitare magnificentiſſimo equorum, veſtiumque ſplendore, & ſolenni pompâ, cùm aliqui natura ipſa, eos ad ſordida quæque munera vocarit, vaniſſimum eſt, & rerum humanarum caducam & inconſtantem rationem ſatis oſtendit. Annon pleniſſimum vanitate,

Ire palam ſeruos in equis, pedibuſque per omnem
Ire magis ſtatus poſitis inſignibus vrbem?

canit alius quidam ad lyram

Quàm ſæpe vidi, qui prius
Viles miniſtri, mox equis
Tolli ſuperbos, max in turba clientum Principes
Et forte verſa lumine
Humi reiectos recedere.

Ad eandem ſignificationem trahit S. Gregorius (g) illud Pſalmi LXXV. *Dormitauerunt, qui aſcenderunt equos*; vt ſenſus ſit: in morte animæ mentis oculos à veritatis luce clauſerunt, qui in præſenti vitæ honore confiſi ſunt. Quare ſic *Equites* in malam partem accipiuntur pro ijs, qui vel non ritè ac ordine dignitatem conſcendunt, aut in ea gloriantur, & euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Tales non fuerunt Apoſtoli, qui quamuis ſummâ poteſtate Eccleſiaſtica eſſent prædıti, ſpem tamen fiduciamque ſuam, non in Titulis eorumque appendicibus, ſed in DEO eiuſque auxilio collocabant.

(f) *Ioan. VIII. Lib. XXXI. moral. cap.* 10. (g) *Lib. XXXI. moral. cap.* 10.

ARTICVLVS III.

EQVVS.

Superbia, Faſtus, Arrogantia.

EQVVS cum honore *Superbiam* denotat; *Eques* Superbum, Arrogantiæ, tanquam iumento inſidentem. Et ſanè *Equus* naturalem habet ſuperbiam inter ceteras animantes, vt ſcribit Ælianus, (a) illamque ſuam naturam gloriæ cupidam atque honoris, phalerarum atque ornamentorum ambitioſa appetentia ſignisque alijs ſatis demonſtrat. Hoc intellectu velut S. Auguſtinus exponens verſum illũ Pſalmi XXXII. *Mendax Equus ad ſalutem*, Equum, inquit, accipe figuratè honorem quemlibet, quem ſuperbus aſcendit. Et in Pſalmum LXXV. Non in *Equis* ſedere, peccatum eſt, ait, ſed ceruicem poteſtatis contra DEVM erigere, & putare, quod arrogantis eſt, ſe honore dignum eſſe. Certè, poteſtas ſiue fortitudo *Equi* eſt ſuperbia, aut in illa fundamentum habet, Pſalmo CXLVI. *Non in fortitudine Equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.* Vt Equus altior eſt corpore animalibus

(a) *Lib. IV. Cap.* 19.

libus pletiſque, ita animo elatior animo incedit. Erreneta eſt in eo ceruix indicans ſuperbiam. Quare in hac ſignificatione Equũ accipit S. Hieronymus in illo carmine *Equũ & aſcenſorem deiecit in mare.* Exodi xv. eandemque tradit S. Baſilius, tum in Pſal. xxxi. tum in cap. ſecundũ Iſaiæ.

Hoc Equo non ſunt vſi Apoſtoli, neque conſcendunt viri Apoſtolici, Equites Chriſti; qui quo ſunt altiores dignitate, eo magis ſe abijciunt, & ſunt inferiores modeſtiâ, memores tot monitionum diuinarum, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus & coram* DEO *inuenies gratiam.* (a) *Non in multitudine eſt virtus tua, Domine, neque in Equorum viribus voluntas tua eſt, nec ſuperbi ab initio placuerunt Tibi: ſed humilium & manſuetorum ſemper Tibi placuit deprecatio.* (b) *Populum humilem ſaluum facies.* (c) *Sublimes humiliabuntur.* (d) *Arrogantiam fortium humiliabo.* (e) Denique, *Qui ſe exaltat humiliabitur: qui ſe humiliat exaltabitur.* (f)

(a) *Eccl.iii.20.* (b) *Iudith.ix.16.* (c) *Pſ.xvii.28.* (d) *Iſa.x.33.* (e) *Iſa.xiii.11.* (f) *Luc.xiv.11.*

ARTICVLVS IV.
EQVVS
Seculum. Mundus.

PER Equum Mundus, ſiue Seculum præſens ſymbolicè indicatur. (a) Quod latet in prophetica enunciatione Iacobi Patriarchæ, Geneſis xlix. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas* Equi, *vt cadat aſcenſor eius retro* Dan Antichriſtum denotat, qui ex tribu Dan oriundus putatur: de quo Ieremiæ viii. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius.* Hic & coluber & ceraſtes, id eſt, cornutus ſerpens dicitur, quia contra fidelium vitam cum morſu peſtiferæ prædicationis armabitur, cornibus poteſtatis, inquit Magnus Interpres Gregorius. Equus autem hunc Mundum inſinuat, qui per elationem ſuam in curſu labentium temporum ſpumat. Et, quia Antichriſtus extrema temporum apprehendet, Ceraſtes iſte Equi vngulas mordere perhibetur. Vngulas quippe Equi mordere, eſt extrema ſeculi feriendo contingere. *Vt cadat aſcenſor eius retrò.* Aſcenſor Equi eſt, quiſquis extollitur in dignitatibus Mundi. Qui retrò cadere dicitur, & non in faciem, ſicut Saulus cecidiſſe memoratur. In faciem enim cadere, eſt in hac vita ſuas vnumquemque culpas agnoſcere, easque pœnitendo deflere. Retrò verò, quo non videtur cadere, eſt hac ex vitâ repentè decedere, & ad quæ ducatur ſupplicia ignorare.

NEQVE *Mundo*, vt *Equo*, vtebantur Apoſtoli, qui dignitatibus eius non extollebantur: neque illum aſcendunt Viri Apoſtolici, qui *non ſunt de Mundo*, licet *ſint in Mundo*, (b) neque eum vobis, vt Equites ſitis propono; ſed horror: *Nolite diligere Mundum neque ea, quæ in Mundo ſunt:* (c) nolite conſcendere hunc Equum, quia cæcus eſt, & in præcipitia ducit. *Si quis diligit Mũdum non eſt charitas Patris in eo*: eſtque filius non regni ſed perditionis. Vt itaque ſub vexillo CHRISTI, inter Equitum Turmas militetis, qui Patris æterni ſigna circumferunt, âlius erit adſignandus.

(a) *Antichriſtus. Coluber. Ceraſtes* (b) *Ioan.xvii* (c) *Ioan.xxi.*

ARTICVLVS V.
EQVVS EQVA.
Animus. Anima.

EQVVM igitur, quo vſi ſunt Apoſtoli, quo vtuntur Viri Apoſtolici, qui ac-

commodatus eſt, & parari debet ad diem belli á Iuſtis omnibus, DEO quę caris, appello *Animum* cuiuſque, cui inſidere debet *Ratio*, & inequitare. Ita inſinuat optimus ſenſuum allegoricorũ explanator Papa Gregorius, qui, (a) EQVI *nomine*, inquit, *preparatio recta intentionis accipitur, ſicut ſcriptum eſt*: Equus paratur in diem belli: Sed DEVS ſalutem tribuit: *quoniam contra tentationem quidem ſe* Animus *preparat, ſed niſi adiuuetur deſuper, ſalubriter non decertat*. Quid hoc eſt aliud, quàm Animum eſſe *Equum*, qui priuſquem cum hoſte, hoc eſt, cum Mundo, Peccato, Cacodæmone; ſeu, cum tentatione qualibet graui fortique certamen ineat, *Equi* in modum cõparari, inſtrui, inſterni, frenari, exerceri, ac expediri debet, vt ſeſſorem, nempe *Rationem* excipiat, nec excutiat? *Ratio* enim in homine, gratiæ diuinæ armis munita, & non ſecus, ac ferro & chalybe Eques, cataphracta, manus cum hoſte conſerit, & glorioſam cum DEI auxilio, victoriam reportat ſi: quidem, *Domini eſt ſalus*: nõ ſolùm in bellis in quibus pugnatur armis corporalibus, ſed & ſpiritualibus, quibus contra tentationes carnis, mundi & Dæmonis Chriſtiani Milites aſſiduè confligunt. Hæc enim victoria obtinetur per Gratiam Chriſti. Vnde Iuſtorum Chriſto militantium eſt poſt quemlibet conflictum illud epiuicium: DEO *gratias, qui dedit nobis victoriam per* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum* 1. ad Corinth. xv. Et DEO *gratias, qui ſemper triumphat*. (hoc eſt) triumphare facit, nos *in Chriſto*, ſecundæ ad Corinthios ſecundò. Et *hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra* 1. Ioannis quinto. Quare V. Beda explicans illud: *Equus paratur ad bellum* (b) *Dominus autem ſalutem tribuit*, per *Equum* intelligens cum S. Gregorio, *Animum*, Hominum eſt, inquit, DEO *deuotè* Animum *preparare tempore perſequutionis, corpus offerre diſcrimini, ſed Diuini eſt adiutorij, vt cepto labore agonis victoria ſalusque ſuccedat*.

VERVM, cùm varia ſignificet ANIMVS, tot licet concipere *Equos*, quos ſuo in ſtabulo alit fouetque Chriſtianus Eques, quot ſunt illius ſignificata. Imprimis autem, *Animum* & *Animam* differre quidam exiſtimant quod Anima ſit vitæ, Animus conſilij. Cui affine eſt, quod Animus pro mente capiatur. Quo pacto Auctor Catenæ Græcæ ſcribit Salomonem appellare *Equum*, Mentem hominis contra vitia ſtrenuè pugnantem: *Equus* enim in prælio eſt acer, animoſus, velox, ferox, exultans, quæ epitheta ſunt Mentis, cuius inſeſſor per Rationem eſt Iuſtus. Itaque ANIMA in homine eſt, qua viuimus, & ſentimus, & mouemur; ita vt contineat vim vegetandi, mouendi, & ſentiendi; quæ omnia communia ſunt nobis cum ceteris animantibus. Nam ipſa aluntur, creſcunt, & gignunt: mouentur præterea ac ſentiunt. ANIMVS verò eſt, quo homines ſumus, quo ſapimus & intelligimus. Cicero idoneus vocabulorum diſcriminator primo Tuſculanarum ſic diſſerit: Animum alij, Animam etiam ferè noſtri declarant nominari: nam & agere animam, & efflare animam dicimus: & Animoſos, & benè animatos, &, ex animi ſententiâ. Ipſe autem Animus ab Anima eſt dictus. Negari tamen non poteſt, Animum pro Anima frequenter ſumi. Quomodo ipſe Cicero in Catone.

(a) *Equus Ratio.* (b) *Moral. l. xxxi. cap. 10.* (c) *V. Beda in Prou.*

Catone, Animos immortales dicit, & cum Anima alibi confundit. Sicut & Macrobius bonus diſtinctionum obſeruator, dum ſcribit: *Tunc Anima libera eſt, & nulla corporis cogitatione impedita.*

QVONIAM tamen vnum, vt loquuntur Grammatici, maſculini eſt generis, alterum fœminini, per me licet, vt ANIMA dicatur EQVA. Quæ eſt ſubtilis conſideratio haud indigna Antiſtite Mediolanenſi Ambroſio (a) vbi damnans ſterilitatem bonorum deſideriorum & laudans fœcunditatem optimorum in mente propoſitorum, Animam comparat cum *Equa*. Verùm non tam ille, quamuis eius ſufficeret nobis auctoritas, quàm Diuinus in Cantico Salomonis Spiritus. Siquidem quod eſt capite primo illius amatorij carminis. EQVITATVI *meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te Amica mea*, quibus verbis Animam ſibi Chriſtus, ſeu DEVS caram alloquitur, legens ipſe, vt habet LXXta. Interpretum editio, *Equa mea in curribus Pharaonis aſſimilaui me Proxima mea*, in hùc modum comparationem declarat.
,, Huius Equæ ſimilis æſtimatur
,, hæc Anima, hoc eſt, Propheticæ vel
,, Apoſtolicæ virtutis, eo quòd in eorum
,, annumeretur gregem, qui fœcundita-
,, te prædicationis ſuæ totius orbis ter-
,, rarum ſpacia refercerunt; & quamuis
,, in corpore conſtituti, nulla tamen cur-
,, ſus ſpiritualis ſenſere diſpendia. Ideo-
,, que laudatur, quod cæleſti ſibi illumi-
,, nante præcepto, iam ſpecioſa, iam pul-
,, chra ſit, quæ vultu præferat caſtitatis
,, decorem, & redimicula ceruicis attol-
,, lat, in qua ſunt patientiæ, & humilita-
,, tis inſignia. Talis Animæ dibgebat ve-
rus Iſaac decorem, humilitatem, pa- ,,
tientiam: & ideò partus eius auidè re- ,,
quirebat. Concepit autem Rebecca ,,
& patientia ſua nodum ſterilitatis ab- ,,
ſoluit. Quid autem pariat Prophetica ,,
atque Apoſtolica Anima conſidere- ,,
mus, & quomodo pariat. *Abijt*, inquit ,,
Scriptura de Rebecca, in cuius vtero ,,
collidebantur paruuli, *conſulere Domi-* ,,
num, & reſponſum accepit: *Duæ gentes* ,,
in vtero tuo ſunt, & duo populi; eo quod ni- ,,
hil ſponte præſumat, ſed in omnibus ,,
ſummum DEVM Præſulē poſcat ſuo- ,,
rum conſiliorum, ſimul plena pacis, ,,
atque pietatis duos populos ſuâ fide & ,,
prædicatione connectat, & tanquam ,,
vtero ſuo claudat. ,,

ITAQVE haud malè anima comparatur Equæ. Malè, dices cùm de Militiâ agitur, ad quam minus idonea Equa. At enim Sponſam quando comparat eius Dilectus cum Equâ in curribus Pharaonis de militari loquitur. Quare S. Ambroſius præmiſerat, Animam, de quâ illi ſermo, eſſe in tabernaculis Iſraël, tanquam in procinctu bellico, vt bonam exerceat *Militiam*, & incurſus exploret hoſtiles: additque, *Virtutis labor quærit victoriam, vt poſſit Equa illi, quæ Salomonis eſt, comparari*, velox ad currendum, habilis ad partum. Certè, currus celeritate ab Equabus Equos ſuperari conuincit veterum auctoritas, & recentium in equeſtri diſciplinâ peritorum experientia. Hinc Homerus Eumelo ad Traianum bellum profecto, Equas velociſſimas attribuit. Virgilius ad certamen curſus Equas producit lib. I. Georg.

—— *Eliadum palmas Epirus Equarum.*

 Hor-

(a) *lib. de Iſaac & Anima, cap. 4.* (b) *Comparationis ratio* (c) *lib. 2. ode 16.*

Horatius idcirco aptam quadrigis dicit (a)

—— Tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis Equa.

Pauſanias quoque *Equas* ferè Olympicis ludis viciſſe oſtendit;& quidem Hecratitæ Teſſali *Equam grauidam.* Auctor etiam eſt Plinius Scythas per bella fæminis vti malle,quoniam vrinam curſu non impedito reddant. Itaque *Equæ* in Militiâ ſunt præ maſculis vſui,tum ad maiorem velocitatem, tum quod nec vrina reddenda retardentur. Habet igitur *Eques Chriſtianus* Animum,vt *Equum*: habet Animam, quam *Equa* Diuinus Spiritus comparat,

ARTICVLVS VI.
EQVVS EQVA.
Affectus. Memoria. Voluntas. Vita.

FREQVENTISSIME *Animus* pro *Voluntate* accipitur, & magis latè, pro *Affectu*. Sic *animi cauſſâ* facere dicimur,quod, vt voluntati & affectui ſatisfaciamus, operamur. Hinc ὁμόψυχος, qui vnius eſt animi,& eorundem affectuum. Voluntate autem & affectibus ferimur,vt *Equis*, in quibus pugnamus, & nunquam victoriam obtinemus, niſi peritè illos regamus. Tot autem in nobis ſunt,vt vix vno contineri ſtabulo poſſe videantur. *Equi* noſtri ſunt, *Amor, Odium, Gaudium, Triſtitia, Spes, Timor, Ira*, & alij his coniuncti affectus, qui in Concupiſcibili & Iraſcibili, partibus duabus Animæ, velut in duobus vnius palatij ſtabulantur equilibus.

ADDE, *Animam* ſignificare interdum *Memoriam*, vt apud Ciceronem, cuius eſt illud: *Quæ ſæpe audiſtis,& tenetis animis, prætermitto.* Et in Catilinam: *Percipite, quæſo, ea quæ dicam,& ea penitus animis veſtris mandate.* Virgilius quoque *Omnia fert ætas animum quoque* vbi Seruius, *Animum* pro *Memoria* dici annotauit. Velociſſima Equarum, quæ vſui ſunt ad bella Domini eſt *Memoria*, à quâ Pegaſus vincitur. Illam dum vſurpant iuſti & inequitant, quod neceſſarium eſt, tempore orationum, meditationum, diſſertationum, & cum aduerſarijs diſputationum, momento per omnes

—— Terraque tractusque maris.

et per Vniuerſi climata omnia circumferuntur, ideoque frænis ſæpius eſt cohibenda, atque aliò flectenda.

DENIQVE, *Anima* idem eſt quod *vita*. *Quid reliqui habemus, præter miſeram animã*, inquiebant apud Saluſtium ſeditioſi, quibus erat domi inopia, foris æs alienum, mala res, ſpes multo aſperior. Iuuenalis

I nunc & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.

Vitam quoque tanquam Equam habuerunt Apoſtoli, vt & Viri Apoſtolici: nos etiam eadem velociſſimè vehimur, & in ea quam diu ſedemus, militamus, hoſtibus occurrimus, ſpem victoriæ habemus. Si ſemel deijciamur, niſi antea triumphauimus, hoſti herbam porrigimus, non præliaturi amplius.

ARTICVLVS VII.
EQVVS. EQVA.
Corpus. Caro.

EQVOS hactenus numeratos produxit nobis

(a) *Lib. xxxi. Moral. cap. 9.*

nobis animi fœcunda' conſideratio; ſta! non pauciores latēt ſub voculâ CORPVS. Nam idem allegoriarum concinnādarum periſſimus Magiſter Gregorius Papa(a) *Equum* facit *Corpus* hominis. EQVVS, inquit, *vnicuique Animæ ſanctæ eſt Corpus ſuum. Quod videlicet nouit, & ab illicitis Continentiæ freno reſtringere, & rurſum Caritatis impulſu exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine* Anima *Sancti Viri exprimitur, quæ iumentum corporis benè ſubditum regit. Vnde & Ioannes in Apocalypſi, Dominum contemplatus ait*: Et Exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in Equis albis. *Multitudinem quippe Sanctorum, quæ in hoc Martyrij bello ſudauerat, rectè* Exercitum *vocat. Qui idcirco in* Equis albis *ſedere deſcribitur, quia eorum corpora luce iuſtitiæ, & caſtimoniæ candore claruerunt*. Ante S. Gregorium, D. Ambroſius, qui in Pſal. CXVIII. Octon. 4. *Animarum noſtrarum, ait Auriga eſt Chriſtus. Qui nos quoque vult aſcendere Equos noſtros, hoc, eſt noſtra* Corpora, *& vigilare ſemper, ne dicatur nobis: Dormitauerunt, qui aſcenderunt Equos.* Conſentit Hugo Cardinalis exponens Sapientis prouerbium ſuperius à nobis recitatum: *Equus paratur in diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit.* Quâ ſententiâ moneri putat hominem, vt *Corpus* ſuum velut iumentū ad bellum edomet, inſtruat, inſternat, vt *Rationem* aut *Mentem*, quaſi Seſſorem excipiat, ac tunc demum illud Equi in modū ad prælium edocti in campum educat, ac diſcrimini obijciat. Poſtquam autem Iuſtus, DEO inſtigante, dirigente, & auxilio ſuo vires, oburque conferente, *Corpus* ſuum ita comparauit, *Dominus nihilominus eſt ſalus*, ac victoria, quæ non niſi ipſo fauente, & nobiſcum pugnante obtinetur. Subdit idem Interpres: *Preparatur autem ad bellum* Equus *iſte tempore perſequutionis in tribus*. Primò, *in aſſuefactione laboris, doloris, famis, frigoris, ſitis, & ceterarum iſtiuſmodi moleſtiarum, ne cùm bellum venerit, ſolo ſonitu buccinæ terreatur*. Secundò, *preparatur virtute, & animoſitate ſeſſoris*. Equus *enim ſub ſtrenuo ſeſſore eſt ſtrenuior*. Tertiò, *preparatur armorum munitione, ne ad ſingula iacula vulneretur. Arma voco hîc fortitudinem, patientiam, audaciam, quibus contemnitur Mors. Tunc verò* Equus *fit expeditus, & comparatus ad ſonitum.*

SIMILIS ferè eſt conceptio Hailgrini Cardinalis, qui illuſtrans ſimilitudinem Sponſæ cum Equitatu Salomonis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te Amica mea*, ita commentatur: *Ego in curribus Pharaonis* conterendis *aſſimilaui te Equitatui meo*. Currus Pharaonis *malitiæ ſunt Satanæ, qui contra fideles animas in quattuor rotis militat: in quattuor Vitijs, quattuor Virtutibus Cardinalibus oppoſitis*. Equitatus *autem* Chriſti *poteſt intelligi* Sanctorū exercitus. *In quorū acie* SPIRITVS CORPORIBVS, *velut* EQVITES, *præſidentes carnē freno Temperantiæ retinēt, ne ſe præcipitet currendo poſt concupiſcentias: & eandē, ne pigra ſit, ſtimulis Timoris & Amoris diuini vrgent, velut Calcaribus ad curſum boni operis. Hi ſunt* Equi, *quos Ioſue ſubneruaſſe, non occidiſſe legitur, ne nimis currerent, & tamen aratris & portandis oneribus competerent. Caro enim occidenda non eſt, ſed caſtiganda, ne ſuperba ſit & laſciua: &, vt ad bona obediens ſit opera, in ſeruitutem redigenda*. Præclarum monitum; quod etiam habet Origenes in caput XI. Ioſue, vbi narratur, poſtquam Dux ille populi Iſraëlitici, ſuperato Iabin Rege Aſorano Aquilonarem Chananææ terræ plagam occupauit, feciſſe, ſicut præcepe

ceperat ei Dominus: Equos eorum ſubneruaſſe, curruſque combuſiſſe. Equos autem ſubneruare eſt pedes ac crura ijs incidere, vel eos, inciſis crurum neruis, tanquam vinculis diſſolutis, debilitare. Hebraicus ſermo habet fundamentum auferre, quia crura, equorum fulcimenta ſunt, ac fundamenta.

GVR autem id fecit Ioſue? quia mandarat Dominus. Ad cur id mandarat Dominus? Non quidem vt quorundam eſt opinatio, quod omnem vſum Equorum Iudæis interdictum vellet: ſed *Primò* quidem, ne quicquam diuinæ detraheretur gloriæ. Cùm enim *Equus* bellicoſum ac pugnax ſit animal, ſi eo ad bella Domini vſi fuiſſent Iſraelitæ, magna pars victoriarum illi adſcribi potuiſſet. *Deinde*, ne Iſraëlitæ magis in generoſo quadrupede, quã in DEI auxilio confiderent. *Ad hæc*, ne ſi ad Chananæos iterum aut venditione, aut alio modo peruenirent, damnum hac ex equum populus DEI caperet. Adiungamus, & iſtud, rei noſtræ accommodatum, vt documento nobis eſſet, quomodo *Corpus* tanquam *Equus*, ſit tractandum. Siquidem habet multas cum Equo proprietates ob quas myſticè ſubneruare, ſecundum DEI voluntatem illud oporteat. Eſt *Equus* animal præ ceteris ſuperbum, vt ſuperius eſt declaratum: eſt φιλόδοξος, inanis laudis cupidus vt leuiſſimus etiam poppyſmis excitetur & inſoleſcat.

Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores.
Si tamen horteris, fortius ibit Equus.

Eſt ferox ac præliabundus: *feruens ac fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam dicit vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducũ, & vlulatum exercitus*, vt eſt apud Iobum. (*a*) Eſt animal ſalax & libidinoſum: hunc de laſciuo Eccleſiaſticus (*b*) *Quaſi pullus equinus fugabitur.* Allicit ad ſui amorem quam plurimos, qui equi ſpecie ac generoſitate magis capiuntur, quam re vlla aliâ, licet magis eleganti, ac neceſſaria. Subneruandus igitur eſt *Equus* noſter, *Corpus* hoc animale, arrogans, ferox, ætate, ſanguineque feruens, inanis gloriæ percupidum, ſalax, amoris veniti illecebra, ſibi placens, multos ad vanitatem excitans. Incidendi ſunt in corpore nerui concupiſcentiæ acutâ mortificationis nouaculâ; eneruandi pedes ſuperbiæ, fulcimenta libidinis, cupiditatum fomites commoditates, deliciæ, mollities, voluptas: vt qui illo vtuntur, *Equites Chriſtiani*, ſint ab omni arrogantiâ, inanis gloriæ ſtudio, ferocia, libidine, & turpi inſano que pulchritudinis creatæ amore liberi. Idcirco potuit Dominus præcipere Ioſue, vt Equos bellicos ſubneruaret. Quod ipſum fecit Dauid omnibus iugalibus curruum, quando Adarezer Regem Soba percuſſit, & cepit ſeptingentos Equites, inſuper mille, præter millia vicena peditum, vt ſcribitur in libro Regum ſecundo cap. v.

(a) *cap. xxxix.* (b) *xxxiii.*

ARTICVLVS VII.

EQVVS

Corpus Peccati.

MVLTIPLEX ego *Corpus* inuenio, quod Equi rationem habet in Equitatu Chriſtiano: non eſt enim Corporis vna acceptio. Siquidem aliquando ſumitur pro maſſa totius animalis ex partibus

tibus ſimilaribus & organicis compacta, quæ vnà cum anima totum conſtituit animal. Qua ratione illud Spiritui opponit Tullius pro Marcello: *Vita*, inquiens, *Corpore & Spiritu continetur.* Aliquando pro ſola *Carne* ponitur. Sic idem ſcribebat: *Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam, nam & vires & Corpus amiſi.* Martialis vtramque ſignificationem vno verſu complexus eſt:

Viuebant laceri membris, ſtillantibus artus,
Inque omni nuſquam corpore corpus erat.

Pomponus Iuriſconſultus, Corporum tria genera adfirmat eſſe. *Vnum* quod vna ſpecie continetur, vt homo, lapis, lignum. *Alterum*, quod ex contingentibus, id eſt, pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, vt ædificium, nauis, armarium. *Tertium*, quod ex diſtantibus compactum eſt: nempe, ex pluribus corporibus vni nomini ſubiectis, vt populus, legio, grex. Hinc factum, vt plurium collectio, aut potius ex pluribus collectis aggregatum dicatur *Corpus*: quod in omni penè rerum genere locum habet. Sic dicimus, *Corpus ciuitatis*, quomodo loquitur Liuius. (*a*) *Collegiorum corpus* nominat Caius l. C. L. 1. §. *In Collegia. ff. Quod cuiuſque vniuerſ.* Item, *Collegia Romæ certa ſunt, quorum Corpus Senatus-cõſultis, atque Conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt.* Sic *Corpus* abſolutè pro certa multitudinis parte, aut tribu dicimus. *Sui Corporis creari Regem volebant*, ſcribit Liuius. Sic *Corpus Iuris*, pro coactis, in vnum volumen omnibus ad Iuriſprudentiam ſpectantibus libris paſſim vſurpatur.

HÆc manu ducent, vt animo efformetur effigies *Equi* Symbolici, qui ſit *Corpus*. Quod cùm varium ſit in Diuinis Litteris, illud mirificè congruit noſtro inſtituto, quod vocatur CORPVS PECCATI. Ita loquitur Doctor Gentium in Epiſtola ad Romanos cap. VI. vbi agens de morte & reſurrectione Chriſti Domini, monet, quod, ſicut Chriſtus ſemel mortuus ad nouam vitam, non amplius moriturus reſurrexit, ita nobis ſit commoriendum peccato, vt in nouitate vitæ ambulemus. *Scientes* inquit, id eſt, cùm ſciatis, *quod vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur Corpus peccati.* Per *veterem hominem*, intelligit vel Maculam ex actu peccati relictam, vt Scholaſticè exponit S. Thomas; vel conſuetudinem peccandi, vt interpretantur aliqui, vel Hominem, qui peccatum, & concupiſcentias naſcendo ex veteri Adamo traxit, quem ſequitur: nimirum, veterem vitam, mores veteres, & veterem viuendi rationem in vitijs & concupiſcentijs, inſtar Adami veteris, vt Cardinalis Toletus & Cornelius declarant. Hic enim *Homo vetus* èſt crucifixus cum CHRISTO, tum per repræſentationem, quoniam Baptiſmo, quo tingimur, repræſentamus Crucem Chriſti ac vitiorum: nimirum, profitemur & exprimimus ceremoniâ ſacrâ, nos cum Chriſto eſſe Crucifixos, & crucifixiſſe noſtra vitia; (*b*) tum per efficaciam, ſiue efficientiã quandam, nempe, quia virtute Chriſti in CRVCE mortui, quæ per baptiſmum, tanquam per inſtrumentum nobis applicatur peccata noſtra deleta ſunt. Siquidẽ CRVX peccatorum noſtrorum eſt mors ac deletio. Sed quid tandem eſt *Corpus peccati*? Dicere poſſis, eſſe peccati *Ius* ac robur. Hebræâ phraſi, qua Corpus ac robur vna eademque voce appellatur (*c*) Ita

(a) *Luc. lib. VI.* (b) *Efficacia* (עצם (c) *gotzem*)

ſubules quidam Interpretes. Quod ſi ſequamur, concipi poteſt *Peccatum*, ſiue eius vis, robur ac poteſtas, vt *Equus* indomitus, ferox, ſternax, præceps, quem ſubigit ſibique parere facit Eques Chriſtianus, homo iuſtus. Deinde verò, *Corpus peccati*, ex interpretatione Origenis, & SS. Chryſoſtomi, Ambroſij, Anſelmi, eſt tota peccatorum maſſa, ſeu congeries, quæ quaſi Corpus quoddam integrum ex varijs ſpeciebus & actibus peccatorum quaſi partibus ac membris conflatur integraturque, vt eleganter depingit Ioannes Caſſianus Collatione XII. cap. 1. & 2. Hoc eſt Corpus hominis veteris, cuius membra ſunt, quæ à Paulo enumerantur ad (a) Coloſſenſes tertio, monente illos, vt membra huius Corporis, velut Equi furentis, ferro mortificationis cohibeant; immò quoniam putrida ſunt, exſcindant: nimirum, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam, & aſtutiam: deponentes iram, indignationem malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem, atque his affinia.

Ceterum, haud ineptè interpretantur quidam *Corpus peccati*, congeriem paſſionum, ac perturbationum animi, quæ ex amore, odio, ſpe, metu, triſtitia, gaudio, alijſque iſtiuſmodi affectibus, tanquam articulis & membris coaleſcit. Vt autem Paſſiones ſingulæ, ſunt velut *Equus* præceps ac rapidus, qui freno domari debet ac conſtringi, vt præclarè diſſerit Origenes homilia V. in Ioſue ac ſuperius à nobis eſt declaratum; ita omnes iunctim ſumptæ, ſunt velut grex Equorum, quorum nunc vno, nũc altero, mox alio vtitur, pro diuerſitate occaſionum, ad victoriam Eques Chriſtianus. Quamuis autem, *Corpus peccati*, ſenſu ſimpliciſſimo, videatur dici Corpus hominis in peccato conceptum, nutritum, peccare ſolitum, cuius membra continent incentiua peccati, ac peccato quodammodo famulantur: ſic enim etiam Paulus *Carnem peccati* nominat (b) quæ in peccato concepta eſt; non deſunt tamen graues auctores, qui nomine *Corporis*, concipiendum docent aggregatum omnium actionum, ſeu operationum humanarum, tam interiorum, quam externarum. Quomodo accipi putant à S. Iacobo Apoſtolo in Epiſtola canonica, dum dicit (c) *Equis ſi frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: poteſt enim freno circumducere totum corpus.* Hoc eſt, qui frenum ori inijcit, & linguam frenat, hic perfectus eſt vir, ideoque frenare poteſt cetera corporis membra, omneſque actiones ac motus moderari & componere ad leges modeſtiæ ac perfectæ virtutis. Concipe igitur Militē Chriſtianum inequitare omnibus ſuis actionibus, quæ exercentur tum à ſenſibus corporis, tum à potentijs animæ, vt quamlibet freno modeſtiæ ac virtutis circumagat & moderetur, quantus hic iterum erit numerus Equorum, qui in domeſticis hominis iuſti ſtabulis, ad omnem expeditionem militarem idonei ſtabulantur.

(a) *Coloſſ.* 3. 5. (b) *Ad Roman.* VII. (c) *cap.* III.

Articvlvs VIII.

EQVI. EQVÆ.

Actiones hominis, Membra Corporis.

Denique, præter operationes humanas, haud incongruè ſingula Corporis

ris membra diuiſim, tanquam Equi conciperentur, cùm ijs inſidere, præſidere, eaque regere ac frenare debeat *Mens & Ratio.* Quam conceptionem ſupponit comparatio Sponſi, qui Amicam ſuam aſſimilat Equitatui, quaſi, quot in illa membra, tot Equi, & in ijs inſeſſores efformandi ſint. Sic etiam totam caſtrorum aciem in ſe continere perhibetur. Certè, S. Ioannes Chryſoſtomus hom. LII. in Matt. LINGVAM, quæ inter membra penè minimum eſt, vocat *Equum regium*, quem ſi frenes, gradarium efficies, dignumque, cui inſideat, & inequitet CHRISTVS. Contrà verò, S. Iacobus, dum monet, linguam eſſe fræno coërcédam, ſignificat, linguam eſſe velut Equum indomitum, & effrænem, qui niſi catenâ aut loro cohibeatur à ſeſſore, putà, Ratione, Equitem aget in præceps, vt ruat in exitium. Veriſſimum enim eſt iſtud Theophraſti (a) *Magis credendum eſt Equo in freni, quàm linguæ indomitæ ac incontinenti: aut verbo incompoſito.* Verùm, quæ damna ex infræni lingua, quæ commoda ſequantur ex frænatâ alibi demonſtramus. Huius loci proprium erat oſtendere, quod reor factum abundè, non deeſſe Equos quibus hoſti ſe opponant, & de Mundo, Carne, Peccato, Cacodæmone glorioſam reportent victoriam, quam vobis in quolibet certamine precor, EQVITES CHRISTIANI.

(a) *apud Laert. lib. 5.*

NOTÆ.

In quibus Auctores & varia.

§. I. ALEXANDER.] *Anno Mundi 3720. Olympiade CXI. anno 3. Romæ T. Veturio Caluino, & Spurio Poſthumo Albino Conſſ. Ante Chriſtum natum CCCXXXII. Alexandri anno ætatis XXI.* Matthæus Raderus *ad Curtium in Synopſi pag 3.*

§. II. AN Iudæis prohibitum equitare?] *Legendus* Nicolaus Serarius *Ioſue XI. quæſt. 7. & 9. Idem Iudicum X. q. 3.*

§. III. AN Apoſtoli geſtauerint calceos?] *Legendus* Ioann. Lorinus *Actuum VII, 33. Actuum XII. 8.*

§. IV. EQVO regia dignitas Primiſlao Bohemiæ oblata.] *Legendus* Dubrauius *lib. 2. &* Collegium Pragenſe *in libro, cuius inſcriptio,* BOHEMIA Exoriens, Chriſtiana, Bellicoſa, Imperans: Gentilis, Pia, Regnans, Auſtriaca. *ad Ferdinandum III. Regem Anno M. DC. XXVII. Commendent poſteritati virtutem bellicam Itali Equo exultante, Mauri in pedes erecto, ſeſſorem iaculabandum rapiente Tarentini, currente Syracuſani, alij frenato, effreni alij; Equus iſte Primiſlai pedibus proſtratus, neſcio quid præ exultante, erecto, currente, frenato, effreni maius & auguſtius ominatur.*

Bello armantur Equi: bellum hæc armenta minantur.

& ecce belli Symbolum iam proſtratum bello inuictâ virtute in Primiſlao videtur veneratus.

Equus *regalibus ornamentis excultus, nullo ſeſſore dimiſſus, & ſponte oberrans, illum portento quodam Poloniæ Regem deſignauit, apud quem, vtpote Seſſorem digniſſimum immotus*

conſtitit. Albertus Cranzius *lib.* I. *VVandaliæ cap.* 17.

§.V.CALCEI quernei.] *Legendus* Æneas Syluius *Bohemiæ cap.* 6. *& Colleg. Pragenſe, in quo iſta.*

Cedite Romani perones, cedite Tuſci
Mulleoli, noſtris cedite Carbatinis.
Aurea Romano ſcintillat Luna cothurno,
Condit Patricium plurima gemma pedem.
Sed quod Romano facit aurea Luna cothurno,
Hoc facit in docto Calceus iſte luto.
Patricium quæ Luna pedem premit, admonet omnes
Lunari titulos conditione regi.
Calceus iſte tuos, ô Primiſlae, nepotes
Immemores ſortis non ſinit eſſe ſuæ.
Aiunt fictilibus prandiſſe Agathocla Regem,
Et Samium menſis appoſuiſſe lutum
Et fuit in Siculis hæc præſtantiſſima gazis
Quæ ſub figlina teſta cauata rota eſt.
Fabritius tarium pertractet menſe ſalinum
Dentatus rapi ſit memor vſque ſui
Magne tuos verſa carbones Scaure frequenter,
Tu Serrane tuam ſæpe reuiſe caſam.
Lentulidi, Fabio, Piſonibus, & Ciceroni,
Sæpe animum ſubeant, Lens, faba, piſa, cicer.
Plebeiam recolant ſublimi in vertice ſortem,
Quos tulit ex humili ſors inopina luto.
At priſcos me literatur auos, Diuosque parentes.
Quos poſuit ſtabili cera vetuſta loco.
Illa frequens Aquilas, Gryphes & Sidera voluat,
Quæ Gryphis, Aquilis, ſidere nota domus.
Sola ſed Auſtriacis recolatur linea Diuis,
Linea per Scutum candida ducta rubrum.

§.VI.VIDI Seruos in Equis.] Montanus *ita carmine reddit Sapientis ſententiam.*

Iam vidi ſeruos equitantes, currere vidi
Magnates horum comites ——

Nimirum, rerum quondam Domini ſerui fiunt, & anteambulones ſeruorum equitantium. Hæc fortunæ viciſſitudo, incertitudo, vanitas, quæ ſeruos ponit in Equis, & Principes facit ambulare ſuper terram. Quod à quibusdam impetrat religioſa humilitas. Nonne enim multi, exemplo Chriſti, in religioſis Ordinibus pedes ambulant, Principum progenies, & virtute Principes, cum agreſtium ſoboles, & ſerui moribus ac vitijs ſint in Equis? Cuius exemplum præclarum eſt in S. Franciſco Xauerio, qui Equitem Indum pedes inſequebatur, vt fidei negotium promoueret animarum lucro inhians, ſemper nihilominus, vt Apoſtoli, Eques Chriſtianus. *Legendus* Lorinus *&* Pineda, *qui egregie docet, quantoperè homines ſeruilis conditionis & ingenij inſoleſcant, cùm* Equum *dignitatis ac poteſtatis conſcendunt: quod exemplis confirmat.*

§.VII.EQVVS Subneruandus.] *Legendus* Serarius *Ioſue* XI.*q.* 7. *Sic enim coercetur à ſubſultatione, alijsque motibus minus moderatis. Aliqui dicunt, Equos ſuffraginare, alij ſuppernare.*

§.VIII.EQVI proprietates.] *Equus libidinoſus & ſalax admodum eſt, & quidem à prima ſtatim ætate ad extremam vſque, vt oſtendit* Ariſtoteles *lib.* VI. *de hiſt. animal. cap.* 22. *Equus coire incipit bimus, tam mas, quam femina, ſed maximè in trimatu. Salaciſſimum eſſe omnium tum feminarum tum marium Equum conſentiunt auctores.*

Equi Diomedis *apud veteres celeberrimi, qui hoſpites deuorabant, denotabant filias impudentiſſimas, quibus admiſceri hoſpites cogebat, & deinde eoſdem interficiebat. Vulgare eſt illud* τὸ ἱππομανεῖν. *& nullus Equus tam effetus, quin Maio binniat. &*

Ante omnes furor eſt inſignis Equarum.

de quarum cauſſâ legendus Ariſtoteles lib. V. *de generat. animal. cap.* 3. *Multa in hanc rem congerunt Interpretes Sacræ ſcripturæ, Pſalm.* XXXI. *Ieremiæ* V. 6. 7. 8. *Ezechiel.* XXIII. 19 20. *Tobiæ* VI.

§.IX.CORPVS.] *Pro altera parte hominis. Sic dicimus prouerbialiter* Corpus ſine pectore: *id eſt, ſine mente, abſque ſpiritu.* Corpus animæ ſepulchrum. *Virg.* Clauſa tenebris &

Car-

carcere cæco. *Pro opere aliquo ſcripto, aut volumine:* Cic. *ad Luceium lib. v.* A principio coniurationis, vſque ad reditum noſtrum, videtur mihi modicum *quoddam corpus confici poſſe.*

§. IX. EQVIS fræna in ora mittimus.] *Legendus, præter interpretes in illam Epiſt. S.* Thomas *Sermone Dominica IV. poſt Paſcha, in quo Iacobi illam ſententiam pertractat, agitque de lingua infrenis damnis, & de frenata fructibus.*

COMMENTATIO III.

EQVVS]

Chriſtianorum Equitum communis

GRATIA DEI.

Suauiter equitat, quem Gratia Dei portat.

Thomas de Kempis *lib. 2. de Imit. Chriſti cap. 9.*

MEMBRVM I.

ANALOGIA

inter Equum & Gratiam Dei.

PRÆTER Equos ad Militiam Chriſtianam idoneos, quos hactenus recenſuimus ac deſcripſimus (ACADEMICI CHRISTIANI) eſt alius quidam, omnium inſtar, cui proprietates ac notæ optimi cuiuſque conueniunt. Vocatur, ne vos morer, GRATIA DEI. Ita hanc concipiebat, eaque vtebatur, & vtendum ſuadebat, inter Equites Chriſtianos perquam celebris THOMAS KEMPENSIS, libello aureo de *Imitatione Chriſti* .. vbi agens de carentiâ omnis ſolatij, hac interrogatione vtitur. *Quid magni eſt, ſi hilaris ſis, & deuotus, adueniente* GRATIA? *Optabilis cunctis hæc hora. Satis ſuauiter* EQVITAT, *quem* GRATIA DEI *portat. Et quid mirum, ſi onus non ſentit, qui portatur ab Omnipotente, & ducitur à ſummo Ductore?*

GRATIA DEI eſt EQVVS nobilis, generoſus, ſublimis, impiger, intrepidus: eſt *Equus* arduus, animoſus, magnanimus, alacer: (a) eſt *Equus* hoſtibus terribilis, ferox, inſultans, fremens: eſt *Equus* ad curſum velox, citatus, alipes, rapidus, volucer: eſt *Equus* bellicus, victorioſus, ac ſemper, & vbique triumphalis. GRATIA DEI, tanquam EQVVS, vexit Petrum Antiochiam: inde, per tot diſcrimina rerum, per tot locorum interualla, per tot montium, collium, fluminum impedimenta, in Italiam, & ad arces vſque Romanas. Gratia DEI portauit *Ioannem*, quod ipſum nomen *Gratiam* ſignificat, in Aſiam:

(a) *Dotes.*

Iacobum in Hiſpaniam, Andream, in Achaiam *Gratiâ* DEI equitauit Thomas ad Indos, Bartholomæus ad Armenos, Matthæus ad Æthiopes. *Gratia* DEI, vt *Equo* impoſitus, peragrauit Philippus Phrygiam, Simon Meſopotamiam, Thadæus, qui & Iudas, Perſidem, Paulus Palæſtinam, Macedoniam, Illyricum, Hiſpaniam, Italiam, viſitauit celeri curſu, Corinthios, Galatas, Philippenſes, Epheſios, Theſſalonicenſes, Coloſſenſes, abijt in Arabiam, reuerſus eſt Damaſcum, venit Ieroſolymam. Vnde apud Paulum tot ſunt huius Equi fideliſſimi encomia, cui curſus ſui inchoationem, continuationem, felicitatem, conſummationem adſcribit. *Gratia* DEI, inquit, *(b) ſumid, quod ſum: Et Gratia eius in me vacua non fuit. Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed Gratia* DEI *mecum.*

(b) 1. *Corin. xv.*

MEMBRVM II.

EQVO-GRATIA

Iter Virtutis inchoandum, peragendum.

SI optas iter virtutis Chriſtianæ ingredi, ac compendiò, & abſque laſſitudine conficere, GRATIAM DEI ſemper, velut EQVVM, tibi habe paratam & conſcende: nam celeriter, & *ſuauiter equitat, quem* GRATIA DEI *portat.* Eſt tibi proficiſcendum, ſi ſaluus eſſe velis, ad *Arcem Humilitatis*, quæ in altiſſimo perfectionis Chriſtianæ monte, in cælum vſque attollitur. Si pedes velis iter facere, humanisque adfectibus, per ſaxa ingentia repere, non niſi defatigationem reportabis, & nunquam metam attinges. Si GRATIA DEI porteris, dicto citius, in altum euolabis, & per vallem humiliationis, per ærumnarum rupes, per contumeliarum anfractus, per confragoſa perſequutionum, alitis inſtar, ad ſumma peruades, quodque mirabere, abſque vllo laſſitudini veſtigio. Nimirum, *ſuauiter equitat, quem* GRATIA DEI *portat.* Cogitas te conferre ad *Continentiæ* longè diſſitum *Hoſpitium*: ſed occurrit, in viâ palus ſenſualitatis, nemus feris pleniſſimum Concupiſcentiæ, ſpinetum tentationis, colles difficultatum, conſuetudinis inueteratæ præcipitia; millies impinges, millies regredieris, millies ſuffocaberis, ſi naturæ pedibus viam ineas, & nunquam, vel in conſpectum hoſpitij venies. Quod ergo remedium, vt facile & abſque labore longiſſimum & difficillimum iter abſoluas? Inſile in *Equum* GRATIAM. *Suauiter*, ac celeriter *equitat, quē* Gratia DEI *portat.* Videbis interdum nonnullos, qui dum tempus eſt, de peccatis confitendi, communicandi, pietatis opera exercendi, quamuis non procul à templis habitent, tamen in ſpacio illo exiguo ſudare, anhelare, titubare, membris penè omnibus concuti: diceres eos milliaria aliquot per rupes & ſaxa cucurriſſe. quæ cauſſa? non habent vectorem Equum GRATIAM. *Solus ille ſuauiter equitat, quem* Gratia DEI *portat.*

NVNC intelligo cur veriſſima, quamuis nimis tarda confeſſione, dicant impij apud Sapientem cap. v. *Laſſati ſumus in viâ*

viâ iniquitatis, & perditionis & ambulauimus vias difficiles. Nimirum, iniquitatum ſarcinâ graues, & peccato, vt talenta plumbi preſſi, vias ambulauerunt huius Seculi, quæ faciles videntur, quia facilis deſcenſus Auerni; ſed ſunt difficillimæ, cum in ijs ſit contritio & infelicitas. In ijſdem, quia carent *Equo-Gratiæ*, aut fœdantur luto, intemperantes; aut arduo laſſantur aſcenſu, ambitioſi, aut ſpinis cruentantur, diuites; aut lapidibus læduntur, auari; aut incurrunt in obſtantia, iracundi; aut tenebris cæcantur, inuidi: aut turba comprimuntur, adulatores; aut in æqualitate, & confragoſitate retardantur, acedioſi: denique, nullus improborum habet *Equum-Gratiam.* Ille autem ſolus *Suauiter Equitat*, *quem* Gratia DEI *portat.*

MEMBRVM III.

EQVO-GRATIA

Iter ad Statum religioſum, & in eo ad perfectionem, Ac in quolibet ſtatu, ad pietatem, ineundum & perficiendum eſt.

HVNC Equum conſcendite, quotieſcumque vobis iter aliquod arduum, periculoſum, hoſtibus infeſtum per Virtutis viam eſt faciendum: nam *Suauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.* Ad perfectionis Chriſtianæ culmen non peruenitur, niſi per montes difficultatum, per valles ærumnarum, per rupes diſcriminum. Pedibus humanis hoc iter non peragitur. Si molliter, leniter, alacriter ad faſtigium tendere vultis, *Equum* conſcendite. Satis *ſuauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.* Huic vos Equo committite, ſi ſapitis, & iter omne, quamuis impeditiſſimũ, conficietis facillimè. Multos terret, dum proficiſcendum, per deſerta ſtatus Religioſi, quæ longiora ſunt, latioraque, quàm aduſtæ Lybiæ, vel Arabiæ æſtuoſæ: ingens oriretur fatigatio, eſſetque iter intolerabile, in iſta ſolitudine per arenas ardentes concupiſcentiæ greſſus multiplicare, quod remedium? non diffidite. Dum quis ſtatus religioſi limen attingit, non permittit oſtio præfectus, qui claues tenet, vt pedibus quis ſuis, ſuis viribus, naturæ conamine, humano niſu, viam hanc capeſſat. Quare ad conſpectum Tyronis educit ex refertiſſimo equis ſtabulo vnũ, aliquem viuidum, benè frænatum, ornatum, phaleratum, cui Viatorem futurum, Nouitium ſuum imponit, qui, quod alioqui fieri non potuiſſet humanitus, iter ſuum hilariter aggreditur, & conficit. Id etiam experiuntur illi Religioſi, qui excalceati, alijs non vtuntur equis: nam hunc à nouitiatus ſui initio omnes accipiunt. An putatis eos ambulare nudipedes? Equitant. *Suauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.*

SVNT in Religione qualibet ab Eccleſia approbata tres altiſſimi montes, omnes nubiferi, propter ſublimitatem ſic dicti: videntur enim contigui nubibus. *Primus* vocatur *Paupertas*, qui Apenninum ſuperat altitudine, eſtque à radice ad culmen ſaxoſus. *Secundus*, *Caſtitas* Olympo eminentior. *Tertius*, *Obedientia*, longè ſublimior Alpibus ijs aërijs, quas Annibal pro ſuis iumentis aceto macerauit, rupit, ac fecit peruias. Hos dum vel conſpi-

conſpiciunt è longinquo homines ſuis aſſueti cupiditatibus, & voluptatibus immerſi, horrent, & quam primum terga vertunt, impoſſibilitatem, aut ſuperandi, aut per gyrum circum eundi cauſſantes. Benè, ſi pedibus per illos eundum eſſet, ſi proprijs conſiſi viribus ſcrupea illa ac ſilicata itinera aggrederentur, ac conficere deberent. Sed non ita ſe res habet. Cuilibet animoſè iter ingredienti offertur *Equus* commodiſſimus, quem ſi conſcendat, nihil tota illa profectione eſt mollius: totam viam legit relegitque ſine omni moleſtiâ. Credite. *Suauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.*

EST iter quoddam omnibus adoleſcentibus arripiendum ac perficiendum ſi ad metam ſalutis æternæ peruenire velint; immò, cunctis hominibus, in ſuo cuilibet ſtatu. Appellatur *Puritatis.* Nam vniuerſis lex DEI mandat, vt nemo ſe contaminet vlla turpitudine, mollitie, luxuria, contactu, aliâue obſcænitate. *Hæc eſt enim voluntas* DEI *ſanctificatio veſtra,* inquit Paulus Apoſtolus: (a) *vt abſtineatis vos à fornicatione: vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in Sanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant* DEVM. Abſtinete *à carnalibus deſiderijs,* monet Petrus Apoſtolorum vertex (b) Contrarium qui facit, certo certius Regnum DEI non conſequetur. Id multis videtur tam difficile, quàm quod difficillimum. Pater mi, tentatio à naturâ, ab ætate, à ſanguine, à ſuggeſtione Dæmonis, ab inſtigatione ſocij, ab aſpectu, à lectione amorosâ, à conuerſatione domeſtica cum Flora, Glycerio, Canidia, toties me facit titubare, concuti, cadere. Impingo nunc in truncum cogitationis laſciuæ, nunc in ſaxum loquutionis ſcurrilis, nunc in lapidem conuerſationis venereæ: ceſpito quotidie, vlterius progredi nequeo; difficillimum reuera eſt hoc iter: deſpero de progreſſu: nunquam perueniam ad terminum. O te imperitum, ac penè delirum! Cur incedis pedibus, ijſque nudis naturæ, per viam impeditiſſimam, obſitam ſpinis, plenam muricibus, exaſperatam ſaxis occaſionum, tentationum, offenſionum, ſcandalorum. Conijce te in *Equum,* qui tam libenter equitas. *Suauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.* Inuoca quotidie DEI Gratiam, non reſiſtas Gratiæ, collabora Gratiæ, reſponde Gratiæ, non recedas à Gratia, non deſcendas ab Equo Gratiæ, & portabit te per viam puritatis temporaneæ ad terminum felicitatis ſempiternæ.

RIDETIS haud dubiè eos, quos videtis adeò angi ſæpe numero, dum eſt proficiſcendum ad propugnaculum Reipublicæ Chriſtianæ, quod dicitur *Sacramentum Pœnitentiæ,* ſeu *Confeſſio,* ad quod vos ſingulis hebdomadibus tam facile peruenitis. Conqueruntur quidam eſſe iter longum, aſperum, implexum: ſeſe cum ſocijs hærere in itinere, non ſeptimanis tantummodò aliquot, ſed menſibus non paucis, immò, anno integro: ſunt, qui annis aliquot: ideoque ad Sacramentum Pœnitentiæ, non niſi quolibet luſtro, ſi tamen quolibet euoluto, ſemel accedunt. Nimirum, dicunt eſſe viam aſperrimam: agitari ſe nimium exterius & interius: occurrere, quæ tranſilienda ſint, foſſas, dumos,

(a) *Ad Theſſal.* IV. (b) *Epiſt.* I. *cap.* 2.

dumos, ſepes, in ſpinas ſe pedes ſuos induere, quibus tenera ipſorum caro cruentetur. Sed quis vnquam ſuaſit vt ſine *Equo-Gratia* aliquis hanc profectionem ſuſcipiat? *Equum* itaque conſcendant, & experientur, vt Vos, quod *Suauiter equitat, quem Gratia* DEI *portat.*

MEMBRVM IV.
EQVI-GRATIÆ

Neceſſitas. Valor. Pretium.

EST hic *Equus*, qui *Gratia* DEI nuncupatur, maximè neceſſarius ad quodlibet iter conficiendum in Militia Chriſtiana. Norunt Philoſophi diſtinctionem in *Neceſſarium ſimpliciter, & ſecundum quid*: in *Neceſſarium quoad eſſe, & quoad benè eſſe.* Poſterioris exemplum dari ſolet initio Logicæ, ſecundum doctrinam Ariſtotelis, quam habet libro V. Metaphyſicæ, *Equus*, quem paſſim dicunt Philoſophi non eſſe proficiſcenti neceſſarium ſimpliciter, nec, quoad eſſe, ſed ſecundum quid, & ad benè eſſe tantùm. Falſum eſt hoc exemplum in *Equo-Gratia*, qui eſt neceſſarius ſimpliciter ad omnem profectionem, quæ ad cælum, per viam Pietatis ducit. Nullum eſt enim officium virtutis Chriſtianæ, nullum opus pium ac ſalutare: nulla actio, loquutio, immò, nec cogitatio, quæ eodem tendit, ſuſcipi poteſt, niſi *Gratia* excitante, comitante, perficiente ſuauiter portemur. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex* DEO *eſt*, pronunciat à Diuino Spiritu edoctus Paulus Apoſtolus, 2. ad Corinth. III. Atque hoc eſt ſolidum, vt reor, fundamentum, veræ ac profundiſſimæ humilitatis, praxim Curiæ cæleſtis, ac progreſſum Prædeſtinationis ſaluandorum, & curſum humanum cõſiderantibus. Quicquid enim faciunt, quicquid moliuntur, quicquid cogitant, quod boni alicuius ſupernaturalis, vel guttulam in ſe continet, ſciunt *Gratiæ* eſſe fætum, recognoſcunt illud à DEO, non ſuæ id tribuunt induſtriæ, ſentiunt ac profitentur, non eſſe id ipſum poteſtatis humanæ, ſed miſerationis diuinæ. Quod eſt principium in Chriſtiana Theologiâ certiſſimum: ex quo deduco, Theologiæ ſiue Magiſtrum, ſiue diſcipulum, qui operam dedit, vt debuit, ſedulam ſuæ diſciplinæ, & vel mediocriter profecit in materia de Auxilijs Gratiæ, ſi intelligat neceſſitatem Gratiæ, non poſſe in ſuperbiam efferri, niſi planè cerebro vacillet.

EST idem Equus pretioſiſſimus. Magni pretij equum cenſemus hoc tempore, qui emitur centum aureis, quid ſi quingentis? quid ſi mille? Bucephalus Alexandri M. emptus fuit, ſedecim, vt Plinius, tredecim vt Gellius eſt auctor, talentis: quæ apud nos, ſi Plinij ſententiam amplectamur, efficiunt nouem millia, ſexcentos aureos ſi Gellij, ſeptem millia, octingentos. Pretioſior multo eſt *Equus, Gratia*, pro quo etiamſi offerres

theſauros Pici, aurum Midæ, talenta Salomonis, gazas Darij, montes aureos, quicquid pingi, fingiq́ue poteſt nummorum, nunquam conſtitueretur precium æquale, aut ſufficiens ad emendum iſtum Equum. Hoc eſt, quod docent Theologi, nulla operâ naturæ, roboris, induſtriæ humanæ, quantumuis excellentia, quantumuis præclara, quantumuis heroica, quantumcumque multiplicata, etiamſi admittas infinitum, poſſe mereri, vel minimum diuinæ Gratiæ. Dicam hoc paullò explanatius. Licet à pueritia tua exerceres, vſque ad decrepitam ætatem, actus quotidianos naturalis, ſeu Philoſophicæ temperantiæ, continueres te ab omni turpitudine, amares vulgarem iuſtitiam, ederes facinora fortitudinis Romanæ: licet, vt loquitur Apoſtolus, diſtribueres in cibos pauperum omnes facultates tuas, licet tradederes corpus, ita vt arderet, non offerres condignum pretium pro Gratia: tam pretioſus eſt iſte *Equus. Quod ſi ex Gratia, iam non ex operibus: alioquin Gratia, iam non eſt Gratia*, Ad Romanos XI.

MEMBRVM V.

EQVVS-GRATIA DEI

eſt Donum diuinum.

QVIS ergo eſt modus illum habendi? quæ comparandi ratio? *Gratia* DEI *Equus eſt regius.* Non eſt tam vilis Rex vllus, aut tam ſordidus, vt ſui ſtabuli Equos generoſos, maximè, ſi ſint ſui corporis, vendat. Sed ſi quem amat peculiariter, ſi benè illi velit, ſi adfectum ſigno externo demonſtrare cupiat, donat illi *Equum. Donum regium eſt Equus.* Ob quam cauſſam antiquiſſimis temporibus habuère Reges, ijsq́ue pares Principes, in ſtabulis Equos quam plurimos ad donandum expoſitos: vt de Æneâ, Cyro, alijsq́ue ſuperius eſt dictum. Idem etiamnum Regibus ac Principibus eſt in vſu. Itaque eſt ſemper donum Regis æterni EQVVS-GRATIA: donum liberalitatis planè gratuitum: non obligationis, non remunerationis. *Gratia eſtis ſaluati, per fidem. & hoc non ex vobis:* DEI *enim* DONVM *eſt: non ex operibus, vt ne quis glorietur, ſcribit* Paulus Apoſtolus Epheſijs cap. II. ideoque hunc ſibi donatum Equum profitetur ipſe cum ijſdem agens his verbis: *(a) Chriſti factus ſum Miniſter ſecundum* DONVM *Gratiæ* DEI, *quæ data eſt mihi.* In epiſtola autem ad Romanos (*b*) deprædicat admirandam DEI noſtri liberalitatem in donando quibuslibet tam pretioſum Equum. *Non ſicut delictum, inquit, ita &* DONVM. *Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis* GRATIA DEI, & DONVM *in* GRATIA *vnius hominis* IESV CHRISTI *in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita &* DONVM.

(a) Cap. III. (b) Ad Rom. 5. Cap. 15.

Nvm. At, quid ſi mihi hunc tam neceſſarium ad Militiam *Equum* non donet: inquis, haud dubiè pergere non potero: immò ne iter quidem inchoare. Non ambigas de Donatoris munificentiſſimi liberalitate. Dat ille omnibus hominibus ratione vtentibus, *Equum-Gratiæ*. Neminem ille hoc ad profectionem ſimpliciter neceſſario medio deſtitutum relinquit. Cunctos donat *Gratia* ad iter ſuſcipiendum *ſufficiente*, vt nullus excuſari poſſit, ſi Equo illo regio non vtatur. Eſt quidem verum, non omnibus donari *Equum* æquè ephippiatum, ſtratumque. Nam quibuſdam datur inſtructus ſimpliciter ad ferendum inſeſſorem neceſſariis, & inſtratus centunculo, quem Theologi exprimunt vocabulo *Sufficientiæ*. Hinc *Gratia Sufficiens*. Alijs donatur cum ephippio *Efficaciæ*. Vnde *Gratia-efficax*, in qua molliſſimè ſedetur.

Svnt qui opinentur hos duos Equos non tantùm in diuerſis eſſe ſtabulis ſupremi Principis, ſed differre etiam quoad naturas phyſicas, ſpecie, vt loquuntur Philoſophi. Aut ſaltem non æqualis eſſe generoſitatis, nobilitatis, excellentiæ. Dari autem Electis, ſeu Prædeſtinatis, illum, qui eſt melioris naturæ, Reprobis aliquem deterioris. Quod in Commentationibus Theologiæ Scholaſticæ ſatis ſuperque à nobis eſt refutatum. Nam *Gratia* quæ datur Reprobis Gratiæ illi, quæ donatur Prædeſtinatis par eſt in naturâ, ſiue entitate, & phyſicè non tantùm æqualis, ſed etiam maior eſſe poteſt: & non rarò de facto eſt maior, ita vt reprobi quidam, homines nequam & ſcelerati, tam facile, immò, facilius ſi e[illegible]itatem Gratiæ ſpectes, quàm Prædeſtinati poſſint ſe ad Devm conuertere, & metam ſalutis equitando attingere. De facto tamen non ſe conuertunt, quia nolunt conuerti: aut certè noluntia conuerſionis inchoatæ curſu perſeuerare. Quod arguit quidem, *Gratiam* datam non eſſe æquè *Congruam*: non autem, quod non ſit æquè naturâ ſuâ fortis. Quod autem vnus conuertetur, alter malitiâ ſuâ nequaquam, quamuis poſſet conuerti, præſciuit ab æterno Devs: hinc vtriuſque ſors diuerſa: optima illius, quem *Equus-Gratia-Efficax* ſuauiter portat ad vitæ mortalis terminum.

Avget verò plurimum Doni rationem, quod hic *Equus* ſemper inſeſſorem ſuum ex medijs hoſtium cuneis victorem reportet. Memini me legere apud Naſonem, donum quoddam inæſtimabile:

Biſſeni aſſueti vincere ſemper Equi.

ſemper vincit, & infallibiliter vincit, Eqvvs, qui nominatur Gratia-Efficax. Sed cur non omnibus hunc dat Devs? Cur Rex non omnibus dat eiuſdem conditionis, indolis, inceſſus, coloris caballum? Cur vni rubrum, alteri album, illi varium, cuidam phaleratum, alicui oſtro ornatum, non omnibus? (a) *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & ſcientiæ* Dei, *quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* ad Romanos xi.

(a) *Roman.* xi.

MEMBRVM VI.

EQVVS-GRATIA DEI

Expeditiſſimus. Celerrimus. Velociſſimus.

EST quorundam Equorum celeritas admiranda, qui idcirco vocantur *alipedes, citi, veloces, pernices, volucres, rapidi, alati, alites.* Probo Imperatori è ſpolijs oblatus fuit Equus, qui in diem, centum percurrebat milliaria, auctore Vopiſco. Sed ſuperat omnes celeritate GRATIA, in quo equitantes Apoſtoli ab Aquilone in Auſtrum, ab Oriente in Occidentem, ex Palæſtinâ in Ægyptum, hinc in Græciam, inde in Italiam, Galliam, Germaniam, Britanniam ocyſſimè, non tam curſu, quàm volatu tranſportabantur. Mirati fuêre nonnulli, quomodo Petrus Turmæ Apoſtolicæ Princeps, tam citò, tam nullo penè tempore, momento propè celerius potuerit tot percurrere prouincias, tot conficere itinera, idque ſine fatigatione, recentibus ſemper viribus, animo, corporeque nunquam non vegeto. Quæ conſideratio, ita Ioannem Caluinum (a) torſit, vt ſcribere non ſit veritus: Certè, niſi momento terram & maria traiecit, vel potius volauit, haud dubiè longè ab Italia mortem oppetijt. Sed præterquam quod veſtigia Petri legenti ex fideli relatione rerum Apoſtolicarum, hoc naturaliter fieri potuiſſe, & factum eſſe conſtet, infatigabilem eſſe potuiſſe Petrum, fidem facit certiſſimum epiphonema: *Satis ſuauiter equitat, quem* Gratia DEI *portat.*

HESTERNA die fuit anniuerſaria memoria B. FRANCISCI XAVIER vnius ex S. IGNATII Parentis noſtri diſcipulis, Viri ad Indiæ potiſſimùm, vltimique Orientis ſalutem nati; quem ſuperatis Gangis Niliquе obſtaculis, & traiecto Oceani interfluentis immenſo penè ſpacio, ad Indos penetraſſe: In Iaponiâ verò, cùm ſe Equiti indigenæ Meacum petenti famulum adiunxiſſet, Dominum equitantem potuiſſe inſequi: & quamuis omnia itineris obijcerentur incommoda, tamen per riuos amneſque, ſiue glacie concretos, ſiue fluctibus tumidos; per valles & montes ſaxis aſperrimas, per dumos & paliuros curſitando prætumem valuiſſe aſſequi, licet ipſe in veptes incurreret ſe, ad lapideſque oſtenſaret pedes, ac laceraret, meritò obſtupeſcunt, qui audiunt. Sed mihi ſtuporem omnem adimit, dum concipio Franciſcum, vt Equitem, & alatæ Gratiæ inſidentem, ac cantillantem identidem,

> *Chriſte ſat, eſt vapror, exundant vbere cali*
> *Pectora, nec tantum mens capit arcta* DEVM.

Satis *Suauiter equitat, quem* Gratia DEI *portat.*

GRATIA DEI eſt Equus perniciſſimus, quo ſolo fit, quicquid tot diſpoſitis veredariorum, aut, vt vulgus loquitur, poſtarum caballis admirabili celeritate conficitur. (a) Laudant Sinenſium induſtriam gentis illius encomiaſtæ, apud quam

(a) *Cal. in 2. Petri. 14 adit. Coll.*

quam referunt quaquà verſus directas ac lapidibus ſtratas vias inueniri, non in decies centena millia paſſuum tantummodo, aut ad menſtruum iter, ſed ad octimeſtre, & ſæpe ad ſeptem millium milliariorum Italicorum ſpacium; certis autem interuallis eſſe hoſpitia, & in eis equorum multitudinem incredibilem, quibus citiſſimè in omnes partes viatores commeent. Verum, quod iter aliquot equorum millibus, quamuis aptiſſimè locatis, non conficeretur, aut, ſi fortaſſe cõficeretur, non tamen ſine maximâ defatigatione fieret, id Equo vno ab Equite Chriſtiano peragitur, & tam molliter, tamque integris ſemper viribus, vt potius in lecticâ viatoria deportari cubando, quàm equo vehi inſidendo dici poſſit. *Suauiter equitat, quem* Gratia DEI *portat.*

DICITE, quæſo vos, quam cenſetis viam longiorem, illam-ne, quæ eſt intra terminos vnius regionis, non omninò maximæ, certè, non tam magnæ, vt eſt orbis terrarum vniuerſus; quàm quæ eſt protenſa inter terram & cælum, inter vitium & virtutem, inter tenebras & lucem, inter malum & bonum, inter Religionem & Seculum? Si ſapitis, & vel extremis labris deguſtaſtis Geometriæ Chriſtianæ principia, quibus demetiri rerum, locorumque longitudines diſcimus in Philoſophia ſacrâ, dicetis, nullam poſſe longitudinis latitudiniſque illius & huius inſtitui comparationem, ac viam poſteriorem infinitis paraſangis eſſe longiorem. Et tamen videmus quotidie, non fallentibus nos oculis, hominem Chriſtianum, ex termino à quo vitioſitatis: quùm eſſet paullò ante ſuperbus, laſciuus, iracundus; tranſire ad terminũ ad quem Virtutis immensè diſſitum; fieri humilẽ, caſtum, manſuetum. Præterea, ab extremo tenebrarum ignorantiæ, erroris, excæcationis in peccato, transferri ad extremum lucis diuinæ Sapientiæ, ſcientiæ, prudentiæ. Adhæc, à limine malitiæ omnis & peruerſitatis, tranſcurrere ad finem boni, non naturalis tantùm ſed ſupernaturalis etiam. Denique, deſerere terram, illiuſque illecebras & in cælo collocari: Adoleſcentem benè natum, molliter enutritum delicatè habitum, mundi commoditatibus, voluptatibuſque aſſuetum, illis nuncium remittere, & in contrarium ire, Religionem amplectendo, vbi dura, incommoda, aſpera, ſenſualitati omnia penè aduerſa, idque tantà celeritate, vt citius perueniſſe quò tendebat, quàm proficiſci animaduerteretur; &, vt fulmineis ocyor alis, ex vno ad alterum extremum, ſine medio, quod tamen fieri poſſe negent Philoſophi, delatus videatur. Quæ cauſſa? Equo vectus eſt, quo punctulo temporis, immenſos cælique ſolique tractus percurrere eſt facile. Nã, vt ſuauiſſimè, ita celerrimè equitat, quem DEI Gratia portat.

QVID iam amplius mirum, primos illos Chriſtianæ Militiæ Equites, (a) Reges Arabũ & Saba, Reges Tharſis & Inſulæ, vt Chriſtum Equitum Sacrorum Magiſtrum, in cunis conuenirent, eique Sacramentum militare dicerent, tantâ celeritate ex remotiſſimis prouincijs, ſiue ab Oriente extremo id eſt, à principio Indiæ, vt exiſtimat S. Hieronymus, ſiue ex Perſide, aut Chaldæa, vt alij, ad Bethlehemiticum antrum, vbi prima Chriſtiano-

(a) *Marcus Polus lib. 2. cap. 20. PP. Societ. Relation.* (b) *Tres Reges Magi quomodo vecti*

rum Militum luſtratio eſt habita, aduectiſſe, vt die tertio-decimo poſt natum Chriſtum ſe ſtiterint. Nam quod habet Epiphanius (a) & Euſebius, (b) biennio poſt prius fuiſſe viſos, Eccleſiaſtica traditione refellitur.

SCIO admirationi occurri poſſe, ſi dicatur cum D. Hieronymo, vectos, equorum vice, dromedarijs, iumentis miræ velocitatis, adeò, vt vno die tantum itineris conficiant, quantum Equus velociſſimus triduo. Verùm id ſiue membrorum laſſitudine, ex corporis ingenti concuſſione contingere non potuiſſet, quæ aliquamdiu ſubſiſtere Ieroſolymis ſuaſiſſet, quod ab ijs nequaquam factum. Nimirum cuilibet ex ijs DEVS, iam tunc *Equum* ex regio ſuo equili adſignauerat, qui ſine defatigatione quælibet itinera ſolet conficere: *ſuauiter* namque *equitat*, *quem* Gratia DEI *portat*.

Hoc Equo ſunt vſi Apoſtoli quos DEVS ratione hominibus abditâ velociſſimè, ſuauiſſimèque vehi voluit. Fertur Apoſtolos, multoſque alios Domini Diſcipulos, ad obitum & funus DEIPARÆ, quam, vt Matrem, omnes coluerant, conueniſſe Ieroſolymis, vt grauiſſimi ex antiquis Auctores confirmant. SS. Ioannes Damaſcenus, (c) Iuuenalis, (d) Andreas Cretenſis, (e) Simeon Metaphraſtes, Glycas, (f) Nicephorus, (g) ſecuti Magnum Areopagitam. (h) Sed non facilè ſeſe expediunt, vt modum demonſtrent, quo vehi potuerint. Quidam aſſerunt, tunc eos Ieroſolymam citra miraculum, quibuſdam ex cauſſis conueniſſe. D. Ioannes Damaſcenus id diuinæ tribuit virtuti: *Diuino, inquit ille impetio, nubis, velò cuiuſdam inſtar, ad Ieroſolymam vehebat, velut aquilas quaſdam impellens, atque in vnum cogens.* Iuuenalis verò Epiſcopus Ieroſolymitanus, ſic ſcribit: *Sancti omnes & Apoſtoli, qui cauſſa ſalutis Gentilium terrarum orbem peragrabant, puncto temporis per altum abrepti Ieroſolymam conuenerunt.* Nicephorus autem ſimiliter. Ego, aio, hos Heroes omnes, vt *Chriſti Equites* concipi poſſe, volucri Diuinæ Gratiæ Equo inſidentes, qui cum celerius quàm auis vlla alarum remigio tranſuolet, facilè mihi perſuadeo momento penè vnico ab vltimis Vniuerſi oris Ieroſolymam, terræ veh… perueniere potuiſſe, & quidem abſque defatigatione vllâ: quia ſuauiter equitat, quem GRATIA DEI portat.

FABVLA olim ob Equi pernicitatem alas Pegaſo aſtinxit. Plinius verò etiam pennatos credidit quoſdam in Æthiopiâ Equos. Alatum, pennatumque meritò dixeris EQVVM-GRATIAM, qui tam breui tempore tantum ſpatium conficit. Volat profectò noſter hic Equus. Non fulmen, non mentis diſcurſus Equo-Gratia eſt velocior.

—— —— non ocyus alti
In terras cadit ira Iouis (i)

Interuallum planè immenſum momentò emetitur: (k)

Quantum non iaculum Parthi, non impetus Auſtri
Non leue ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.

Hoc experitur, qui momento fertur ex Occidente peccati, ad Orientem Iuſtitiæ; ex Meridie concupiſcentiæ, ad

Sep-

(a) *Hæreſi 30. & 51.* (b) *Euſeb. in Chron. Baron. tom. 1.* (c) *Orat. 2. de Dormit. Deip.* (d) *Ora ad Marcian. Imp. in Conc. Chalcedo.* (e) *Apud Sim. Metaphr.* (f) *in Annal.* (g) *lib. 2. cap. 21. 22. 23.* (h) *lib. de nom. diuin. cap. 5.* (i) *Stat. 1. Thebaid.* (k) *Claudian. 1. de rap.*

Septentrionem continentiæ; ex Mundo ad Religionem; ex terrâ miſeriæ, ad cælum Miſericordiæ, ex Orci fundo ad faſtigium Poli, & in apice perfectionis conſtituitur. Quam incredibilem velocitatem nemo mortalium probauit ita, ac Virgo DEIPARA, quæ in libero virtutũ campo, punctulo temporis, per longiſſimum tractum, quem alij multis annorum luſtris non abſoluunt, ad metam, quæ in Sanctitatis culmine eſt poſita, peruenit: nondum è carceribus vteri materni egreſſa, & iam in termino, quod etiamnum multis vix perſuaderi poteſt, conſiſtens. Itaque & Vos, ACADEMICI CHRISTIANI, ſimulque SODALES MARIANI, ſi quàm citiſſimè faſtigium Eruditionis, Sapientiæ, Pietatis amatis, conſcendere, EQVO-GRATIA vos committite, citiſſimè quò curſum deſtinatis veſtrum, metam attingetis.

MEMBRVM VII.

· EQVVS - GRATIA DEI

Non docetur, cùm ſit Artifex. Aſcenſu facilis, Non excutiens. Inuulnerabilis. Indeficiens.

LAVDANTVR Equi non nulli à *Docilitate*, de quâ mira referuntur & nonnulla penè ſupra fidem. Auctoritate nititur haud vana narratio, quod ad ſymphoniæ (a) cantum ſaltent Sybaritani: (b) quod quidam decubitus, ſtationes, motionesque vel hominibus arduas & periculoſas effingant, (c) quod in oppugnanda munitione ſubeant intrepidi, & quoſdam in murum attollant. Non eget docilitate EQVVS-GRATIA, cum ipſe ſit omnium *Artifex*, & doceat ſeſſorem ſuum omnes flexus, inclinationes, motus ad quodlibet iter, vel quamlibet victoriam neceſſarios vel vtiles. Vnde proprio titulo dicitur ARTIFEX. Siquidem de *Equo*, qui eſt *Gratia* DEI, loquebatur Salomon cùm glorⁱaretur (d) *Omnium Artifex docuit me Sapientia*: neque enim à Gratia actuoſa diſtinguitur Sapientia. EQVVS ille verius, quam, quem laudat Solinus (e) inter præliandum, hoſtes tuos morſu petet; tela, ſi quæ ex manibus tibi exciderint, humi collecta porriget, ad iterandum præliũ incitabit. Idē in oppugnāda ſuperbiæ hoſtilis munitione præſto erit ſemper, & in ipſum murum attollet: eſt enim *Equum-Gratia* altiſſimus.

AT, idcirco, inquis, difficilis aſcenſu. Quomodo in illum ſubitò enitar? præueniat ab hoſte, quod metuo, in repentinis caſibus. Non formides facillimè in *Equum-Gratia* conſcenditur. Docentur Equi regij quidam in genua ſe ſubmittere, & inflectere, vt ſcribit (f) Dio Caſſius. Quod ſpectat annuatim Roma in ſolemnitate D. Petri, quando Orator Regis Hiſpani præſentat Pontifici niueum Aſtur-

(a) *Plin. lib. VIII. cap. 42.* (b) *Plutar. in Gryllo.* (c) *Dio Caſſius lib. XLIX.* (d) *Sapientia. VII.*
(e) *Solin. cap. 47.* (f) *Dio. libro 49.*

ſturconem, qui venerabundus poplites inclinat & ceruicem. Hiſpanorum Equi, inquit Strabò,(*b*) in genua ſubſidere docti, vbi vſu ferente iubentur. Commendat ab hac facilitate Equum Clælij Equitis Romani, qui

Inde inclinatus, collum ſubmiſſus & armos,
De more, inflexu præbebat ſcandere terga
Cruribus. —— Silius lib x.

EST condocefactus *Equus-Gratia*, aut potius id à naturâ ſuâ habet, vt ſe facilem præbeat inſcendere volenti: ipſemet accurrit, inuitat, blanditur, iuuat, vt conſcendas: demittit altitudinem genua flectit. Non opus hic vllo mancipio, quod dorſum ſubijciat ad aſcenſum, non neceſſarius eſt ſtrator, qui ſubleuet, non viales lapides, qui pedem attollant. Eſt quilibet Chriſtianus Equo-Gratiæ, quemadmodum Bucephalo fuit Alexander, quem quùm is vellet conſcendere, ſponte genua ſubmittens, excipiebat. Sed exceptum, ais, fortaſſe excutiet, maximè in tantâ velocitate currendi. Nullum eſt huius rei periculum. *Gratia* neminem ſemel dorſo admiſſum, vlla agitatione, celeritate, concuſſione excutit: retinet quemcumque ſemel accepit firmiter, modò *Eques* manere velit. Ex Equo-Gratia nemo, niſi volens, contumax, inſolens decidit. Eſt *Gratia* per ſe conſtans, firma, perpetua. Tua eſt culpa ſi cadas, aut potius, ſi te ex ephippio tam molli ac tenaci eijcias. Quod ſi contingat, nihilominus ſubſiſtit GRATIA, tanquam *Equus*. Et, ô incredibilem Diuinæ Gratiæ philanthropiam! inuitat, vt denuò, te illi committas: amátior tui quàm ſuorum Equi *Sacarum*, *ex quibus*, vt refert Ælianus, (*c*) *ſi qui ſeſſorem excuſſerint, ſubitò conſiſtunt, vt rurſum aſcendere poſſit.*

NONDVM quieſcis, & metuis fortaſſe, ne fatigatus, vel viribus deſtitutus, vel vulnere ſaucius deponat ſaltem ſeſſorem ſuum Equus-Gratia. In quo laudem meruit Bucephalus, qui multis vulneribus confoſſus, deficienſque procubuit, poſito magis Rege Alexandro, quàm effuſo, aut deiecto (*d*) Quod tam gratum fuit Alexandro vt ei pro mauſoleo, & cenotaphio ſuper Hydaſpen, vrbem Bucephalan condiderit.(*e*) At enim EQVVS-GRATIA non ſeneſcit, floridæ ſemper eſt iuuentæ, eſt inuulnerabilis, ac IMMORTALIS.

(*a*) *lib. 3. Geogr.* (*c*) *lib. XII. hiſt. varia* (*d*) *Curtius lib. 8.* (*e*) *Plutar. in Alexan.*

MEMBRVM VIII.

GRATIA TRIPLEX

Præueniens, Comitans, Subſequens
Equo triplici deſignari poteſt.

VT nunquam incomitata eſt GRATIA, ita nunquam *Equus-Gratia* eſt ſolitarius. Et tot licet Equos nominare, quot Gratiarum ſunt genera. Sed miſſis alijs, rapit me Trias illa Theologica multo venuſtior, quàm Poëtica Gratiarum olim celebratiſſimarũ. Apud Theologos noſtros in Scholis nominantur tres illæ: Gratia *Præueniens*, Gratia *Comitans*, Gratia *Subſequens*. Dum audis Gratiam

am (*a*) ***Præuenientem***, concipere potes Equum præcurrentem, qui tibi viam paret, hoſtes detegat, ad hoſpitium metatoris fungatur officio. Hæc enim ſunt munera Gratiæ præuenientis. Dum Gratiam ***Comitantem*** nomino, obuerſetur tibi Equus molliter & venuſtè inſtratus, cui inſideas, ex quo nunquam, modò velis, deſcendas: quem ſequatur tertius, Gratia ***Subſequens***, vt quocumque te vertas, ſemper ***Equum Gratia*** ad manum habeas, cui ſuauiter inequites, & quo potteris. Quam ſplendidè ſuos habet Chriſtianæ Dux Militiæ, qui tribus ſuos Equis opulentet, vt Principum inſtar, in medio ipſi, ante & ponè muniti obequitant.

CVM autem *Gratia*, Vt Equi, *Subſequentis*, mentionem facio, recolit mens, quod refert Cedrenus (*b*) & Curopalata (*c*) Conſtantino-politanæ Scriptores hiſtoriæ, Theophilum Imperatorem, Michaëlis Balbi ſucceſſorem, equitantem cum aulico comitatu ſubſequente, obuiam habuiſſe mulierem, quæ ſuum eſſe, cui inſidebat Imperator, Equum clamitabat, & porrò certis documentis probabat. Subſtitit igitur Imperator, ex equo deſilijt, & mulieri abducendum clari iuſſit. Et quoniam Equum alium, quem fortè nactus fuit, conſcendit; hinc ortam ſcribunt proſequutionem equorum, qui ducerentur manu poſt Imperatorem, vt ſi quid accideret haud prouiſum, parati adeſſét, per quos Princeps deueheretur. Quæ conſuetudo ad alios primi nominis Equites deinde deriuata eſt.

AT Equitis Chriſtiani ſemper ſuit ille ſplendor & magnificentia, vt quamuis timendum nunquam ſit, ne Gratiam ſuam, in quâ ſuauiter equitat, quiſpiam alius ſibi vendicet, tamen ſemper & Antecedentem, & Subſequentem alium ***Equum Gratia*** habeat quo vbique ad ſuum commodum & vtilitatem, atque vt ſplẽdidius ſuum iter peragat, vti poſſit.

VTINAM! quemadmodum Principum plerique hoſpites ſibi caros, & quos in pretio habent abeuntes generoſo donare ſolent Equo, ſic Vos Dominus dominantium, quotieſcumque eum per familiares orationum affatus, & diuinorum participationem Myſteriorum inuiſitis nunquam indonatos hoc Equo quem GRATIAM eſſe diximus, dimittat. Sanè, niſi tantum munus à vobiſmetipſis repudietur, quod ſine maxima ingratitudinis nota non contingit, donandos vos infallibiliter, vt vobis perſuadeatis, velim. Et tandem moneo, vt nunquam iter virtutis, ſiue per valles humilitatis, ſiue per montes contemplationis, ſiue per colles pietatis, ſiue per amæna proſperitatis, ſiue per aſpera perſequutionum, ſiue per ſicca temperantiæ, ſiue per humida à lacrymis pænitentiæ, ingrediamini, antequam Equum Gratiæ conſcenderitis. Ille namque ſolus grauiter *ſuauiterque equitat*, ***quem*** GRATIA DEI *portat*.

(a) *Gratia Præueniens*. (b) *Compen. hiſt. num.* 103. (c) *de Offcial. Palatinis. p.* 56.

Membrvm IX.

GRATIA
EQVVS INCOMPARABILIS.

AN non meritò ita vocem, cui nullus adæquari poteſt, ſiue naturam, ſiue dotes ſpectes? Veſtit illum ſupra niuē, color candidus, cùm ſit ſemper nuptialis, & feſtiuus: velocitate, non ceruos, ſed ventos vincit: eſt pinguis, non macilentus, non ſtrigoſus: magna mole, & ſub eâ nihilominus celerrimus: aſpectu iucundiſſimus: vſibus gratiſſimus: incedit molliter, non ſuccutit, non agitat, non deijcit: ſeſſorem ſuum inſanis feſtinationibus non fatigat: in illo quieſcitur ſemper, nunquam laboratur, compoſitus eſt delectabili moderatione, agilitate continua perdurat, infatigabilis, ac indefectibilis. Quare nunquam te deſtituet, nunquam deponet: ad æternitatis metam te vehet, nec ibi à te diuelletur. Nam, quæ hîc eſt Inchoata, ibi erit Gratia Consvmmata. O Equum incomparabilem! nobiliorem Agrigentinis, venuſtiorem Argolicis, velociorem Eleïs, generoſiorem Siculis, manſuetiorem Epidaurijs, candidiorem Niſæis, ſubliniorem Oebalijs, fortiorem Sarmaticis, elegantiorem Thracibus, bellicoſiorem Theſſalicis, validiorem Cappadocibus, pugnaciorem Piſæis, animoſiorem Magneticis, terribiliorem Venetis, fideliorē Hiſpanicis, Gallicis, Luſitanicis, Hungaricis, pretioſiorem Perſicis, viſu pulchriorem Amyclæis, commodiorem Aſturconibus, Equum verè incomparabilem, ad omnes vſus idoneum; in pace, & in bello: in proſperis, & in aduerſis; in planis & arduis itineribus. Hoc ſi vti volueritis, in nullius virtutis via defatigabimini, quia *Suauiter equitat, quem* Gratia Dei *portat.* (a) Gratia *Domini Noſtri* Iesv *Chriſti*, *&* *Caritas* Dei, *& Communicatio* S. *Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Amen.

(a) 2. *ad Corinth.* xiii. 13.

NOTÆ.

In quibus Auctores & Elucidatio.

§. 1. Gratia Dei eſt Equus.] *Gratia hic non accipitur pro affectu beneuolentiæ, quo* Devs *hominem vel gratum habet, vel quidpiam illi gratis donat, ſed pro dono aut beneficio quod ex tali beneuolentia proficiſcitur, quod quidem donum diuinum tranſcendat naturæ ordinem, & adiuuet ad ſupernaturalem beatitudinem aſſequendam. Sic accepta* Gratia *diuiditur à Scholaſticis in* Habitualem, *quæ & habitus Gratiæ, ac* Gratia Sanctificans *appellatur, & in* Actualem, *quæ &* Auxilium Gratiæ *dicitur. Dum autem Gratia* Dei *vocatur* Equus, *ſumitur* Gratia

pro

pro Auxilio, quod eſt excitans, adiuuans, operans, cooperans, præueniens, concomitans, ſubſequens: *de quibus Gratiæ acceptionibus agunt accuratè Scholaſtici, cum* S. Thoma 1.2.*quæſt*.cx.*vel cum* Magiſtro *in* 2. *diſt*.27.*&* 28.*ac in* 3.*diſt*.23.

§. II. EQVVS neceſſarius ſimpliciter.] *De Gratiæ neceſſitate ſunt longiſſimæ diſputationes apud Theologos. Legendi*, S. Thomas 1. 2.*quæſt*. cix.*ibidemque Commentatores. Bellarminus lib*.4.*de Gratia, & Interpretes Epiſtolæ ad Romanos.*

§. III. GRATIA Sufficiens & Efficax.] *De hac diuiſione, & circa eius membra variè inquiruntur. Præcipua ſunt*. I. *An ſit bona & rationabilis diuiſio*. II. *An, & qua ratione omnibus detur Gratia ſufficiens ad ſalutem*. III. *Quid propriè ſit Gratia efficax?* IV. *An conſiſtat in phyſica prædeterminatione ad benè agendum?* V. *An in determinatione morali ad benè operandum?* VI. *An in congruitate, quam ipſa per ſe habeat cum homine vocato, abſtrahendo à ſcientia* DEI *media?* VII. *An in cooperatione eiuſdem cum libero arbitrio?* VIII. *An in vi infallibili operandi conſenſum, quam habet, vt ſubeſt ſcientiæ* DEI *mediæ?* IX. *An Gratia Efficax ſit maius* DEI *beneficium, quàm Sufficiens?* X. *An fieri poſſit, vt ex duobus habentibus æquale auxilium Gratiæ in entitate phyſicâ, vnus conuertatur, & alter non conuertatur? De quibus in Scholaſticis Commentationibus egimus.*

§. IV. EQVVS ſemper victorioſus.] *Briſeis Achilli ſcribens apud Ouidiũ in Epiſtolis, Equos duodecĩ ei datos numerat, ſẽper victorioſos.*

COMMENTATIO IV.

EQVITATVS HVMANI

Quadrigæ, Trigæ, Bigæ, Currus militares.

Qui aſcendis ſuper Equos tuos, & Quadrigæ tuæ Saluatio. Habacuc. III.8.

Currus DEI *decem millibus multiplex.* Pſalmo LXVII.18.

MEMBRVM I.

CVRRVS MILITARIS EST ANIMA.

Equi ſunt Virtutes, & Paſſiones.

AVRIGA ET AGITATOR CHRISTVS.

NON deeſſe *Equos*, quibus hoſtem euadant, inuadantque *Equites Chriſtiani* ſatis ſuperque demonſtratum opinor. At iidem nõnunquam in *Curribus* & *Quadrigis* congrediuntur: nam & his *Equitatum* ſuum *Humanum* inſtruxit Imperator noſter. Quare & de his agendum, ac vſus ſingulorum declarandus. De quibus dum diſſerit D. Ambroſius (*a*) non ſolum Currum deſignat deſcribitque, verum etiam inſtruit Aurigarium quomodo equos curules dirigere debeat. CVRRVS, inquit, *eſt Anima. Habet Equos bonos, vel malos. Boni*

(*a*) *Lib. de Iſaac cap*. 8.

Equi Virtutes ſunt Animæ: mali equi, Paſſiones *ſunt Corporis. Bonus ergo rector*, ſiue Auriga, *malos equos reſtringit, & reuocat; bonos incitat. Boni equi ſunt quattuor*: Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Iuſtitia. *Mali* Equi, Iracundia, Concupiſcentia, Timor, Iniquitas. *Interdum ipſi* Equi *inter ſe diſſident, ſeque inuicem impediunt, ac curſum retardant. At verò*, Boni Equi *volant, & à terris ad ſuperiora ſubrigunt, animamque eleuant, maximè ſi iugum habeant ſuaue, & onus leue illius, qui ipſe Rector eſt, & nouit* Equos *proprios gubernare, vt æqualis omnium curſus ſit. Velociores* Prudentia *tardat*, Iuſtitia *admonet flagello proprio tardiores*, Temperantia *manſuetiores*, Fortitudo *duriores reddit: nouit copulare diſcordes, ne fortè currum ſuum diſſipent. Iſti ſunt* Equi *ſubiecti fidei iugo, aſtricti vinculo caritatis, iuſtitiæ frenis, retinaculis ſobrietatis*: Et *intelligis illam* Animam *eſſe pacificam, cui Pater* DEVS, *præſul ſit*, Chriſtus Agitator. *Hi ſunt Equi Chriſti. Aſcendit ergo Equos ſuos Chriſtus: aſcendit Verbum* DEI *Animas pias, iuxta illud: Qui aſcendis ſuper equos tuos, & Quadriga tua ſaluatio.* Eo ipſo, quod tam peritus Agitator equorum ſuorum, illos conſcendit, & Animam, velut Currum quattuor equorum trahentium dirigit, & in hoſtem ducit, ſalus accedit, & perueniter ad palmam victoriæ. Nam illa ipſa Anima Canticorum VII. inducitur gloriabunda: *Dixi, aſcendam in palmã*, nẽpe victoriæ, quam aurigante Chriſto mox conſequitur. ITA ferè Prophetæ illud vaticinium de *Quadriga* exponit S. Ambroſius. Qui dum *Currum* dicit Animam hominis, *Equos* eſſe Virtutes, vel Paſſiones, *Agitatorem* Chriſtum, *Præſulem* DEVM Patrẽ, haud dubiè non excludit Spiritum Sanctum, impulſorem ac extimulatorem ad benè currendum. In his autem conſiſtit ſalus & Victoria, quam tunc conſequitur Miles Chriſtianus, qui ex eo curru pugnare, debet concipi, quando paſſiones ſuas, amorem, iram, odium, & iniquitatem, qua voce continentur reliquæ, iugo Chriſti adſtringit, neque euagari patitur: & quando Prudentiâ nimiam in agendo ac dicendo velocitatem moderatur, & Iuſtitiâ nimiam tarditatem emendat, & Temperantia manſuetudinem auget, & Fortitudine contra molliſſimas voluptatis copias duratur.

MEMBRVM II.

QVADRIGA, EVANGELIVM.

Equi, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Homines iuſti.

PRINCEPS QVADRIGARIVS, CHRISTVS.

Secundarius, Miles Chriſtianus.

QVEMADMODVM in Equitatu Angelico *Dominus Exercituum* varios eſſe voluit *Currus* militares, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum; ita in Equitatu humano noluit eſſe vnum, aut vnius generis tantùm, quod ad magnificentiam ſummi Imperatoris ſpectat. Itaque, præter *Quadrigam*, quæ eſt *Anima* cuiuſlibet hominis iuſti, offert ſe perniciſſima *Quadriga*, *Euangelium Chriſti*. Qua-

Quadriga volucris, vocalis, falcata, rapida. De quâ oraculum Prophetæ Habacuc: *Quadriga tua ſaluatio*, intelligit Doctor Auguſtinus, libro IV. de Ciuitate cap. 32. Quid prædicit veridicus Vates? *Qui aſcendes ſuper* Equos *tuos*, *&* Quadrigæ *tua ſaluatio?* hoc prædicit: *Euangeliſtæ* tui portabunt Te, quia reguntur à Te. Et *Euangelia*, quæ ſunt *Quadriga* tua ſalus eſt eius, qui credunt in Te. Rectè *Euangeliſtas*, tanquam *Equos*, *Euangelia*, vt *Currus* concipit, quibus Chriſtus inſidet, vt Director, & ex ijs pugnans.

IMAGINEM eandem formare licet ex vaticinio Zachariæ Prophetæ capite VI. *Ecce quattuor* Quadrigæ *egredientes de medio duorum montium: & montes, montes aeri. In* Quadriga *prima Equi rufi; & in* Quadriga *ſecunda Equi nigri; & in* Quadriga *tertia Equi albi; & in* Quadriga *quarta Equi varij & fortes.* Quæ quamuis ſuperius Curribus militaribus Angelorum applicata ſint; tamen non minus pertinent ad hunc locum, in quo Equitatui Chriſti ex hominibus collecto *Quadrigæ* propriæ adſignantur. Commodè autem per duos Montes repræſentantur duo Teſtamenta, Vetus Moſis, & nouum Chriſti. Sunt enim iſta velut duo Montes, montes excelſi, duri, inconcuſſi, inſuperabiles. Ex his egreſſa ſunt *Euangelia*, quadrupliciter, à quadruplicibus præconibus per orbem vniuerſum promulgata. Traxerunt hanc Quadrigam *Equi rufi*, nempe, Apoſtoli & Martyres, qui ſuo ſanguine purpurati Euãgelia obſignarunt; *Equi nigri*, nimirum, Prophetæ ac Doctores, qui profunda, & abdita DEI myſteria, velut in atris ac tenebroſis obſcuritatis antris latentia eruerunt, & atrati ipſi mundo promulgarunt, ſed obſcurè, & quaſi per ſpeculum in ænigmate; *Equi albi*, ſcilicet Virginitate candidi; denique, *Equi varij* ac fortes, putà, Confeſſores varijs DEI donis illuſtres. Hi omnes, *Currum Euangelicum*, quaſi *Equi* robuſtiſſimi, acti & impulſi, tum vento, tum ſtimulo Diuini Spiritus, per omnes gentes celerrimè traxerunt: in eodem autem Chriſtus Imperator cum ſuis copijs conſiſtens, tartareas omnes poteſtates, gentes idololatras, Principes ſeculi, vitiorum mancipia deuicit, ſibique Mundum vniuerſum ſubiugauit.

VERVM, & hîc quoque per *Currum militarem*, tractum quadricoloribus Equis intelligere poſſumus Animam iuſti cuiuslibet, vel accommodatius, quemlibet Apoſtolum, virumque Apoſtolicum, quemlibet Doctorem, quemlibet denique Militem Chriſtianum. Nam quilibet, tanquam *Quadriga* DEI Zebaoth, trahitur *Equis Albis*, albedine deſignante immaculatam ſanctitatem; & *Rufis*, rubedine indicante ardentem Zelum; & *Varijs*, varietate denotante Sapientiam; & *Nigris*, nigredine inſinuante modeſtiam & humilitatem Chriſtianam. Hi enim colores illarum virtutum ſunt indices. (a) Albedinis eam ſignificationem reſpiciebat Poëta minimè vanus illo verſu: (b)

Sinceri eſt animi & mentis ſtola candida pura.

Rubedo ardoris eſt nota, cùm ſit color accenſus & igneus. *Varietas* ad diuinam Sapientiam refertur, quæ varietatem illam Apoſtolorum & fidelium tanta pulchritudine diſtinxit. *Multiplex color* optimè multiformem artem & Sapientiam ſuggerit: nam *Spiritus Sapientiæ eſt multiplex*,

 Sapien-

(a) *Colores Symbolici.* (b) *Alciat. emblem.* 117.

Sapientiæ VII. *Nigredo* Modeſtiæ, & humilitati Chriſtianæ accommodatur. vnde nigris veſtiuntur plerique Religioſi: eſt enim nigror ſymbolum rei contemptæ, ac externa ſpecie deſpicabilis, quæ fundamentum eſt humilitatis ac modeſtiæ. Haſce *Quadrigas* quadriformes, quæ copijs militaribus ſemper refertiſſimæ ſunt, produxit Militiæ noſtræ Dux & Imperator, in campum contra inimicos capitales ſuæ Religionis, quid mirum, quod nullus quantumuis numeroſiſſimus aduerſariorum exercitus illi reſiſtere potuerit, & omnes orbis habitati & alterius monarchias nullo negocio ſibi ſubiecerit?

MEMBRVM III.

QVADRIGA, ECCLESIA.

Præſes, Deus. Auriga Chriſtus. Agitatores Bellatoreſque, Milites Chriſtiani.

SIGNIFICABATVR bellicus Domini Noſtri Currus, per illum Cherubicum, apud Prophetam Ezechielem (*a*) qui erat inſtar Quadrigæ, in qua DEVS *Zebaoth* armis ſplendidus fulgentibus pergebat contra inimicos, ſtipatus quattuor poteſtatis ſuæ adminiſtris, *Leone, Boue, Homine, & Aquila*, ſeu *Cherubinis* eorum effigie perſonatis.

HIC *Currus militaris*, ſiue dicatur eſſe *Eccleſia*, ſiue *Euangelium*, nam vtrique conuenit ea denominatio, inſeſſorem habet, & ex eo pugnatorem, cum ſuis ſagittarijs innumerabilibus, qui ſunt Iuſti omnes, DEVM Omnipotentem, Aurigam Chriſtum, Agitatores Apoſtolos, quos animabat, impellebatque, tam potens Quadrigarius, dum omnibus in vnum coactis diceret: (*b*) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ite docete omnes gentes.* Senſus Aurigatoris ſupremi eſt iſte.

EIA. agite Currum Euangelij, & gloriæ meæ, Eccleſiam, Vos Apoſtoli, quos binos mitto, quaſi BIGAM Quadrigæ adiunctam, & ſubſeruientem, vel binis rotis, Obedientiæ & Humilitatis, Doctrinæ & ſanctitatis; Verbi & Exempli inſtructam, ad deferendum ac prædicandum Euangelium, & Regnum DEI, per omnes mundi plagas, vt mortales omnes agnoſcant DEVM Currus Præſidem, & quem is miſit, IESVM CHRISTVM, cui omnes caput ſponte ſubmittant, & vt Imperatorem ſupremum adorent. Migrabat *Currus* ille, vt eſt apud eundem Prophetam, (*c*) è templo Ieroſolymitano, quo ſignificabatur Eccleſiam DEI, & Euangelium tranſmigraturum è templo Salomonico, & Iudæa ad Gentes. Nam erat *nomen* illius futurum *magnum in gentibus*, (*d*) quem DEVS conſtituerat Patrem, non multarum ſolùm, ſed omnium gentiũ. (*e*) *Dominus dixit ad me: poſtula à me & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* (*f*) Ite ergo Quadrigæ, Equi, Agitatores, Milites mei (nam hæc omnia, diuerſo reſpectu Apoſtolis conueniunt) in omnem terram: *docete*

(a) *Cap. 1.* (b) *Matt. XXVIII.* (c) *Cap. III. & X.* (d) *Malach. 1.* (e) *Pſ. II, 8.* (f) *Iudith. V. 27.*

circa omnes gentes. Sciat omnis gens, quoniam Dominus IESVS DEVS *terra eſt, & præter ipſum alius non eſt.* (*a*)

PORRO, Quadrigæ huius in Exercitu DEI noſtri celeberrimæ, vel *Rota* quattuor, vel *Equi* quattuor, rectè concipiuntur ac dicuntur eſſe Euangeliſtæ: immò, Apoſtoli omnes, qui animo obijciantur bini & bini, iugo ac vinculo caritatis nexi; vt duodecim generoſiſſimi, ornatiſſimique, ſed & armis vndique muniti *Equi*, inuicem combinati trahere eam cogitentur. Qualem ego Currum nullibi apud profanos reperio. Sed decet Maieſtatem ſummi Imperatoris, vt etiam *Currus*, ſui magnificentiâ omnes ſuperet.

APVD veteres ſuperſtitionis idololatricæ antiſtites, *Biga* quidem Dianæ, ſiue Lunæ, *Quadriga* verò Soli adſignabatur; at *Seiuga*, ſeu ſex equorum, Ioui offerebatur ad vſum, quod maximum Deorum ſuorum eſſe crederent. Hanc aliquando agitauit Mithridates, teſte Plinio. Septemiugis currus alicubi eſt mentio. Quattuor temonibus & equis octo coniugauit Currum ſuum Abradatus, vt memorat Xenophon in pædia Cyri. (*b*) Quem currum intuitus Cyrus, cogitauit fieri poſſe, vt etiam cùm octo temonibus currus inſtrueretur, & octo boum paribus ageretur. Apud Romanos Nero Olympijs aurigauit decemiugem, vt auctor eſt Suetonius; (*c*) ſed excuſſus curru, ac rurſum repoſitus, cùm durare non poſſet, deſtitit ante decurſum. At Imperatoris Militiæ noſtræ Currus trahitur ab Equis non paucioribus duodecim.

QVI etiam, quaterni, ac quaterni ſunt Rotæ, quibus gyratur idem Currus. Quamuis & quilibet quaternis virtutibus inſtructus quattuor *Rotas* repræſentet. Quod nihil abſurdi habet in Sapientia Symbolicâ, in quâ, tum Euangeliſtæ, tum Apoſtoli, tum præcones Euangelij, tum Iuſti omnes *Rotis* exprimuntur. Tum quia, cùm Euangelicum, & Virtutum currum rotant, terram vix extremis digitis contingunt, vt inquit S. Hieronymus. Tum quia impetu velociſſimo, quaſi fulgura feruntur ad vlteriora, quæ retrò ſunt obliuiſcentes, atque in altum aſſurgunt ſemper, nempe, in cælum, ſicque iter arduum, ſcilicet, viam perfectam, ac vitam ſublimem, quæ eſt ſecundum Euangelium moliuntur, vt D. Gregorius commentatur. Tum denique, quia Currum Euangelicum, Quadrigã Cherubicamq; Eccleſiam Militantem agunt, & propagant celerrimè per orbem vniuerſum.

(a) *Iudith. v. 29.* (b) *Lib. vi.* (c) *Cap. xxiv.*

MEMBRVM IV.

QVADRIGA, MVNDVS TOTVS.

Mundus Sublunaris. Quattuor Plagæ Mundi.

QVAMVIS *Quadriga militaris*, quam depingit Ezechiel Propheta, variorum Curruum DEI ſit imago, non omnes tamen eundem habent vſum in Chriſtianâ Militiâ, aliquem tamen ſinguli. Imprimis autem licet concipere Mundum hunc, cælum terramque complectentem, vt DEI illum Currum

Cui

Cuius Rotæ ſunt orbes cæleſtes. Et quidem rota in medio rotæ, vt habet Propheticus ſermo, orbes inferiores medij inter cælum ac terram. Item Coluri, quorum ſpeciem habebant rotæ Ezechielis, Zodiacus, Horizon, Æquinoctialis, alijque circuli iſtiuſmodi. Adhæc, globus terræ & maris, qui rotarum iſtarum eſt centrum. Hunc Currum conſcendit Miles Chriſtianus contemplatione, & ex eo pugnat egregiè contra Atheos, qui cùm negant eſſe Devm, eiusque Prouidentiam, tot ex hac quadrigâ telis impetuntur, ac obruuntur, quot non tantùm ſunt rotæ ac orbes cæleſtes, ſed quot in ſingulis rotis radioli, quot ſphærulæ, quot ſtellulæ, quot puncta. *Cæli narrant gloriam* Dei, *& opera manuum eius annunciat firmamentum*, Pſalmo xviii.1.

Eadem *Quadriga* habens facies quattuor animalium, repræſentat Mundum ſublunarem, qui eſt etiam Currus Sacræ Militiæ, conſtans ex quattuor Elementis; quorum quidem primum *Ignem* ſignificat *Leo*; *Bos*; *Terram*, *Homo*: *Aërem*: *Aquila*, Aquam: ſiquidem ex Aqua creauit Devs auium, quarum Aquila eſt Regina, genus. Currum hunc aſcendit, & in eo conſiſtit, ac pugnat contra Concupiſcentiam carnis, Concupiſcentiam oculorum, & Superbiam vitæ Miles Chriſtianus, premens pede deſpicientiæ, quicquid in Mundo eſt lucidum, vt *Ignis*; quicquid molle, vt *Aër*: quicquid fluuidum, vt *Aqua*: quicquid ſordidum vt *Terra*, quicquid temporaneum, vt mundi ſublunaris omnia: quæ cum tempore labuntur, & tranſibunt, tanquam *Aquila volans*, tanquam *Ignis euaneſcens*, tanquam *Aer tranſiens*, tanquam *Aqua diffluens*, tanquam *Terra contremiſcens*. Itaque vileſcunt ei omnia, quæ in Mundo ſunt, & habentur in terrâ. Quo ipſe ſternitur Mundus, qui hoſtis eſt bonorum capitalis, & obtinetur victoria.

Hanc eandem *Quadrigam* concipit haud malè Origenes, compoſitam è quattuor mundi plagis. Hæ habent quattuor facies, nempe, quattuor Elementa. Spectetur *Oriens*, *Occidens*, *Meridies*, *Septentrio*: in ſingulis eſt *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, *Terra*, ex quibus omnia conſtant, quæ in oculos incurrunt. Rota in medio rotæ, eſt circulus, ac continua reuolutio quattuor Temporum anni: *Veris*, *Æſtatis*, *Autumni*, *Hiemis*. Namque *in ſe ſua per veſtigia voluitur Annus*. Firmamentum eſt cælum, veluti ſedes, in qua Devs, tanquam Auriga, Prouidentiæ loris ac ſcutica equos regens, ſedet. Hic quoque *Currus* eſt paratus ad vſum ſacræ Militiæ: nam in eo pugnatur fortiter à Milite Chriſtiano contra Inconſtantiam, benè incipientibus, ac in viâ virtutis progredientibus infeſtam. Siue enim ſit in Oriente proſperitatis, ſiue in Occidente aduerſitatis: ſiue in Septentrione tentationis: conſiderat reuolutionem continuam Temporum ceu rotarum, nec fidit amænitati Veris, nec capitur pulchritudine Æſtatis, nec allicitur vbertate Auctumni, nec terretur acerbitate Hiemis, ſed immotus conſiſtit, ſemper & vbique ſibi ſimilis. Sic *Sol* in hoc curru, *oritur & occidit*, *& ad locum ſuum reuertitur*: (a) *ibique renaſcens gyrat per Meridiem*, *& flectitur ad Aquilonem*: *luſtrans vniuerſa in circuitu*, at ſemper idem permanens.

(a) Eccleſ. 1.5.

Mem.

MEMBRVM V.
QVADRIGA

ex quattuor hominis facultatibus, & quattuor Paſsionibus compoſita vtitur in prælio Miles Chriſtianus.

PHILOSOPHO ac Theologo digna eſt illa conſideratio Gregorij Nazianzeni, cognomento Theologi, Oratione xlvii. quæ inſcribitur: *Significatio in Ezechielem*, quâ componit *Quadrigam* Domini Exercituum bellicam, ex quattuor Microcoſmi, ſiue hominis facultatibus, quas alij *Partes* vocant, *Poteſtates* nonnulli, & animalibus Propheticis per bellè deſignantur: *Poteſtas rationalis*, Homine; *Iraſcibilis*, Leone; *Concupiſcibilis*; Vitulo; *Conſcientia*, ſiue *Syndereſis*, Aquila. Hæc enim, quæ oculatiſſima eſt Conſcientiam exprimit acutiſſimè videntem, intima penetrantem, moleſtiſſimè pungentem, crudeliſſimè mordentem. In hoc *Curru* conſiſtens Miles Chriſtianus, pugnat contra belluinos Carnis impetus: *Ratione*, cogitans ſe animal eſſe rationale, non pecus; contra criminum acies furibundas *Iracundia*: *Iraſcimini, & nolite peccare*, (a) contra inſenſibilitatem, voluptatemque noxiam, *Concupiſcentia* bonorum: *Sine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem*, contra Hypocryſin *Syndereſi*, quæ fucatum omne penetrat & arguit; contra malum omne, cuiuſcumque generis *Conſcientiâ*, tanquam Aquilâ domeſticâ benè vngulatâ, quæ increpat, arguit, accuſat, teſtificatur, reprehendit, terret, condemnat, vrit, cædit, torquet, flagellat, mordet, rodit, excarnificat. Quantum ab hoc Curru præſidium eſt Militi Chriſtiano?

CVI non minus vtilis eſt eadem *Quadriga militans*, ſi illam conficiant, quattuor Paſſiones, ſeu affectus animi, quos hoc verſu exprimit Poëta:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque

Timor, Amor, Dolor, Gaudium, ſub quibus reliqui intelliguntur, ſunt vel *Rota*, vel *Equi* Currus noſtræ Militiæ, in quo conſiſtens fortis bellator, ſi *Timore* vtatur ad euitandum malum; *Amore* ad inſectandum bonum, *Dolore*, ad delendum peccatum; *Gaudio* ad perſeuerandum in bono, nihil deſiderari poteſt ad glorioſam victoriam.

(a) *Pſal.iv.5.* (b) *Petri.ii 2.*

MEMBRVM VI.
TRIGA

ex tribus Animæ rationalis Potentijs conſtans, in Militia Chriſtiana vtilis.

VT nulla deſit ſpecies militaris Currus in noſtro exercitu, producamus hic quoque TRIGAM, cuius eſt mentio aliqua apud antiquos, qui illam applicabant Dijs inferis: quod hi per tres ætates rapiant ad ſe homines: nempe, per *Infantiam*, *Iuuentutem*, & *Senectutem*. Trigæ autem in prælijs vſum vetuſtum & heroicum

roicum apud Græcos fuiſſe ſatis conſtat. Scribit de ea Dion. (a) duobus equis iunctis, quomodo *Biga* componitur, additum fuiſſe tertium funalem, quem priſci vocabant Παρήορον, quod alijs eſſet adiunctus. Apud Romanos Triga in delicijs fuit Neroni, (b) quem teſtatur Plinius, vti ſolitum potione, vt Trigario, hoc eſt, agitatori trigarum ſe probaret. Nulla Triga eſt magis heroica, nulla vtilior in bello Spirituali, quàm quæ ex tribus animæ rationalis potentijs conflatur, *Memoria, Intellectu, Voluntate.* Hanc ſi, velut Trigarius agat Sacro-Sancta TRIAS, Pater, Filius, Spiritus-Sanctus, ad omnes vſus bellicos erit aptiſſima, & nunquam ſine victoria illam contra hoſtes ſuos vſurpabit Chriſtianus Miles.

CVRVS erit, (c) vti Memoria ad recordationem præmiorũ, quæ bonos & pœnarum, quæ malos manent; adhibere Intellectum ad pietatis exercitationem: accommodare Voluntatem ad mandatorum diuinorum obſeruationem. A *Memoriâ* repellere quicquid puritati intaminatæ eſt contrarium: ad *Intellectum* non recipere, quod ad peccatum alliciat: à *Voluntate* remouere, quod illã ad ſcelus impellat: *Memoriam* oblectare cæleſtium rerum imaginibus, *Intellectũ* replere diuinorum myſteriorũ notionibus, *Voluntatem* conſerere pioruũ deſideriorũ ſeminibus.

(a) *Dionyſ. lib. vii.* (b) *Plin lib. xxvii.* (c) *Ex ea præliandi modus.*

NOTÆ.

In quibus Auctores & Miſcella.

§. I. DEI CVRRVS bellicus.] *Currus Cherubicus apud Ezechielem, erat velut* Quadriga militaris, *in qua Bellator DEVS, armis illuſtris pergebat ad pugnam: contra inimicos, ſtipatus quattuor poteſtatum ſuarum adminiſtris,* Leone, Boue, Homine, *&* Aquila, *ſiue Spiritibus animalium iſtorum formas præferentibus, aut velatis. Quomodo hunc Currum trahant Angeli & circumſiſtant ſuperius diximus. Ita* DEVM *quoque repræſentarunt profani. Plato in Phædro,* Magnus, *ait,* Dux in cælo Iupiter citans alatum Currum primus incedit, exornans cuncta, proindeque diſponens. Hunc ſequitur Deorum, Dæmonumque exercitus per vndecim partes ordinatus: permanet autem Veſta in Deorum æde ſola.

MAGNI *Ducis nomine* DEVS *exprimitur,* quaſi Auriga Mundi, *vt Curru, ex eo pugnans, quem ſequitur* Exercitus *Deorum ac Dæmonum, hoc eſt, vndecim Sphærarum Animæ aſſiſtrices, ſiue Intelligentiæ motrices vndecim cælorum, quos plurimi Angeli ſequuntur, illorum mandata perficientes. Veſta centrum vniuerſi, terramque immobilem ſignificat, circa quod ſuo ſemper loco conſiſtens Sphæra omnes rotantur ac voluuntur. Sic & Orpheus hymno in Apollinem*

—— —— Sunt tibi totius confinia Mundi,
Eſt cura tibi rerum finis, principiumque,
Tu Cithara totum dulci moderaris Olympum,
Per Te cuncta virent. ——

Pulchrè Tertullianus, *vel potius Nouatianus libro de Trinitate (x) loquens de Mundo:* Hic eſt CVRRVS DEI, decem millibus multiplicatus, id eſt, innumerus, infinitus, immenſus. Sub iugo enim naturalis legis omnibus datæ; alia quaſi frænis reuocata retra-

(x) *Cap. 8.*

retrahuntur, alia quaſi effuſis habenis ex ſtrata impelluntur. *Mundum* enim iſtum *Currum* DEI cum omnibus & ipſi Angeli ducunt & altra. Quorum varios licet meatus, certis tamen legibus vinctos inſpicimus ad metas definiti ſibi temporis ducere.

§. II. COLORES Symbolici] *Lege Interpretes Canticorum* I. 5. Comæ eius nigræ quaſi coruus. *vbi* Delrius *ex Heſychio, Bernardo, Alcuino, Beda, Haymone, Anſelmo oſtendit* Nigrorem *Symbolum eſſe rei contemptæ, fundamentum humilitatis, iuxta illud Cant.* 15. Nigra ſum ſed formoſa. *Legendus etiam Alcazar apocalyp.* VI. *Not.* 5.

§. III. TRIGA inferorum.] *Legendus* Hermannus Hugo *de Militia equeſtri lib.* 1. *cap.* 6. Onuphrius *de Circo cap.* 9. Pamelius *in Tertull.*

§. IV. QVADRIGA DEI.] *Conſtruitur recte ex quattuor Monarchijs, quæ quodammodo duxerunt* DEVM *armatum, & pugnantem pro gloria, quæ illi ſoli debebatur, ac ſubiugantem quoslibet rebelles. Sic communis Patrum ac Interpretum ſententia eſt, quattuor* Quadrigas, *quas vidit Zacharias cap.* VI *ſignificaſſe quattuor Monarchias, circa imperium Babylonis Imperium decertantes, quas* DEVS *ſua Prouidentia ſucceſſiue eduxit, rexit, muniit, & pro libito, ad ſuam admirandam potentiam & gloriam, præſertim circa Populum ſuum, per eas vel caſtigandum, vel defendendum ac protegendum toti orbi oſtentandam. Legendi,* Maldonatus, Ribera Cornelius, Sixtus Senenſis, Ferdinandius, Sandæus *libris quattuor de quattuor Monarchijs, in quibus admiranda illarum & controuerſa, quæſtionibus ac reſponſis, hiſtoricis, Ethicis, Politicis, Philologis, Criticis, Eccleſiaſticis, Symbolicis illuſtrantur breuiter, ac categoricè expediuntur.*

COMMENTATIO V.

FRÆNVM *Equitis Chriſtiani.*

MEMBRVM I.

FRÆNI NECESSITAS Ad regendum Equum, & dirigendam Quadrigam.

Equis Fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis: & omne corpus illorum circumferimus.
Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: poteſt etiam Fræno circumducere totum corpus.
S. Iacobus Epiſt. Cap. III. 3.

TRACTAVIMVS in ſuperioribus de FRÆNO, quo Apoſtoli Viri que Apoſtolici, & vniuerſim Iuſti, quatenus ſunt *Equi Chriſti* & DEI, Domini Exercituum, quem portant in corpore ſuo, & anima ſua, circumducuntur, continentur, gyrantur, compeſcuntur, laxantur ad arbitrium inequitantis. Verùm, cum ijdem illi, ſint quoque *Equites*, illorum intuitu Equorum, quibus, tanquam iumentis proprijs vtuntur in Exercitu DEI Sabaoth,

cuius ſunt inſignis Equitatus; adſignare neceſſe eſt FRÆNVM, ad Equi directionem & multo magis, ſi Quadriga in hoſtem inferantur: vt enim Equus non regitur, ſic nec Quadriga dirigitur ſine fræno.

EST itaque ſumma ad benè equitandum neceſſitas fræni. Cuius finis ac proximus effectus continetur ijs verbis Iacobi Apoſtoli: *Equis* Fræna *in ora mittimus ad conſentiendum nobis*: id eſt, vt nobis conſentiant, vt obediant, vt faciant, quod volumus. Nimirum, *Fræno* facit bonus equiſo & Eques, vt Equus anteà indocilis fiat docilis, immò, doctus; vt ex indomito reddatur domitus, vt prius inflexibilis, ſit deinde flexibilis, & in omnem partem ducatur, eique obediat, (a)

Tempore paret Equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

(a) *Ouid. lib. 4. triſt. Eleg. 6.*

MEMBRVM II.

FRÆNVM EQVITIS CHRISTIANI

ad Equorum omnium vſus accommodatisſimum, eſt GRATIA DEI.

IMPRIMIS, Frænum Equitis Chriſtiani commune quoddam & aptiſſimum eſt GRATIA DEI. Sicut fræno domantur equi, cameli, vrſi, aliaque animalia fera, ac indomita, vt eleganter cecinit Martialis lib. 1. epigram. 105.

Picto quod iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbaque tigres,
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea, quod lupata cerui,
Quod frænis Libyci domantur vrſi,
Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis aper capiſtris:
Turpes eſſeda quod trahunt biſontes;

haud ſecus, nullum eſt corpus, nulla anima, nullum membrum, nulla potentia, nulla cupiditas, paſſio, perturbatio (qui ſunt *Equi* Militis Chriſtiani) tam ſæua ac vehemens; quæ non GRATIA *Diuina* dometur, cicuretur, iugumque rationis ac Spiritus cæleſtis ſubeat: GRATIA, tanquã *Fræno*, mitigatur corporis ad pietatis operationes duritia, membrorum rebellio, carnis petulantia: aufertur animæ indocilitas, inſtruitur intellectus, coërcetur memoria, conſtringitur & laxatur voluntas: continetur amor, cohibetur iracundia, in gyrum rationis agitur, ſpes, timor, triſtitia, gaudium: nulli non *Equo* eſt conuenientiſſimum frænum *Diuina Gratia*.

MEMBRVM III.

FRÆNVM EQVITIS CHRISTIANI DISCRETIO.

ALTERVM ad omnes quoque Equos regendos *Frænum* idoneum vocari poteſt DISCRETIO quatenus ſignificatione apud Eccleſiaſticos vſitatâ, non ſeiunctionem denotat, ſed iudicium ac moderationem Hæc omni virtuti, quæ vt *Equus* Chriſtianum Militem vehit, ordinem ponit, modum tribuit, decorum

corum ac perpetuitatem confert. Eſt autem *Diſcretio* non ipſa virtus, cui adhæret, ſed virtutis cuiuslibet moderatrix, ordinatrix affectuum, doctrix morum: inſtrumentum omninò tale, quale eſt *Frænum*, quo niſi regatur Equus, in præceps agitur, feræ ſimilis. Tolle Diſcretionem, & Virtus vitium erit: ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, extremumque ſectando in exterminium naturæ vergit, vt diſſerunt præclarè, ex Græcis S. Nazianzenus, (*a*) ex Latinis S. Bernardus. (*b*) Quocirca, vt monet Abbas Moſes apud Caſſianum, virtutum ſectator, qualis eſt omnis *Eques Christianus*, conari debet maximoperè, vt Diſcretionis bonum virtute humilitatis adquirat: illa enim poteſt illæſum ab vtraque nimietate ſeruare: nempe, vt Virtuti inſidens, non nimium excurrat, quod fit dum *Frænum* nimis laxatur; aut non nimis lentè procedat, quod contingit nimia *Fræni* attractione. *Ad vnum enim finem nimietas ieiunij & voracitatis peruenit, eodemque diſpendio vigiliarum immoderata continuatio, quo ſomni grauiſſimi torpor virum* DEI *afficit*, *Nam per exceſſum continentiæ debilitatum quemque ad illum ſtatum reuocari neceſſe eſt, in quo negligens quiſque per incuriam detinetur.*

DISCRETIO, vt *Frænum*, nunc laxat ad curſum, nunc cohibet. *Ex ſtudio arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore, cum vtilitate tendatur*, inquit Papa Gregorius: *qui ſi ocium relaxationis non accipit, faciendi virtutum ipſo vſu tenſionis perdit. Ita aliquando exercitatione virtus, cùm per* Diſcretionem *prætermittitur, reſeruatur: vt tantò poſt vitia valenter feriat, quanto à percuſſione interim prudenter ceſſat. Certè, plerumque Virtus, dum indiſcretè tenetur, amittitur: cùm diſcretè intermittitur, plus tenetur.* Sine *Fræno* Equus ſi procurrat, nunc lentius, nunc citius, quàm conuenit, iter peragit; nunc ceſpitat, nunc præcipitat, nunc corruit, denique nihil ex officio agit. Idem contingit in virtutum via Equiti Chriſtiano abſque Diſcretione iumentum ſuum agenti. Quare monet grauiter Magiſter ſpiritualis apud Caſſianum (*c*) Monachũ ſuum, vt ſtudeat Diſcretioni, eamque à Deo obtinere nitatur, cùm non valeat humana paſſim induſtria comprehendi. Illam autem, inquit, *niſi fuerit omni intentione aſſequutus, neceſſe eſt eum, velut in nocte cæca oberrantem, non ſolùm pernicioſis foueis prærupt isque incidere*, (vt equis contingit ſine fræno currentibus) *ſed etiam in planis ac directis frequenter offendere.* Addit (*d*) Tam B. Antonij, quam vniuerſorum Patrum antiquorum ſententia definitum eſſe, quod *Diſcretio* ſit, *quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad* DEVM, *& virtutes iugiter conſeruet illæſas, cum qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione conſcendi.* Quemadmodum ad altiſſimorum montium iuga equis benè frænatis faciliùs peruenitur.

QVO autem periculo ſine *Fræno Diſcretionis* itineri ſe committat Eques Chriſtianus, idem Caſſianus exemplis oſtendit eorum, qui præcipiti curſu, quamuis virtuti inequitantes, tamen, quia hoc *Frænum* non adhibuerunt, miſerrimè in barathrum, vnde expedire non potuerunt ſe, ſunt lapſi. Nominat (*e*) imprimis *Heronem*,

(*a*) *in Apolog.* (b) *Serm. 24. in Cant. & 49.* (c) *Caſſian. Collat. 1. cap. 1.* (d) *cap. 4. S. Antonij dictum.* (e) *Collat. 2. cap. 5.*

nem, qui quinquaginta annos in eremo ſolus commoratus, cùm omnes vias ad perfectionis culmen perueniendi inueſtigaret, ſed ſine Diſcretionis habenis diſcurreret, tandem, quod putabat, perfectiſſimum, in puteum profundiſſimum, ſe Equum quæſiuum, quierat Zelus abſque ſcientia, præcipitem egit, hæſitque ibidē, donec magno labore extractus, nondum tamen ſapere didicit, quia *Diſcretionis Fræno* vti noluit. Adducit deinde duos Monachos (*a*) qui, velut Equites, vaſtiſſimam ſolitudinem peragrare voluerunt, nullis eſculentis ſecum ſumptis, cogitantes ſe à DEO non deſerendos. Quæ hæc *Diſcretio*? quod *Frænum* in *Equo Confidentiæ*, cui ſe commiſerant? iam audite in frænis Equi procurſum. Obuij illis fiunt, diuina, haud dubiè prouidentiâ, Mazices, homines cæteroquin feri, qui panes illis offerunt: dubitant, an acceptare debeant, ne peccent diffidentiâ: en iterum *Indiſcretio*. Tandem, vnus accipit, frænatque ſuum *Equum*: alter recuſat, exiſtimans, non poſſe inſtinctu diuino fieri, vt homines tam barbari panem offerrent: atque ita per *Equum effrenem* interijt, fame extinctus.

VULTIS aliud? (*b*) Quidam, Caritati, quæ generoſiſſimus eſt *Equus*, inſidens, profectionem ſuſceperat in eremum, quam diu fuit Diſcretione frænata, feliciter ſucceſſit iter. Factus Eremicola, amabat DEUM corde, ore, opere: donec Angeli praui conſilio, in fraudem inductus, defrænauit ſuum equum, & abiecit Diſcretionem. Itaque conſtituit, ex caritate in DEUM, vt falsò ſuſpicabatur, proprium filiolum, quem ſecum alebat in cellâ, & erudiebat, exemplo Abraham, DEO immolare: & feciſſet, ni puer animaduerteret patrem cultrum acuere. Equum Fortitudinis heroicæ benè frenatum inſcendens, admotis vitæ ſibi caræ calcaribus parentem concitatiſſimo curſu præueniſſet. Neque hoc omittendum (*c*) Equitabat diu peritè in Obedientiæ iumento Monachus celebris Meſopotamenus, donec rupto *Freno Diſcretionis*, ſine diſcrimine obediendum ſibi putauit in omnibus, quæ quibuſcumque à DEO olim mandata fuiſſent. Itaque circumciſionem Iudaicam ſuſcipere ſtatuit: nimirum, populo DEI olim præceptam. Venerat in hanc fraudem illuſione Dæmonis, qui ſpectandum illi præbuerat populum Iudæorum cum Patriarchis candidum, & fulgentem: Chriſtianum cum Apoſtolis & Martyribus tetrum & macilentum. Ita præcipitat virtus, quæ videtur talis, ſed non eſt, ſi careat *Freno Diſcretionis*. QUOD cernitur potiſſimùm in ijs exercitationibus, quæ in oculos incurrunt, & admirationem ingenerant ſpectantium, qualia ſunt ieiunia, vigiliæ, flagellationes, nudipedalia, humicubationes, & ſimilia deuotionis, pietatiſque officia. Quæ niſi *Diſcretione*, tanquam *Freno* temperentur ac regantur, vergūt in exterminium naturæ, vt loquitur Bernardus, eo Sermone, quo *Diſcretionem* commendans, ſumpta metaphora è diſciplinâ Equeſtri, dicit, quod ſit Moderatrix & AURIGA virtutum: Auriga autem per *Frenum* moderatur & ſcuticā, quæ ſymbola ſunt *Diſcretionis*, coërcentis nimis præcipitatam procurſionem, & incitantis nimis lentam. Præclarè Auctor antiquus epiſtolæ ad Demetriadem, quæ legitur

(a) *Hero. c.5.* (b) *Caſſian. Collat. 1. Cap 7.* (c) *Cap. 8.* (d) *Serm. 49. in Cant.*

gitur in operibus S. Auguſtini (a) *Vt immoderata ieiunia, & ardor abſtinentiæ, & enormes inordinataque vigiliæ intemperantia conguuntur; idque nimietate parium, vt hæc ipſa poſtea quidem nec mediocriter fieri poſſint: ita ſtudium lectionis intemperans in reprehenſionē cadit, quoque laudabile eſt in genere ſuo, fit de nimietate ſuæ culpabile. Generaliter quidem ſtrictimque, ſed breuiter dicendum eſt: in bonis quoque rebus, quicquid modum exceſſerit* (hoc eſt, quicquid diſcretione non fuerit temperatum) *vitium eſt.* Narrat Caſſianus, Collat. 2. cap. 12 cum Abbas Ioannes Lici habitans laxaſſet habenas ieiunio, quod in biduum extenderat, & tunc refectionem ſumeret, comparuiſſe Cacodæmonē, terri Æthiopis ſpecie, & ad genua eius aduolutum dixiſſe: indulge mihi, quia ego tibi laborem tam diuturni ieiunij indixi. Vnde cognouit *Frænum Diſcretionis* in cibi ſumendo ſibi à malo Spiritu fuiſſe detractū. Quo ſemper ſibi vtendū ſciat *Eques Chriſtianus*: vt regia via incedat non declinans ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ne per contraria in æquale malum incidat, vt ad hanc rem accommodatè inculcat S. Gregorius Nazianzenus Sermone de moderatione diſputationis, monens in cauſſa fidei quoque vtendum Diſcretione.

(a) *Tom 2. in Append.*

MEMBRVM IV.

FRÆNVM EQVITIS CHRISTIANI

Prudentia. Ratio. Sapientia. Conſilium. Exemplum Maiorum.

QVONIAM autem officio in multis conueniunt *Diſcretio* & *Prudentia*, hanc quoque meritò *Frænum* dixeris. Eſt enim PRVDENTIA virtus, dirigens ad rationis normam vniuerſa, quæ loqui oportet & agere, immò, quæ cogitare, ne quid præter rectum & laudabile fiat. Quare inter alia quibus Prudentiam cōparabat Socrates (a) non poſtremo loco collocabat Frænum: *Nec equo*, inquiens, *ſine fræno, nec diuitijs ſine* Prudentia *vti quis poteſt.* Idem de omnibus alijs rebus vſurpare conuenit: nam nullius probus eſt vſus, niſi adſit Prudentia moderatrix. *Quam ſi quis ritè ſectatus fuerit*, inquit S. Baſilius, *nunquam ab officio virtuteque abſcedet*: nunquā equo ſuo, quo vehitur, extra recti orbitam declinabit: nunquam in vitiorum ſcopulum impinget, nunquam præceps cadet in præuaricationis foueam (b). Idcirco eiuſdem S. Patris monitum eſt (c) *In omni, quæ ſuſcipitur actione antecedere Prudentia debet. Nam ex rebus: nihil cuiuſuis generis eſt, quod licet bonum videatur non in vitium recidat, ſi aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat.* Ratio verò & Prudentia, *vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile eſt, quantus ex earum vſu, cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet.*

QVARE *Fræni* quoq; inſtar eſt RATIO, quam adhibere in omnibus actionibus, ad continendos impetus nimis incitatos, & ad impellendam deſidiam in pietatis exercitationibus, eſt vtiliſſimum. Ita præſcribit D. Nazianzenus de moderatione diſputans, quam aſſequuturos facile exiſtimat, *ſi naturæ leges comprobemus, ſi* Rationem

(a) *Stobæus Ser. de Prudent.* (b) *Hom. 12. in Prouer.* (c) *Hom. 12. Pro.*

nem ducem ſequamur, ſi ordinem, diſciplinamque non aſpernemur. Ad idem facit SAPIENTIA, quæ & ipſa *Frenum* eſt, quod inijcit S. Bernardus (*a*) Equo illi, qui *Zelus* vocatur, quo multi feruntur in præceps, quia non frænatur Sapientiâ. DEVS, inquit, *vult amari non ſolùm dulciter, ſed & ſapienter. Vnde Apoſtolus,* (*b*) Rationabile inquit, obſequium veſtrum. *Alioqui facillime Zelo tuo Spiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionẽ, quàm ſi efficere poßit, vt in ea incautè, & non cũ Ratione*, ac Sapientia frænante *ambuletur.*

VT *Frenum* etiam concipio CONSILIVM ac ſententiam hominis & docti & pij, ſeu Maiorum, Seniorumque in quolibet, ad virtutis, ac pietatis adeptionem inſtituto contubernio. Nam eo facile ducitur amans virtutis ad moderationem, ac vitandum exceſſum defectumque. (*c*) Quare hortatur diſciplinæ ſuæ commendatum Eccleſiaſticus: *Fili ſine* Conſilio *nihil facias*, ſine hoc *Frano* Equum ad progrediendum non extimules, *& poſt factum non pœnitebis. Profectò diuina quædam res eſt Conſilium*, inquit S. Baſilius (*d*) vbi de frænandis affectibus agit) *eſt namque animi coniunctio, caritatis fructus, mentis demiſſæ demonſtratio. Superbia enim magna habetur, exiſtimare, nullius ſe egere auxilio, ac ſibi ipſi penitus adquieſcere. quaſi vel ſolus ſapiat, vel quam optima in medium conſulere valeat. Quare nequaquam cunctemur ijs nos ſubmittere, qui nobis, ea quæ decora ſunt (ſiue moderata) conſulunt; nec vnquam turpe eſſe ducamus confidere, alios quo ad vitam inſtituendam nobis longè eſſe prudentiores. Magnam ſanè adfert hominibus vtilitatem* Conſilium, *eo quod nemo ſibi ſufficiat ad electionem rerum vtiliũ, honeſtarũm-ue, ſed pluribus ſocijs, ijſque ſolertibus opus habet.* Hoc *Frano* maximè indigent Equites iuniores, quibus duplex *Frenum* adſignat Caſſianus (*e*) *Conſilium* Maiorum & *Exemplum*: nam & hoc *Frenum* eſt vtiliſſimum, ad vitanda in equitando per viam virtutis extrema. Siquidem docet Exemplum *non ſolùm per veram diſcretionis viam iuuenes recto tramite incedere, verum etiam à cunctis fraudibus & inſidijs inimici ſeruat illæſos. Nullatenus* enim decipi *poterit quiſque, ſi non ſuo iudicio, ſed* MAIORVM *viuas* EXEMPLO. Idem inſinuat S. Gregorius, (*f*) qui ita de hac re loquitur, ac ſi multa à Maioribus collecta Exempla, conſiderari debeant, tanquam annuli, ex quibus catena conficiatur, qua frænari Equus quilibet, quamuis maximè ferociens, poſſit. Explicans enim illa verba ad Iobum prolata à DEO (*g*) *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super hanc terram*, inquit, *linea tenditur, quando electa cuique anima ad ſumendam viuendi regulam Patrum præcedentium Exempla monſtrantur: vt ex illorum vita conſideret, quid in ſuis actibus ſeruet: quatenus reſpecto iuſti limitis tramite, nec infra negligens minima deficiat, nec vltra maxima ſuperbiens tradat: nec minus conetur explere, quàm ſufficit: nec plus arripiat, quam accepit: ne aut ad menſuram, quam debet, non perueniat, aut eandem menſuram deferens extra limitem cadat. Anguſta quippe por-*

ta

(a) *Serm. 19. in Cant.* (b) *Ro- man. XII. 1.* (c) *Eccl. XXXII. 24.* (d) *Orat. 21.* (e) *Collat 2. cap. 10.* (f) *lib. 28. moral. cap. 11.* (g) *XXXVIII.*

ta eſt, quæ ducit ad vitam (a) *& ille hanc ingreditur, qui in cunctis quæ agit* DISCRETIONIS *ſubtilitate, propter hanc ſolicitè coarctatur. Nam qui per voluntates proprias ſecura mente ſe dilatat, anguſta ſibi porta aditum damnat.*

(a) *Matth.* VII.

MEMBRVM V.
FRÆNVM EQVITES CHRISTIANI LINGVA.

QVÆ hactenus nominauimus *Frena*, ad omnium Equorum, quorum vſus eſt Equiti Chriſtiano, directionem, ſunt æquè accommodata; præter quæ ſunt alia, quibus peculiaris vis eſt ad regendos vnius, non alterius generis equum aliquem. Equus, vt nuper eſt declaratum neceſſarius admodum Equiti Chriſtiano, quamdiu agit in Eccleſia Militante eſt *Corpus*, quo velut *Equo* fertur nunc ad ſupera, nunc ad infera: nunc progreditur, nunc ſubſiſtit; nunc currit, nunc lenſiſſimè greſſum mouet. Huius autem Equi peculiare *Franum* eſt *Lingua*: nam per linguam frænatur, regitur, coërcetur, circumducitur, propellitur, iterumque reuocatur totum corpus. Ita ſanè Linguam concepiſſe videtur Iacobus Apoſtolus, de illa, tanquam de *Freno Corporis* diſſerens. *Si quis*, inquit capite tertio ſuæ Epiſtolæ, *verbo non offendit: hic perfectus eſt vir, poteſt enim* Fræno *circumducere totum corpus.* Senſus clariſſimus eſt: quemadmodum qui frænat os equi, per illud frænat, regit, ac circumducit, quocumque eſt collibitum, totum corpus equi, & conſequenter totum Equum; ita qui frænat os linguamque ſuam, refrænatum habet corpus, poteſtque illud gyrare ac circumducere quocumque placet. Quod quidem bifariam poteſt accipi, *Primò*, conſequutiuè, vt ad linguæ frænationem ſequatur corporis frænatio: nam homo frænando os & linguam, totum corpus, omniaque illius membra & actiones frænare, regere, ac moderari poteſt: eſt enim in Græco, δυνατός, potens, nimirum, per frænum cuilibet membro conueniens. *Secundò*, proximè, vt *Lingua* ipſa ſit *Frenum* quo frænantur omnia membra, ac corpus totum. Quare quod *Frenum* eſt *Equo*, hoc homini eſt *Lingua*, reſpectu corporis. Fræno autem reguntur, diriguntur, ac flectuntur Equi ad ſeſſoris arbitrium. Idē verò facit lingua, per quam *Ratio*, ſiue *Mens* inſidens Corpori, illoque, tanquam Equo, vtens, omnia illius membra, prout decorum, honeſtas, & moderatio exigit, mouet, & vel incitat, vel coërcet.

ET quidem Venerabilis Beda argumentationem Apoſtoli ita concipit: ſi Equum fræno in os miſſo regimus: ergo multo magis decet, hominem frænando os, & linguam totum corpus regere ac moderari. Interpres verò alius haud obſcurus (a) comparationem ſic format: ſicut dum in ora equorum frænos mittimus, omne illorum corpus circumferimus,

(a) *Gaguinus.*

mus, ita dum linguæ frænum imponimus, quocumque placet, eam, & corpus vniuerſum agimus, nec in præceps ferri ſinimus.

AT quod-nam eſt illud Corpus, cuius frænum eſt lingua? Quomodocumque illud interpreteris, erit Equus Militis Chriſtiani. Nam ſiue illud ſumas pro congerie peccatorum, aut vitiorum, quæ veluti Corpus aliquod integrum ex varijs ſpeciebus & actibus peccatorum, tanquam ex articulis, membris, & partibus conflatur, vti docet Caſſianus (a) ſiue Corpus accipias pro cõgerie paſſionum, quæ ex amore, odio, ſpe, metu, alijsque paſſionibus integratur, vt ſentit Origenes: (b) ſiue per corpus intelligas actionum, operationumque omnium humanarum aggregatum, vt alij opinantur: ſiue exponas ſimpliciſſimè, pro corpore humano, ex partibus ſuis conſtituto, ſemper tibi occurret *Equus Militis Chriſtiani*, qui linguâ frænari debeat. Hæc enim coërcet vitiorum quorũcumque impetũ, paſſiones animi intra gyrum rationis continet, motus interiores regit, cõponitque, & operationes quaslibet ad mediocritatem reducit: denique membris corporeis imperat, & moderationem efficit.

(a) *Collat. XII. cap. 1. & 2.*

(b) *Orig. Hom. 14. in Ioſue.*

MEMBRVM VI.

FRÆNVM LINGVÆ

Timor Domini. Sapientia. Scientia. Prudentia. Diſcretio. Circumſpectio. Silentium. Sermo.

QVONIAM Lingua, tanquam membrorum corporis, *Equi* rationem habet in Militiâ Chriſtianâ, vt in ſuperioribus eſt probatum: aptè autem illi inſidere concipitur *Mens*, aut *Ratio*, huic non vnum eſt *Frænum*, quo Equus ille, nunc rapidus retrahitur, nunc fugax continetur, nunc præceps ad mediocritatem perducitur, nunc inſultans reprimitur, nunc rigidus flectitur, nunc ſternax coërcetur, nunc difficilis regitur, nunc tardipes inſtigatur. Quare monet Eccleſiaſticus (a) *Frænos* adhibendos ori, ſiue linguæ. *Aurum tuum*, inquit, *& argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & FRÆNOS ori tuo rectos.* Quæ verba in hunc modum exponit S. Ambroſius: (b) *Poſſeſſio tua Mens tua eſt: aurum tuum Cor tuum eſt: argentum tuum eloquium tuum eſt. Iugum ſit verbis tuis, & ſtatera, hoc eſt, humilitas atque menſura, vt lingua tua Menti* (tanquam Equiti) *ſubdita ſit. Stringatur habena vinculis:* Frænos *habeat* ſuos, *quibus reuocari poſſit. Ad menſuram ſermones proferat, libra examinatos iuſtitiæ, vt ſit grauitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus. Hæc ſi cuſtodiat aliquis, fit mitis, manſuetus, modeſtus.* (c) Siquidem qui linguam frænat, ille omnes animi affectus ſimul fræno cohibet ac regit, vt pronunciat Iacobus Apoſtolus: *Si equis fræna in ora mittimus, omne corpus illorum circumferimus.* Quod ex intima

(a) *cap. XXVIII.* (b) *Lib. 1. Offic. cap. 3.* (c) *Linguæ frænum ad interiora extenditur.*

ſima Philoſophia deſumptum videri po-
teſt, cuius eſt illa ex ſubordinatione viri-
um corporis externarum, & animæ in-
ternarum, ac compoſiti vnitarum ratio-
cinatio, vt illam proponit Epiſtolæ Apo-
ſtolicæ interpres Cornelius.

,, DVM ſeſſor fræno regit os equi, re-
,, git pariter totum equi caput, eiuſque
,, phantaſiam: hæc autem regit totum e-
,, qui corpus, omneſque eius affectus,
,, motus, & greſſus: equus enim per om-
,, nia phantaſiam ſuam ſequitur, eoque
,, fertur, quò illa eum ducit. Haud ſe-
quus, *Eques Chriſtianus, Mens, Ratio*, frænan-
do linguam frænat pariter caput, eiuſque
phantaſiam, frænat ſenſus, qui ſunt in
capite, frænat denique appetitiones
omnes quæ à ſenſibus excitantur, &
conſequenter Voluntatem fræno ſtrin-
git: hac refrænata, expedita res eſt:
nam in huius poteſtate ſunt facultates
omnes animatæ, earumque functio-
,, nes. Nimirum, lingua vicina eſt
,, cerebro, in quo reſidet, vti phan-
,, taſia & appetitus, ſic & vis moti-
,, ua totius corporis per neruos, muſcu-
,, los, & ſpiritus, quos ex ſe in reliqua
,, membra deriuat & tranſmittit. Itaque
,, refrænata linguâ refrænatur pariter
,, cerebrum, phantaſia, vis motiua, om-
,, neſque nerui muſculi, ac ſpiritus mo-
,, tiui. Adde. Linguam non frænari, niſi
,, prius frænetur pronitas & auiditas lo-
,, quendi, quæ eſt in phantaſia & appeti-
,, tu: frænata autem phantaſia, & appe-
,, titu, frænantur omnes actiones, mo-
,, tuſque, qui ab ijs manant. Quod au-
tem eſt illud *Frænum* quo *Mens* & *Ratio* E-
quitis Chriſtiani linguam regit? Eſt im-
primis TIMOR Domini, qui laxat linguā
quando eſt loquendum, coërcet, quan-
do tacendum: continet à malis, propelli
ad proferenda bona & vtilia, omniaque
præſtat, quæ à *Fræno* in equo deſiderari
poſſunt. Os Timore Domini frænatum
non mentitur, non loquitur obſcæna, nō
profert ſcurrilia, non effunditur in detra-
ctiones, cōtumelias, iuramenta, blaſphe-
mias, contentiones, iurgia, ab ocioſis ab-
ſtinet, à vanis cauet, à ſuperfluis declinat.
Nam dum ab his nequaquam lingua cō-
peſcitur ad temeritatem quoque ſtultæ
loquutionis efferatur. *Quibuſdam enim ſuæ
ruinæ gradibus deſidioſa* Mens *in foueam ipſius
impellitur: & dum ocioſa verba cauere negligi-
mus, ad noxia peruenimus*, vt monet S. Gre-
gorius, lib. VII. Moral. cap. 7.

TIMOR *Domini* præcipitem linguam,
immò totum hominem iam iamque ad
ima ruentem retinet: quod eſt *Fræni* offi-
cium. *Formido iudicij, & pœnarum timor hor-
ridus ſimul & lubrica carnis incentiua diſſoluit,
& ruentem animam, quaſi ex aliqua rupe ſuſtē-
tat*, inquiebat B. Antonius vt de eo refert
in vita S. Athanaſius. S. Baſilius autem
cùm de Timore Domini punientis agit
clariſſimè illum Fræno comparat (a) *Cùm
ad peccatum aliquod*, inquiens, *progredi volet*
Lingua, manus, oculus, aut quoduis aliud
membrum) *cogita mihi horrendum illud, &
non ferendum Chriſti iudicium. Hoc Timore e-
ruditus, Animam à concupiſcentiis, ad hæc mala
velut fræno quodam retrahe. Qui timet Domi-
num, declinat errorem, & ad virtutis ſemitam
vias ſuas diriget*, inquit S. Ambroſius (b) ſic
frænatus equus declinat offendicula, in
quæ non impingit, nec aberrat à ſemitâ.
Qui timet DEVM *conuertetur ad cor ſuum*, ait

(a) *Homil. ix in Pſal. 33.* (b) *Lib. 1. Hex cap. 4.*

Theodoſij Imperatoris nuper inſtitutori, cùm in eremum ſeceſſiſſet, maximè taciturno illud erat vſitatiſſimum, quando ad loquendum inſtigabatur: *Loquutum fuiſſe ſæpe pœnituit, tacuiſſe nunquam*: Arſeni, fuge, quieſce, tace.

VERVM, quoniam non omnes in Militiâ Chriſtianâ decet ſemper eſſe ſilentiarios, & æquè taciturnos: nam agendum eſt ſæpe cum ſui ſimilibus & alijs; eſt boni Equitis, non ſemper, nec æquè, *Frænum* attrahere; ſed dum vſus poſtulat, laxando *Frænum*, & calcaribus ſtimulando Equum, illum incitare ad curſum. Sic non ſemper *Silentij fræno* os conſtringendum eſt, ſed tempore congruo loquendum, & linguæ libertas relinquenda, immò, exſtimulanda ad ſermonem, cùm id neceſſitas, caritas, vrbanitas, pietas poſtulat. Præceptum eſt Platonis epiſtola ad Axiochum: Frænis ac flagello equos dirigimus, & dum nauigamus, velis aliquando nauem propellimus, aliquando anchoris frænantes retinemus, aut pondere premimus &c. grauamus. *Sic gubernanda Lingua*, Axioche, *modò vt verbis eam armemus, modò vt ſilentio reprimamus.*

CHRISTVS ſanè Equitum peritiſſimus, qui Apoſtolis, Apoſtolicisque viris, ac verbi ſui Præconibus pro Equis vtitur, nunc illos ſilentij fræno cohibet, nunc laxat habenas, iubetque fari, ac incitat, vt tempore congruo loquantur; & fidenter ac animoſè prædicent, moneant, carpant hominum vitia, inſtent opportunè importunè: apud DEVM etiam fidenter proferant ea, quæ ad ipſius gloriam, & noſtram ſpectant neceſſitatem, vt ſic quaſi vi quadam cogatur poſtulata concedere: vti fecit Moſes DEI familiaris Exodi XXXII. Quia vt animaduertit Philo Hebræus, *Libertas loquendi cognata eſt amicitia: & arrogantiæ quidem eſt temeritas, amici verò fiducia.*

HANC tum ſtringendi, tum laxandi *frænum linguæ* viciſſitudinem, alia ſimilitudine eleganter declarat S. Bernardus (a) exponens illud Pſalmi: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis: Oſtium*, ait, *non ſemper patet, nec ſemper clauditur: ſed in domo Sapientis patet ſapientibus, clauditur verò ſtultis. Sic & os noſtrum, quod eſt oſtium cordis noſtri, per quod verba, quaſi quædam nuncia egrediuntur, nunciantia, quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus & vtilibus eſt in tempore reſerandum: prauis verò verbis, quæ de malis motibus cordis ſurgunt, iugiter eſt claudendum.* Tempus *enim* loquendi, & tempus tacendi. *Nec minus peccat is, qui ſubtrahit verbum in tempore opportuno, quàm qui praua loquendo alios ſcandalizat.* Similia habet S. Gregorius lib. VII. Moralium. Idemque accommodatiſſimè ad noſtrum propoſitum in Paſtorali, vbi, *Lingua*, inquit, *diſcretè frænanda eſt, nec inſolubiliter obliganda. (b) Scriptum namque eſt:* Sapiens tacebit vſque ad tempus: *(c) vt nimirum, cùm opportunum conſiderat propoſita cenſura ſilentij, loquendo quæ congruunt, in vſum ſe vtilitatis impendat. Et rurſum quoque ſcriptum eſt:* Tempus tacendi, & tempus loquendi, *(d) Diſcretè quippe viciſsitudinum penſando ſunt tempora, ne aut cùm reſtringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cùm loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat. Quod bene Pſalmiſta conſiderans dicit:* Pone Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. *Non enim poni ori*

(a) *De Paſſio. D. cap. 16. Cxl. 11.* (b) *Paſtor. par. 3. Admonit. 15.* (c) *Eccl. xx. 7.* (d) *Eccl. III. 7.*
(e) *Pſ. CxL. 3.*

oris ſeptum parietem, ſed oſtium ponit, quod videlicet aperitur & clauditur. Vnde & nobis cautè diſcendum eſt, quatenus os diſcretè, & congruo tempore aperiat, & rurſum congruo taciturnitas claudat.

ET epiſtola quam ſcripſit ad quinque Patriarchas: *Cùm me ad conſiderandum debitum paſtorale Verbum ac ſilentium confero, paueniti cura perpendo, quod valdè neceſſe eſt, vt & diſcretus ſit in ſilentio & vtilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeat. Nam ſicut incauta loquutio in errorem pertrahit: ita indiſcretum ſilentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.*

ID ipſum à Philoſophis olim & præſcriptum fuit & obſeruatum. Theophraſti laudatur pronunciatum à Laërtio. (*a*) Is animaduertens quendam perpetuò ſilere in conuiuio, illum incitans ad loquendum pariter & tacendum per vices, hoc ſuggerebat: *Si indoctus es & imprudens, prudenter facis, quod taces: ſin doctus, imprudenter.* Plutarchus ſic dixiſſe refert: *Si ſtultus es, rem facis Sapientem, ſin ſapiens, ſtultam.* Eſt enim Sapientiæ pars non leuis, frenando linguam, tegere ſilentio ſtultitiam. At verè Sapientis eſt Sermonem proferre ſuo tempore circumſpectè accommodatum loco, tempori, perſonis. Quare S. Ambroſius, (*b*) Sermonem ipſum talem vocat *Habenam*, quæ à *Freno* non diſtinguitur, cùm ſit retinaculum, ſiue lorum quo equus regitur & inhibetur: indagans enim cauſſam S. Doctor, quare Chriſtus Aſinâ in die Palmarum vti voluerit, atque eo iumento vectus Ieroſolymam ingreſſus ſit, hunc in modum diſſerit. *Non mundi Dominum forenſi ſpecie geſtari dorſo Aſina delectauit, ſed, vt latente myſterio penetralia noſtra mentis ingrederetur, & in ſecreto animorum interiore conſeſſu myſticus vector inſideret, qui ſe quodam corpore Diuinitatis infuſu, regens mentis veſtigia, laſciuiã carnis infrenans, vt ductã peccatis aſſuetum populi gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem interius renibus recepere Vectorem. Felices planè illos, quorum ora ne multiloquio ſoluerentur verbi caleſtis* HABENA *reſtrinxit. Quæ eſt, iſta* Habena, *Fratres? Quæ me doceat, quemadmodum ora hominum aut reſtringat, aut ſoluat? Monſtrauit mihi* Habenam *illam, qui dixit*: Vt detur mihi Sermo in apertione oris mei. Sermo *ergo* Habena *eſt: Sermo ſtimulus eſt: & ideò durum eſt tibi aduerſus ſtimulum calces mittere. Docuit igitur hic nos aperire ora, ſtimulum perpeti, iugum ducere. Doceat & alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus eſt, quàm loquendi. Doceat planè ille, qui vidat mutus aduerſus dolum non aperuit os ſuum paratus in flagella, & verbera non recuſans, vt eſſet poſſeſſio* DEI.

PORRO, quemadmodum non frænatur Equus, nec *Freno* os eius conſtringitur & inhibetur ſine dolore: (*c*) nam & *Frenum* à frangendo ore dictum volunt; ſic dum frænatur lingua, tanquam iumentum domeſticum, & conſequenter illi vis infertur ſilentio, continentiáque loquendi, id non fit abſque dolore: quem libenter perferat Eques Chriſtianus, vt diſcat non exorbitare. Putet ſibi dictum, quod monebat prudens morum magiſter Seneca: (*d*) *Doleat tibi modò, poſteà conſiderationis loqueris. quod dicere ſolemus*: Linguarium *dabo.* LINGVARIVM eſt linguæ vinculum ac retinaculum, vt *Capiſtrum*, quo Equorum mordacium os & labra claudi, ac conſtringi ſolent. Sanè auiditas ac voluptas,

(a) *Laer. lib. v. cap. 2* (b) *Lib. ix. in Luc cap. 19.* (c) *Frangit os.* (d) *Lib. iv. de benef. cap. 36.*

ptas, & quid [illegible] quaſi prinitus loquendi ea, quæ quis audiuit, legit, vidit, nouit, adeò hominibus eſt innata, vt abſque dolore non poſſit conſtringi; quod ſignificabat ille, qui faciliùs eſſe carbonem ignitum ore continere dicebat, quàm verbum, quod erumpere geſtit. Non ita quibuſdam prurit mens ad cogitandum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, quàm lingua ad garriendum.

MEMBRVM VII.

FRÆNVM EQVITIS CHRISTIANI

Studium Litterarum.

PRÆTER hactenus enumerata, opto Adoleſcentibus meis, qui recenter Militiæ Chriſtianæ nomen dederunt in ludo litterario FRÆNVM, quo vſum ſe dictitabat PETRVS FABER vnus è primis Socijs S. IGNATII LOIOLÆ. Is vt narratur in Hiſtoria Societatis, (a) puer nactus erat diuina Prouidentia Magiſtrum Petrum Veliardum vita moribuſque tam ſanctis, (b] vt eum poſtquam deceſſerat diſcipulus non dubitarit, tanquam vnum aliquem de Cæleſtibus inuocare. Siquidem non tam ſui alendi gratiâ, paupertate cogente, quam vt alimenta non [illegible] pietatis, ſed pietatis ſuis auditoribus ſuppeditaret Ludimagiſtri officium ſuſceperat. Omnes autem Poëtas, Scriptoreſque profanos, faciebat, vt *Faber* loquebatur, *Euangelicos*: omnia ad ex ædificandum in Timore Domini iuuentutem accommodabat: & vnde Magiſtrorum plerique perniciem periculúmque ſuis diſcipulis ſtruunt, inde ille ſalutem, & morum diſciplinam comparabat. Vir planè dignus, quem ceteri, maximeque ætatis imbecille Doctores ad imitandum ſibi proponant.

ITAQVE adoleſcebat in animis teneris, eo docente, cum ætatibus, flos pietatis, & *Fabri* ſemina ſic excreuerant, vt duodecimo ætatis anno ſolito vehementius accenſus in agrum ſolus, DEO inſpirante, prodierit, & libero, patentique cælo vniuerſorum Domino ſeſe totum, vouenda & conſecranda caſtitate dicarit. Cuius voti ſoluendi vim facultatemque ſuppeditatam à DEO, adiuuabat etiam & augebat ingens & penè immoderatus Ardor ad ſtudia, quem multis adfirmat FRÆNVM delictis fuiſſe.

ET verò ea fuit veluti eſca, (c) quâ pellectum Diuina Sapientia cùm ipſummet ad culmen celſiſſimæ ſanctitatis, tum per ipſum, animas quam plurimas ad æternæ ſalutis portum perduxit. Paſtoritia enim ab arte, nobilitate animi, & ingenuo quodam pudore, ac potius occulta Diuinæ Prouidentiæ vi, refugiens, ad litterarum nobiliora ſtudia, inuito etiam parente, tranſgreſſus, vbi maturum fuit grauiores aggredi diſciplinas, tanta vſus eſt, & tam celeri progreſſione diſcendi, vt Magiſtro propè eſſet, condiſcipuliſque miraculo.

DICI ſatis non poteſt, quantoperè refrænet in adoleſcentibus peccandi libidinem, & potiſſimùm infinitam carnis

ac

(a) *Tomo 1. lib. 1, num. 76.* (b) *Petrus Velliardus.* (c) *Frænat peccandi libidinem ardor Studiorum.*

concupiſcentiam *litterarum ſtudium*, atque ardor in ijs proficiendi, & ex eo fuga ocij, ac labor legendi, ſcribendi, lucubrandi, memoriam exercendi, & his ſimiles ſtudioſi adoleſcentis virique exercitationes. Expertus id eſt, ſi quis alius S. Hieronymus iuuenis, qui in Epiſtola XXI. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, ita de ſe ſcribit. „O quoties ego ipſe in eremo „conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, „quæ exuſta ſolis ardoribus horridum „Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualidæ cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram Scorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua ſola libidinum incendia bulliebant.] Quod remedium? Ardor ſtudiorum tanquam Frænum concupiſcentiæ. Audi confitentem „(a) Dum eſſem iuuenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram. Quem cum crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, vt poſt Quinctiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, Alphabetum diſcerem.]

Exagitat te Cupiditas rabioſa, & in abrupta rapit? exemplo tibi ſit Hieronymus, & librum arripe, lege, diſce, memoriæ, quæ difficillima ſunt imprime, *Frænum* inijcies, quo furentem belluam compeſcas. Id quoniam feliciter ceſſerat Hieronymo, ſuadet in ſimili periculo, idem remedium. Scribens ad Ruſticum Monachum eadem Epiſtola, *Nunquam*, inquit, *de manu & oculis tuis recedat liber, diſcatur Pſalterium ad verbum, oratio ſine intermiſſione, vigil ſenſus, nec vanis cogitationibus vacans. Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Fac aliquid operis, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum. Scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur.* Tum narrat, quomodo ad diſcendum eo fine Alphabetum Hebraicum in diſciplinam ſe dederit conuerſo è Iudæis fratri, & ſtridentia anhelantiaque verba meditatus fuerit. Adiungit: *Quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quotieſque ceſſauerim, & contentione, ardoreque diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia.* Hac ratione, ſi *Eques Chriſtianus* frænauerit furibundam cupidinem, & linguam ſuã coërcuerit *Fræno Timoris* Domini, adiunctis habenis Sapientiæ, linguario ſilentij, capiſtro prudentiæ; & linguâ ipſa, velut *Fræno* totum corpus ſuum circumduxerit; denique, ſi diſcretione, conſilio, & maiorum exemplis moderationem ſectatus fuerit, ac Gratiam DEI, vt *Frænum* quoddam vniuerſale membris, omnibusque operandi facultatibus, cooperando

(a) *Epiſt. iv.*

impoſuerit, equos ille ſuos ſemper obſe- quêtes, quippe benè frænatos experietur.

NOTÆ.

§. I. FRÆNVM Diſcretio.] *Latinis dicitur ac deriuatur à* diſcerno, *quod eſt, ſeparo, diuido, diiudico, diſtinguo, diſpicio: hinc* diſcretio, *idem eſt, quod ſeparatio, diſtinctio. Aliquando idem eſt, quod delectus* χρίσις. Diſcretè *&* diſcretim: *id eſt, ſeparatim, diſtinctè: cui opponitur*, confuſè perturbatè. *Eccleſiaſtici Scriptores, & Patres, accipiunt* diſcretè *pro* prouidè, moderatè, ſapienter, *& Diſcretionem pro Moderatione. Quo vocabulo frequenter vtuntur in materia de Virtutibus. Eſt etiam apud eos vox* Indiſcretio, *pro* imprudentia, *qua delinquitur, quoties exceſſus aut defectus in exercitio boni operis committitur. Legendus* Ioannes Buſæus, *in Panario V.* Indiſcretio: *&* Linguæ abuſus; *&* Luxuria. *Idem in Viridario virtutum Chriſtianarum V.* Prudentia.

§. II. FRÆNOS fac ori tuo rectos.] *Eccleſiaſtici* XXVIII. 29. *ità legitur:* Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & FRÆNOS ori tuo RECTOS. *Eſt parabola q. d. Aurum & argentum tuum conſla, vt ex eis facias ſtateram, qua libres & expendas verba tua: vtque ex eis facias* Frænos *ori tuo, quibus illud frænes. Senſus eſt: omnes tuas opes omniaque ſtudia impende ad hoc, vt compares ſapientiam, & prudentiam (horum enim ſymbola ſunt aurum & argentum) quæ te doceant componere os tuum ad rectè loquendum vel tacendum.*

Græci non habent, Frænos rectos, *immò, nihil habent de* Frænis, *quos Latinus vultori fieri rectos. Quoniam multi* Frænos *ori adhibent, ſed non rectos: nam frænant oris petulantiam nimio ſilentio: ſilent enim, quando peccatores ſunt arguendi, rudes inſtruendi, afflicti conſolandi.* Frænos *ergo* rectos *ori adhibet, qui illud ad loquendum laxat, vel ad tacendum frænat, cùm recta Ratio loquendum, aut tacendum eſſe dictat.* Cornelius *multa alia in hanc rem congerit. Legendus etiam* Ianſenius *in Eccleſiaſticum. Cato de Linguâ frænandâ ita præſcribit:*

Virtutem primam eſſe puta, compeſcere linguam.
Proximus ille DEO *eſt qui ſcit Ratione tacere.*
Rumores fuge, ne incipias nouus auctor haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet: nocet eſſe loquutum.

COMMENTATIO VI.

EQVITATVS
Militiæ Diabolicæ.

Omnis Equitatus, & Currus Pharaonis, & vniuerſus Exercitus perſequebatur Iſraëlem. Sed Equos, & Aſcenſores eorum deiecit Deus (Dominus Exercituum) in mare. Exodi. XIV. XV.

MEMBRVM I.

EQVITATVS HOSTILIS.

Equi & Equites Luciferi.

EQVITATVM maximè neceſſarium eſſe ad Militiam Chriſtianam, inde omiſſis modò alijs, deducitur, quod hoſtes, quibuſcum nobis bellum, *Equis* ferè & *Curribus* benè inſtructi ad certamen veniant. Hoſtes, quibus oppugnamur, ſunt Cacodæmon, Mundus, Vitia; & horum aſſeclæ, Corpus, Caro, Sanguis. *Non enim eſt nobis*, tantùm, *colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principatus, & Poteſtates, aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, ad Ephesios VI. At hi ferè Equitum in morem nos aggrediuntur. Equitatus huiuſce ſpecies exhibita eſt per viſum Ioanni Euangeliſtæ in Apocalypſi. Vt enim ſcribit capite VI. poſtquam Agnus reſignauit ſeptem libri ſigilla, quattuor comparuerunt Equi. *Primus* Albus, *& qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona: & exiuit vincens vt vinceret. Secundus.* Rufus, *& qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terrâ, & datus eſt ei gladius magnus. Tertius* Niger, *& qui ſedebat ſuper eum habebat ſtáteram in manu. Quartus*, Pallidus, *& qui ſedebat ſuper illum, nomen illi Mors, & Infernus ſequebatur eum.*

HIC deſcribi Equitatum Diaboli, quo Eccleſiam Militantem inuadit, Interpretum optimi conſentiunt. Et, nonnulli quidem per *Equos*, *Rufum*, *Nigrum*, & *Pallidum*, Perſequutores Eccleſiæ deſignatos fuiſſe autumant, quibus Diabolus inſederit, Neroni, Domitiano, alijs, vt *Equis Rufis*, ſanguinis ſitientiſſimis; at Hæreticis, vt Equis *nigris*, triſtia omnia, & calamitoſa apportantibus, ac minitantibus: tenebras enim hominibus effundunt, & nocte ac caligine ærumnoſâ implent; denique, Agarenis, Saracenis, Turcis capitalibus Eccleſiæ hoſtibus, vt *Equis pallidis*, pallorem ex fame, & morte multorum inducentibus.

HIS addo homines ſceleribus inquinatiſſimos. Inter quos Equi Cacodæmonis ad bellum paratiſſimi, ſunt *Luxurioſi, Laſciui, Impudici.* Eſt enim animal, ſi quod aliud, Equus in Venerem pronus, & ſalax. Hinc monet Pſalmiſta: *Nolite fieri ſicut Equus & Mulus, in quibus non eſt intellectus.* (a) Quod propter illos dictum, qui ſolis ducuntur ſenſuum lenocinijs, & perpetuò adhinnire videntur alienis, notant gra-

(a) *Pſalm. XXXI. 9.*

grauiſſimi Patres. (a) Inter quos S. Auguſtinus, acutè addit, Intellectum in homine eſſe virum, quem iubebat Chriſtus, agens cum Samaritanâ, vocari, vt eius perciperet doctrinam, nec eum abeſſe patiatur indulgens luxuriæ. Sed quid clarius illo Angeli Raphaëlis apud Tobiam? (b) *Hi, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt* DEVM *à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut Equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos:* id eſt, illis Dæmon, ſuis vt *Equis* inſidet, illos verſat, gyrat, torquet ad beneplacitum. Conqueritur autem non rarò DEVS, tales equos inter ſuos quoque fraudulenter ali. Apud Ieremiam Prophetam grauis eſt illa DEI querimonia: (c) *Super quo propitius tibi eſſe potero? Filij tui dereliquerunt me, & iurant in his, qui non ſunt dij: Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus. & in gente tali non vlciſcetur anima mea?* Non minus acris eſt illa apud Ezechielem cum querela exprobatio. (d) *Multiplicauit fornicationes ſuas, recordans dies adoleſcentiæ ſuæ, quibus fornicata eſt in terra Ægypti. Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum: quorum carnes ſunt, vt carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum fluxus eorum.* Et vtinam non eſſent modò inter illos, qui Chriſtiani nominantur, atque *Equi* Chriſti eſſe deberent, homines fœdi, ſalaces, impuri. qui Cacodæmoni equitanti dorſum præbent, & in ipſius Equitatu conſpiciuntur.

EQVI etiam Cacodæmonis ſunt homines efferi, iracundi, feri. Solent enim non rarò efferari equi & in rabiem verti. Quod ijs omnibus contingere, qui biberint ex Coſſinito flumine Thraciæ defluente in agrum Abderitanum auctor eſt Ælianus. (e) Qui etiam tradit idem accidere Equis, qui de Phontine biberint propè Thebas. Hos Equos cornutos cóncipio, quales reperiri in Iudæa refert Ælianus. (f) Semper enim cornu petere, & ferire videntur velle iracundi.

VT Equos ſuos habet quoque Cacodæmon Superbos & arrogantes. Ipſo habitu, inceſſúque *Equus* ſuperbiam præ ſe fert. Incedit erectâ ceruice, elato capite, iactans corpus inſoleſcit, gloriarique videtur ſpecioſo, precioſoque ornatu. Indignatur autem, ſi ſe contemni ſentiat, ſi tamen hoc ſentire equorum eſt. Certè, neſcio quis eiuſmodi ſenſus in quibuſdam animaduerſus exiſtimatur. Cùm Clodouæus Rex Alaricum Viſigottorum Regem proſtrauiſſet, ac perſoluendi voti cauſſa, Equum B. Martino Turonenſi obtuliſſet, actum eſt, ne *Equus* Eccleſiæ relinqueretur, quod Regi & Eccleſiæ commodius eſſet, ſi pecunia redimeretur. Clodouæus igitur centum aureos ſolidos obtulit. Quid *Equus*, ſuperbus, ſuíque æſtimator immodicus? indignatus, quaſi paruo ſe æſtimari animaduertiſſet, loco moueri noluit, nec potuit. Cùm autem Clodouæus precium duplicaſſet, quaſi æquiore pretio ſe æſtimatum ſenſiſſet, in viam ſe dedit, & reduci paſſus eſt, vt narrat Gregorius Turonenſis. (g) Obarrogan-

(a) *S. Gregor. 31. Moral. c. 18. S. Hier. in cap. 3. Oſeæ, & cap. 14 Zachar. Auguſt. tract. 15. in Ioan. & 8, in Epiſt. 1 Ioan. & tract. de conuenient. decem præcep & plagar cap. 5.* (b) *Cap. VI.* (c) *Cap. V.*
(d) *Cap. XXIII.* (e) *Lib. XV. cap. 25.* (f) *Lib. III. cap. 39.* (g) *ex eod. Vincentius hiſt lib. 22. Cap. 13. Nauclor. Generat. 17. Krantius in Suec. l 3. c. 16.*

gantiam *Equi*, quùm quendam conſcendiſſet Plato, deſcendit illicò, ne ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, ait Laërtius. Huc facit, quod *Equas* quoſdam vento concipere proditum eſt (a) Propria eſt ſuperborum conditio, vento auræ popularis intumeſcere, & non niſi ventum deinde euanidũ parere, quid enim aliud eſt vanitas? quid inanis gloriola?

PORRO, qui ſunt *Equi* Diaboli, illi ipſi ſunt quoque *Equites*, ſi vitia conſiderentur, quibus, tanquam *Equis*, inſident. Sic Superbos omnes, vt *Equites* conſiderat S. Auguſtinus, (b) in Pſalmum XXXII. exponens illud, *Fallax equus ad ſalutem*. Atque eadem ratione *Improbi* omnes rectè appellantur *Equites Luciferi*: & illi maximè, qui ceteris potentiores, & ad nocendum incitatiores, agiliores que: qui egenos opprimunt, ſe alijs omnibus præferunt, & ad benefaciendum ſunt refractarij, ac contumaces, nec non fugaciſſimi. De his Equitibus eſt illud Ezechielis XXIII. *Inſanit*, videlicet Ieruſalem, *in amatores ſuos in Aſſyrios, veſtitos hyacintho, principes, & magiſtratus, iuuenes cupidinis, vniuerſos Equites, aſcenſores equorum*. Hi omnes expreſſi ſunt in Equitibus Pharaonis mari obrutis. Siquidem obruuntur iſtiuſmodi omnis generis amaritudine. His dum vſus eſt, *Lucifer*, tandem macello benè fatigatos deſtinat, & mactatos conuiuijs ſuis deuorandos apponit, iuxta comminationem Ezechielis XXXIX. *Dic omni volucri, & vniuerſis auibus, cunctiſque beſtijs agri: conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis*. Sequitur: *& ſaturabimini ſuper menſam meam de* Equo *&* Equite *forti, & de vniuerſis viris bellatoribus, ait Dominus* DEVS. Interpretare beſtias & volucres, eſſe ipſos Dæmones, qui conuocentur ad iſtiuſmodi *Equites* deuorandos.

(a) *Ælian. lib. 9. cap. 5. Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 5. Ludou. Viues ibi Plin. lib. 8. cap. 42.* (b) *Pſ. XXXII. 17.*

MEMBRVM II.

Currus Diabolici Exercitus.

NOn ſolùm ſimplici Equitatu valent *Eccleſiæ Militantis* aduerſarij, ſed etjam falcatis Curribus. Vitiorum enim auxiliares copiæ, quibus Cacodæmon vtitur, in curribus ſunt conſpicuæ. CVRRVS illi multiplicantur ſecundum numerum Ducum, qui ex ijs pugnant, vel pugnantibus præſident. *Duces* ſunt *Vitia*, quæ ad tria capita commodè reuocantur, deſignata à Ioanne Apoſtolo, (a) partitione percommoda eorum, quæ in Mundo fallaci reperiuntur. Siquidem omne, quod eo in Mundo eſt, Concupiſcentia carnis eſt, vel Concupiſcentia oculorum, vel Superbia vitæ. Itaque hoſtes, qui contra nos dimicant, ſub tribus Ductoribus nos inuadunt, quorum *Primus* eſt *Voluptas carnis*, Cerere, Baccho, Venere comitata. *Alter*, *Auiditas* rerum terrenarũ, quibus oculi capiũtur. *Tertius*, *Ambitio*, ſiue Superbia, quæ

Aequalis aſtris graditur, & cunctos ſuper
Altum ſuperbo vertice attingit polum.

NON latuit hos eſſe in Vitiorum exercitu Ductores Diogenem Philoſophum, qui apud Dionem (b) Alexandrum, optimis præceptis erudiens, ita differebat: Tres dominantur viuendi rationes, quibus inſeruiunt vulgares, & indocti hominũ cætus.

(a) *Epiſt. 1. cap. 2.* (b) *Orat. IV. de Regno.*

Vna mollis, & delicioſa circa corporis voluptates: altera auara, & diuitiarum amans: tertia ambabus illuſtrior, magisq; perturbata, & appetens gloriæ, manifeſtiorem, & vehementiorem oſtendens perturbationem, & inſaniam, decipiens hominem, vt ſe putet eſſe alicuius honeſtæ rei amatorem. Addit autem ſingulis proprium ſuum *Genium*, Voluptuarium, Auarum, Ambitioſum. Sed ſingulorum *Currus*, quibus in hoſtem feruntur eleganti ſſimè depingit Bernardus (a) agens de Curribus Pharaonis. Excipite.

„ LVXVRIAE, ſeu Concupiſcentiæ „ Carnis Currus quadrigâ voluitur vi„ tiorum: Ingluuie ventris, Libidine coi„ tus, Mollitie veſtium, Otij, Soporisque „ reſolutione. Trahitur *Equis* duobus: „ Proſperitate vitæ, & Abundantia re„ rum. His præſident duo, Ignauiæ tor„ por, & Securitas infida: quia & copia in „ ignauiam ſoluit, &, ſecundum Scriptu„ ram, *Proſperitas ſtultorum perdet illos*; non „ ſanè ob aliud, niſi quoniam malè ſecu„ ros reddit. Cum autem dixerint, Pax „ & Securitas, tunc ſubitaneus ſuperue„ niet eis interitus. Hic alcaria non ha„ bent, neque flagella, vel aliquid huiuſ„ modi; ſed pro his vtuntur paruulo pa„ pilione conopæo, ad faciendam vm„ bram & flabello ad citandum ventum. „ Porrò, *Conopæum, Diſſimulatio* eſt, vm„ bram faciens & protegens a bæſtu cu„ rarum: proprium namque eſt mollis „ & delicatæ animæ, etiam neceſſarias „ diſſimulare curas, & ne æſtuantes ſoli„ citudines ſentiat, ſub latibulo diſſimu„ lationis abſcondi. *Flabellum* verò *Effuſio* „ *eſt*, ventum adulationis apportans; largi ſunt enim luxurioſi, ementes auro „ Ventum. „

Ex Hoc Curru in humanum genus impetum facit, *Concupiſcentia Carnis*, ſeu *Luxuria*; & eſt *Genius laſciuiæ*, *Aſmodæus*. Hic pugnat nutibus, nictibus, tactibus, amplexibus, oſculis, blanditijs, lenocinijs, illecebris, tum verbalibus, tum realibus: Adde, varijs rerum ſpecioſarum formis, imaginibus, notionibus, quas ex curru ſuo, vt totidem tela in imaginationis phãtaſiæque officina concinnata vibrat, & tam dextrè iaculatur, vt nullum penè cadat in irritum. Quo fit, vt magnam orbis partem in poteſtatem ſuam facillimè redigat. Exiſtimo enim, nec ſine cauſſâ, ex ijs, qui damnantur, multitudinem maximam eſſe, quos luxuria perdidit. Cauete adoleſcentes. Quis crederet, veriſſimum tamen eſt, Aſmodæum ſuæ inſidentem Quadrigæ, inuectum eſſe in anguſtiſſimam cellam Antonij, in floridum muſeolum Hieronymi, in aſperrimum conclaue Franciſci, in abditam cameram Benedicti. Et etiamnum quotidie, poſtquã mundanorum regiones omnes eſt peruagatus, in Religioſorum adita penetrat, & non monito ianitore, non pulſatâ nola, non aperto oſtio, Quadrigam ſuam immittit.

DESCRIBIT autem hunc *Genium* „ *voluptarium* Diogenes celebrantem or- „ gia, & colentem muliebrem Deum, va- „ rium & multiformem, circa odoratũ „ & guſtum inexplebilem: immò etiam „ erga omnes viſiones, & auditiones, „ quæ voluptatem aliquam faciunt: & „ circa tactum quemcumque lenem, & „ mollem, lauacrorum, vnguentorum, „ veſti-

(a) Serm. xxxix. in Cant.

,, veſtimentorum, ſed præſertim rerum
,, venerearum, acuta flagrantem inſa-
,, niâ. Cui ſi affluat ſubſtantia, abundan-
,, ti volutatur libidine, vſque ad ſenectu-
,, tem. Sin minus, citò conſumptis præ-
,, ſentibus, egenus, ſed intemperans in
,, penuria & deſiderio grauiter à Con-
,, cupiſcentijs relinquitur. Is deliciarum
,, plenus, vnguentum & vinum exha-
,, lans, crocaton indutus, cum multo &
,, inordinato riſu, ebrijs aſſimilis, & co-
,, meſſans totas dies, coronis quibuſdam
,, marcidis circa caput, & collum coro-
,, natus, ducitur à mulieribus laſciuis,
,, cum cymbalis & tibijs alijs ad alia tra-
,, hentibus, quarum ille nullam reijctat.
,, Rurſus horum dux eſt etiam Error,
,, valdè ſpecioſus, ornatus modo mere-
,, tricio, & ſubridens, pollicens copiam
,, bonorum, & ſibi adſcribens felicita-
,, tem.

,, CONCVPISCENTIA oculorum ſuo
,, quoque inuchitur Curru quem idem
,, Orator diſertus Bernardus repræſen-
,, tat. *Auaritia* Rotis & ipſa vehitur quat-
,, tuor vitiorum, quæ ſunt, *Puſillaminitas*,
,, *Inhumanitas*, *Contemptus* DEI, *Obliuio*
,, *mortis*. Porrò, Iumenta trahentia, *Tena-*
,, *citas*, & *Rapacitas*. Et his vnus *Auriga*
,, duobus præſidet, *Ardor habendi*. Sola ſi-
,, quidem Auaritia, quoniam plures cō-
,, ducere non patitur, vno contenta eſt
,, ſtructore. Ipſe verò iniuncti operis
,, promptus admodum atque infatigabi-
,, lis exequutor, vrgendis ſanè iumentis
,, trahentibus flagris vtitur acerrimis,
,, *Libidine* adquirendi, & *Metu* amittendi.
Ex hoc Curru pugnat, & feliciter pug-
nat *Concupiſcentia Oculorum*, ſeu *Auaritia*,
ſiue Genius ille profanatus, dictus *Plu-*
tus, qui dimicat imbre aureo, rore argen-
teo, ſagittis gemmeis, baliſtis sericis: iacu-
latur marſupia, crumenas, fœnus, prædia,
fundos, vrbes, regna, Imperia: nec malè
cedit: capit enim, quos præcedens auriga-
rius decipere non poterat.

HIC Genius ita deſcribitur à Dione. ,,
Auarus auri & argenti, & telluris & ,,
pecorum, & ædium, & omnis poſſeſ- ,,
ſionis amator. Et licet ea, quæ ſplendi- ,,
da & iucundiſſima ſunt aſpectu con- ,,
cupiſcat, ipſe tamen eſt tetricus, & ,,
mæſtus, nec patriam amans, nec filios, ,,
neque cognationes, neque aliud plus ,,
æſtimans, quàm Pecuniam. Deum eſſe ,,
non amplius exiſtimat, niſi ei multos ,,
& magnos theſauros commonſtret. ,,
Nam quemadmodum Magnetem ad ,,
ſe trahere ferrum aiunt: ita hic attrahit ,,
æs, plumbum, immò, arenam & lapi- ,,
dem, ſi quis det. Denique, non congre- ,,
gat, ceu impendia facturus, aut ijs vſu- ,,
rus, ſed vinctas, & infrugiferas cuſto- ,,
dit opes, reuera clauſas in quibuſdam ,,
occultis & tenebroſis carceribus. ,,

SVPERBIÆ *Currus*, quem Bernardus
non effinxit, ad eius imitationem, ſic de-
ſcribi poteſt. Inter quatuor conſiſtit vi-
tiorum Rotas, *Inanem gloriam*, *Iactantiam*,
Leuitatem, *Iracundiam*. Equi trahētes ſunt,
Contemptus DEI, *Contemptus proximi*. Vtri-
que ſuus eſt Auriga, *Præſumptio*, & *Hypocri-*
ſis: quibus do ſcuticas, *Diſcordiam*, & *Con-*
tentionis promptitudinem: *Calcaria*, *Pertinaci-*
am & *Inobedientiam*. In hoc *Curru* vehitur
Superbia Vitæ, Ambitio, Genius Alatus,
qui pugnat laqueis ex fumo, vento, aëre:
iacit lanuginem, fauillam, laruas: oſtendit
coronas, ſceptra, torques, epomides, & in-
gentem turbā ſuperat iſtius modi nugis.

Hic

HIC *Genius* pingitur idcirco à Dioge ne & Dione cum alis, ventis expolitus, cum vento pariter ruens, quales Boreæ filios excogitarunt pictores, leues & ſublimes, cum flatibus venti currentes. *Genius* in ſublimi ſemper ſuſpenſus, artificio quodã acuto, ſed fallaci, immò, impoſſibili, inſtar Icari, violento, & innaturali volatu, crebrius quàm venatores gaudẽs de præda concupita, rurſusq́ue de viſa & perdita dolens, ægritudine tandem contabeſcit.

CVRRVM alium, qui primo loco nominari potuiſſet, proponit S. Bernardus, & illius ait fuiſſe Principis in Exercitu Pharaonis, qui nominatur *Malitia*. Magnus, inquit, quidam Princeps ſpiritualis, & inuiſibilis Regis Ægypti profectò *Malitia* eſt, magnus luxuria, ingens auaritia.
„ Et his quidem poſſident terminos ſuos
„ Rege ſuo, ſicut ſui cuique adſignati
„ ſunt. Nam *Malitia* in omni regione ma-
„ leficiorum atque facinorum domina-
„ tur. *Luxuria* omni immunditiæ & tur-
„ pitudini carnis præeſt: *Auaritia* in par-
„ tes rapinæ & fraudis ſortita eſt princi-
„ patum. Accipe nunc quales his ſuis
„ Principibus Pharao præparauerit *Cur-*
„ *rus* ad perſequend[um] populum DEI.
„ Habet namque *Malitia* Currum ſuum
„ Rotis quattuor conſiſtentem: *Sæuitia*,
„ *Impatientia*, *Audacia*, *Impudentia*. Valdè
„ etenim velox eſt *Currus* iſte ad effun-
„ dendum ſanguinem, qui nec *Innocentiâ*
„ ſiſtitur, nec *Patientia* retardatur, nec
„ *Honore* frænatur, nec inhibetur *Pudore*.
„ Trahitur autem duobus admodum
„ pernicibus *Equis*, ad omnem perniciem
„ paratiſſimis, *Potentia* terrena, & *Pompa*
ſeculari. Tunc ... *Quadriga* ista „
Malitia currit velociter, cùm hi Equi- „
dem Potentiæ effectus ſubeſt eius ad- „
implendis malitioſis conatibus. Inde „
plauſus Pompæ arridet, perpetratis ſce- „
leribus: vt ſermo impleatur, qui ſcriptus „
eſt: (a) *Quoniam laudatur peccator in deſi-* „
derijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Et „
iterum alia Scriptura: (b) *Hæc eſt hora ve-* „
ſtra, & poteſtas tenebrarum. Porro, præſi- „
dent duobus his *Equis* Aurigæ totidẽ: „
Tumor & *Liuor*. Et *Tumor* quidem Pom- „
pam. *Liuor* verò Potentiam agit. Is e- „
nim rapido fertur Diabolicarum põ- „
parum amore, cuius apud ſe Cor prius „
intumuit. Nam quod in ſe firmiter ſtat „
timore compreſſum, grauitate mode- „
ſtum, humilitate ſolidum, puritate ſa- „
num, aura huius vanitatis nequaquam „
leuiter rapietur. Item, terrenæ lumen- „
tum Potentiæ nomine *Inuidia* agitur, „
& quaſi quibuſdam Liuoris vrgetur „
hinc inde calcaribus: *Suſpicione* vtrique „
decedendi, & *Metu* ſuccumbendi: ali- „
ud eſt enim, quod ſuſpectus eſt ſucceſ- „
ſor, & aliud quod timetur Inuaſor. „

HABETIS Equitatum Cacodæmonis, In quo Magiſter Equitum eſt Lucifer: Equites ſunt Spiritus maligni, & homines improbi. Illi inequitant Perſequutoribus Eccleſiæ, Ethnicis, Hæreticis, Saracenis, Mundo, Superbis, Luxurioſis, Iracundis, Auaris, Guloſis, Inuidis. At in Exercitu Luciferi qui ſunt *Equi* infernalium turmarum, ſunt & *Equites*, quoniam Vitijs, tanquam Equis inſident, & probos impugnant. At nolite metuere, Cantabimus Domino: Glorioſè enim magnificabitur: Equos & aſcenſores deijciet in mare.

COM-

(a) *Pſal. x. 3.* (b) *Lucæ xxii.* (c) *Luc. c. xxii.*

COMMENTATIO VII.

MISCELLANEA

Equites. Equi. Equitatus.

MEMBRVM I.

EQVITES, RELIGIOSI.

HAVD incongruè Religioſos omnes inter EQVITES Militiæ Chriſtianæ numero. Omnes dico, ne quis de ijs ſolummodò ſermonem eſſe exiſtimet, qui Militarium ſunt Ordinum, & proprio titulo appellantur EQVITES. Quales fuerunt olim Ieroſolymis Hoſpitalarij S. Ioannis, qui nunc dicuntur Melitenſes; & ab his diuerſi, Tēplarij, atque Theutonici. In Hiſpania Equites Calatrauæ, S. Iacobi, Alcantaræ. In Hetruria S. Stephani, alibi alij,[a] proprijs cognominationibus noſcibiles. Sed his nō excluſis, RELIGIOSOS omnes, etiam Ordinis Monaſtici, & Mendicantes, ac nudipedes, titulo Equitum exorno. Cuius prima cauſſa paullò eſt remotior, quia ſelectiſſimi, nobiliſſimique Militum *Equites* dicuntur, & erant olim. Tales autem ſunt in Militiâ Chriſtianâ & ſacrâ Religioſi, quibus illud datur à Patribus encomium, *Flos*, inquit S. Auguſtinus ex Cypriano, *Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, illuſtrior portio gregis Chriſti.* S. Ioannes Chryſoſtomus homilia VIII. in Matthæum, agens de Ægypti ſolitudine, tanquā Militiæ ſpiritualis campo, *Eſt* ait, *in ea cernere diffuſum* Exercitum Chriſti, *& admirabilem illum regium gregem, virtutumque cæleſtium conuerſationem in terris micantem.*(c) D. Ambroſius autem idcirco Religioſos cum Angelis, quos Equites eſſe ſuo loco probaui, comparat: *Hæc*, inquiens, *Angelorum Militia eſt, ſemper eſſe in* DEI *laudibus, orationibus crebris conciliare, atque orare Dominum ſtudent, vel operibus continuis mentem occupant.* In eandem ſententiam S. Bernardus (d) *Quos quo nomine dignius appellem, neſcio, homines cæleſtes, aut Angelos terreſtres, degentes in terris, ſed conuerſationem habentes in cælis.*

HVC faciunt, quæ ab Hugone Cardinale adferuntur in illud Pſalmi xx. *Eſto mihi in* DEVM *protectorem, & in locum munitum.* Hunc locum ſcribit eſſe Religionem, in quo ſunt Muri paupertatis, Vigiles Prælati, Turres doctrinarum, Tuba prædicationis, Scutum Orationis, Saxa etiam, nempe, vitæ duritia, & aqua lacrymarum. Copioſius B. Laurentius Iuſtinianus: (e) Quid aliud eſſe dixerim Religioſorum „ mona-

(a) *S. Cyprian. lib. de virg.* (b) *S. Aug. lib. 4. de doct. Chriſt cap. 21.* (c) *S. Ambr. epiſt. 82.* (d) *S. Bernar. ad frat. de Monte* DEI. (e) *S. Laurent. Iuſtinian Opuſc. de Obed. cap. 18.*

„ monaſteria, & Deo famulantium lo-
„ ca, quàm ſtadia militaria, atq; ſpiritua-
„ lia caſtra pugnantium. In illis namque
„ in corpora per corpus in ſpiritu bellũ
„ geritur: in ipſis, inquam, non viſibilia,
„ ſed inuiſibilia tela exercentur. Nonne
„ in iiſdem frequentiſſimè deuotionis la-
„ crymæ, compunctionis gemitus, ſuſpi-
„ ria pietatis, compaſſionis & caritatis
„ ad DEVM inceſſanter effunduntur vota?
quæ profectò contra hoſtes noſtros „
ſpirituales ignita ſunt iacula, per quæ „
eorum proſternitur virtus, debilitatur „
audacia, deteguntur fraudes, & ten- „
tamenta ſuperantur.] Verùm, non „
ſolùm ob hanc cauſſam *Equites* eſſe cen-
ſentur *Religioſi*, ſed multò magis ob al-
teram, quæ propius rem attingit, quia
Equo ſtipendia faciunt. Quiseſt autem
illorum Equus?

MEMBRVM II.

EQVVS RELIGIOSI QVA MILITIS

Mundus, ſeu Seculum.

HVNC deſignat Papa Gregorius (a) magnus in hac Militia Ductor: E-
„ qui nomine, inquit, hoc ipſum præſens
„ Seculum deſignatur, ſicut Iacob voce
„ dicitur: (b) *Fiat Dan Coluber in via, cera-*
„ *ſtes in ſemitâ, mordens vngulas Equi vt cadat*
„ *aſcenſor eius retrò.* Quo in loco Equus,
inquit Magnus Pontifex hunc Mundum deſignat, *qui per elationem ſuam, in curſu labentium temporum ſpumat.* Et quamuis S. Papa, per Aſcenſorem Equi intelligat Hominem ſeculi vanitatibus deditum, & iis ſuperbientem. Sic enim ſcribit: *Quia Antichriſtus extrema mundi apprehendere nititur* (per Dan autem Antichiſtum intelligit) *ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur. Vngulas quippe equi mordere, eſt extrema ſeculi feriendo contingere, vt cadat aſcenſor eius retrò. Aſcenſor equi eſt, quiſquis extollitur in dignitatibus mundi; qui retrò cadere dicitur, non in faciem, ſicut Paulus Actu. ix. cecidiſſe memoratur. In faciem enim cadere, eſt in hac vita ſuas vnumquemque culpas cognoſcere, & pænitendo deflere: retrò verò, quo non videtur, cadere, eſt ex hac vita repentè decedere, &, ad quæ ſupplicia ducatur ignorare.*

NIHILOMINVS cum bonâ veniâ tanti Doctoris, quod eo non fiet inuito, cùm id arcana diſciplina permittat; immò ad id inuitet; per Aſcenſorē Equi, id eſt, Mũdi aũt Seculi, ſignificare mihi liceat Religioſũ. Ille enim Equi aſcenſor meritò dicitur, qui illius eſt domator, qui fræno iniecto, dum ei inſidet, ducit in omnē partē ad libitũ: qui illo ad iter ſuum peragendũ vtitur. Hæc autem, dum in mundo eſt, quamuis non de mundo, facit Religioſus. Nam, qui in mundo degit, eiuſque lenocinijs capitur, illi obedit, illum ſequitur, ab illoque torquetur, vt potius ei Mundus inſidere videatur, eumque detriumphare. At Religioſus ſupra Mundum conſtitutus, illius dorſo incumbit, & habenis pro arbitrio detorquet, atque ad viam Domini decurrendam vtitur.

(a) S. Greg. lib. 31. Moral. cap. 18. (b) Gen. xlix. 17.

MEMBRVM III.

EQVVS RELIGIOSI QVA MILITIS

Intentio bona.

RELIGIOSO Equum alium aſſignat laudatus toties, quia nunquam ſatis laudandus Pontifex Gregorius: *Equi nomine ait, præparatio rectæ intentionis accipitur; ſicut ſcriptum eſt,*(a) Equus paratus in diem belli; ſed Dominus ſalutem tribuit: *quia contra tentationem quidem ſe animus præparat, ſed niſi adiuuetur deſuper, ſalubriter non decertat.* Quis autem bonæ intentioni magis inſiſtit, & nititur, quàm Religioſus, cuius omnes operationes, dicta & cogitata, non aliam, quàm diuinam Gloriam, propoſitum finem habet?

(a) *Prou. xxi. 31.*

MEMBRVM IV.

EQVITES, VIRI PERFECTI.

PRÆTER Religioſos quoslibet, Equites in Militiâ Chriſtianâ iure dicuntur, qui in qualibet trium legionum Eccleſiæ Militantis, quarum prima eſt Laicorum, ſecunda Eccleſiaſticorum, tertia Clauſtralium, ſunt magis in omni re militari exercitati, & excellentiores. Quo circa cùm in virtutum ſtudio, ſeu Militiâ Spirituali, alij ſint *Incipientes*, nempe Tyrones, alij *Proficientes*, & tandem nonnulli *Perfecti*, hos Equitum titulo peculiari ratione honoramus. *Incipientes* illi dicuntur, qui ſunt in virtutum exercitatione recentes; ſeu, qui currere in ſtadio pietatis primùm inceperunt. Hi iuſti quidem ſunt, quia diuinâ donati gratiâ, non tamen ita exercitati, vt adfectuum impetus vehementiores repreſſerint, aut ſedarint. *Proficientes*, in quibus tanta affluentiâ eſt Caritas, virtutumque ceterarum comitatus, vt paſſionum inordinatio ſtudioſarum operationum exercitio inſignitè ſit imminuta. *Perfecti*, qui ad illam Caritatis peruenerunt eminentiam, vt omnis paſſionum tumor magna ex parte reſederit: tolli enim in hac vitæ imbecillitate communibus gratiæ auxilijs non poteſt. Itaque, qui ad hunc perfectionis gradum, ſiue in laicorum, ſiue Eccleſiaſticorum, ſiue Religioſorum ſtatu peruenit, Equitis nomine ac priuilegijs in DEI exercitu iure gaudet.

HIS imprimis tot ſunt *Equi*, quot *Affectus*, ſeu *Paſſiones*, quos Virtutum & mortificationis frænis intra gyrum rationis cōtinent, & in bonæ mentis hypodromo ad omnem pietatis exercitationem erudiūt. Atque idcircò magnam apud DEVM, operū noſtrorum ſpectatorē, & Iudicem gratiam ineunt: maiorem ſanè, quàm Baſilius ille Macedo apud Imperatorē Conſtantinopolitanum, cui ſucceſſit. Is cùm Equum

quùm indomitum conſcendiſſet, ita ſibi Imperatorem (*a*) Michaëlem deiunxit, vt tametſi obſcuris eſſet ortus parentibus, ex equorum cuſtode factus ſit Imperatoris Cubicularius, & eo mortuo ſucceſſor.

(a) *Zonaras in Michael. Theoph. filio.*

MEMBRVM V.

EQVVS, QVI EST CORPVS, SVBNERVANDVS.

PRÆTER Equos iſtos, ſunt alij, quos Eques Chriſtianus ad omnes belli opportunitates ſemper in procinctu, frænatasque habet. Et imprimis eſt *Corpus*, eiusque *Membra*, ac *Facultates*, quibus Eques noſter habenas injicit, & ad omnem motum rationi ac pietati conſonum vertit, à contrario autem quocumque cohibet, & ſemper moderatur, vt nunquam à tramite perfectionis deflectant.

QVOMODO autem hi Equi, qui ſunt, Corpus, eiusque membra & facultates, ſint tractandi ab Equite Chriſtiano, ne ab ijs, nimirum, ferocientibus ac petulcis dejciatur, exiſtimat Origenes, bonus in moralibus & allegoricis Auctor, ſignificatum à Deo, quando præcepit Duci Ioſue, vt Equos Regis Iabin ſubneruaret, & Currus igne combureret, Ioſue XI.

Equus, inquit, *laſciui motus, & ſuperba ceruicis eſt animal: quare, ſi paſſiones corporis, id eſt, libidinem & ſuperbiam, quibus Anima, velut equitans vectatur, & fertur ad præcipitia, Equos & Currus intelligamus, non eſt rationi noſtræ contraria intelligentia, ſi dicatur, quod iubeat Dominus hos Equos ſubneruari*, id eſt, pedes & crura incidere, vel eos, inciſis crurum neruis, tanquam vinculis diſſolutis, debilitare. Subneruatur autem Equus, ſpiritualiter, allegoricè, ac moraliter, quando Corpus, afflictationibus à religione & pietate imperatis, quales ſunt, ieiunia, vigiliæ, orationes in longum productæ, humicubationes, veſtis cilicinæ deportatio, flagellatio, alijsque eiuſcemodi maceratur. Ideò enim *fallax Equus ad ſalutem* dicitur: (*a*) quod de *Corpore* rectè intelligitur, ſi illius motus fieri permittamus infrænes, nec abſtinentiæ iugo laſciuiam carnis, ſuperba colla ſubdamus. Subneruandi ſunt à nobis Equi, id eſt, corpora noſtra, ieiunio, flagellis, aliſque aſperitatibus. Id exigit Chriſtiani Equitis officium.

ANIMVS, ſeu Spiritus eſt quaſi Eques, vt ſcribit vir doctus & pius (*b*): Corpus ſicut Equus, iuxta illud Iſaiæ XXXI. *Equi eorum Caro, & non Spiritus.* Quia nimirum, ſunt Equus Equiti ſolet obedire, & mediante fræno ac calcaribus, ad voluntatem eius incedere, ac ſuos proprios impetus ad voluntatem Equitis cohibere: ſic corpus ad voluntatē ſpiritus debet regi, & mediante freno temperantiæ, & calcaribus timoris Domini à voluptatibus cohiberi.

(a) *Pſal. XXXII.* (b) *Berchorius Repertor. Equus.*

MEMBRUM VI.

EQVI
Ratio & Senſualitas.

Quomodo diſtinguendi, agnoſcendi, continendi, tractandi,

INGENIOSUM fuit Platonis commentum, quod fictionem poëticam ſapit, quâ ſæpe Sapientiæ ſenſus velatur. Habetur in diſſertatione de *Pulchro*, vbi Diuis hominumque animis alatos currus, Equos, aurigas attribuit. Sed vehicula Deorum ait facillimè regi, quia Equorum bigam vehentium vterque probus ſit fræ numque admittens. Aurigationem verò animarum tardam eſſe, ac perdifficilem, quod vnus Equorum bonus, prauus ſit alter. Bonus inquit, excellentiori habitu eſt, ſpecie ſublimis, erectaque ceruice, nigricantibus quidem oculis, ſed ipſe candidus colore, cōſpectuque totus nitidus: honoris vbique appetens, ac temperantiæ pudoriſque mirè particeps: Stimulis nunquam, aut virgæ nutu, ſed cohortatione plauſuque ſemper in gyrum rationis flecti ſolitus. At alter contrà, deformis, capite peruicax, temerè proſiliens, aut reſtitans, anguſto & cadente collo, colore ferrugineo cæcis oculis, ſanguineque ſuffuſis, hirſutis auribus ac ſurdis: vix flagello, aut ſtimulis obtemperans, quæ ſunt Equi mali conditiones.

HORUM ſi nomina exprimi deſideras, prior dicitur *Mens*, vel *Ratio Superior*, aut *Pars animæ rationalis*: poſterior, *Senſualitas*, aut *Pars inferior*: Equus ſanè procax, atque impotens, qui cupiditatis ardore concitatus in diuerſa primum trahit, & contra nititur: tum exultanti ſimilis, æſtu rapitur, ac pudoris fines tranſilit: denique, pro arbitratu in omnem partē fertur præceps, obluctantem diu iugalem equum, ipſumque etiam Equitem eodem impetu deferre conatur. Sed bonus Eques præferocem belluam ad alterius mores conformare ſtudet, habenis coercet, alimenta præparcè apponit, domat, immò etiam demenſo ſuo fraudat: impuram ſæpe linguam atque maxillas cruentat, crura caputque in terram allidit: nec ante deſiſtit verberibus ſtimuliſque confodere, quàm praue animal laſciuire deſinat, ductumq; inſeſſoris ſequens, compare cum ſuo conſentiat. Ita ferè mentem Platonis educit & illuſtrat facundus Orator. (*a*)

(a) *Famianus Strada lib. 1. Proluſion. in 5.*

MEMBRUM VII.

EQVITUM

Robur. Exemplum. Aeſtimatio. Vita ſpectata.

EQUITATU inuictos ſe gloriabantur Romani, Equitibus maximè fidebāt, & per eos ſibi ſpondebāt victoriam: Reſpublica Chriſtiana, quæ eſt ECCLESIA

MILITANS, tū ſibi certam ſpondere poterit victoriam, cùm plurimos Equites, id eſt, alijs benè ac ſecundum DEI præſcriptū imperantes, in virtutum ſtudio perfectos, corpori, & animo præſidētes & imperantes in campum produxerit. Quod ſi iſti ab aduerſariorum exercitu, vel profligentur, vel deleantur, nulla de victoria ſpes ſupereſſe poteſt. Atque ad hoc omnes conatus ſuos adhibet contrariæ factionis Anteſignanus, vt qui ſunt, vel in Laico, vel Eccleſiaſtico, vel Religioſo ordine perfectiſſimi, ſuperentur: tunc enim nihil ſibi ad victoriam de toto exercitu reportandam defore exiſtimat. SI Equitatu ſuo Lucifer ſemel vincat, dicere poterit ſuis aſſeclis, tenebroſis commilitonibus, quod Rex Perſeus, (a) qui cum equeſtri prælio Romanos ſuperaſſet; præiudicatum euentum belli habetis inquiebat, meliorem partem hoſtium, Equitatum Romanum, quo inuictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis. Equites enim illis principes iuuentutis: Equites ſeminarium Senatus; inde lectos in Patrum numerum Conſules: inde Imperatores creant. Ita etiam Equites animabant Duces, quùm illos paullatim cedere animaduerterent. *Ad Equites Dictator aduolat*, inquit alicubi Liuius, (b) *obteſtans, vt feſſo iam pedite, deſcendant ex Equis, & pugnam capeßant: dicto paruerunt: deſiliunt ex equis, prouolant in primum, & pro antiſignanis parmas abijciunt. Recipit extemplò animum pedeſtris acies, poſtquam iuuentutis proceres æquato genere pugnæ, ſecum partem periculi ſuſtinentes vidit.*

VERVM, qui in Militiâ Chriſtianâ *Equum* accepit, ſiue *Virtutem*, ſiue *Gratiam*, ſiue *Corpus*, poſt longam exercitationem, domitum, diligenter attendat, oportet, vt officio Equitis Chriſtiani ſatisfaciat; ne, ſi negligentior fuerit, ſuis illo priuetur demeritis. Romulidarum ea fuit diſciplina, vt non temerè aut omnes ad Equum publicum reſcriberent, ſed cum delectu, & exſpectatâ vita, morumque integritate. Quod probat Vir eruditus (c) ex Gloſſarij veteris excerptis, in quibus hoc habetur: Dicente quodam eſſe ſibi ſubſtantiam equeſtris dignitatis, ſed cum Equum publicum peteret prætermiſſum eſſe ſe ſecurum criminis, quod ipſi concitauerunt. Hadrianus dixit, qui Equum publicum petit, emendatus eſſe debet: cetera autem vitæ tuæ ipſe probabis. Itaque non Conſul, aut Imperator, ſed Cenſor Equum dabat, Iudex ſcilicet morum. Idem verò Cenſor, cum iam haberet aliquis ſibi datum, recognoſcebat, & ſi quid Equite minus dignum inueniſſet, adimebat.

TANTA erat ſeueritas in Militia profana; nec minor eſt Sacra, in qua Chriſtus morum Cenſor, ac ſeuerus Iudex non permittit, vt inter Equites ſuos cenſeatur, qui non ſit vitæ inculpatæ, alienus ab ijs vitijs, quæ gradum illum dedecorant, qualia ſunt peccata omnia capitalia: à quibus expiati, & diuina donati gratia & Equites eritis in Chriſtiana Militia illuſtres, & Equi generoſi portantes DEVM in corpore veſtro.

(a) *Liuius lib. xlii.* (b) *Lib. xi.* (c) *Iuſtus Lipſius lib. 1. de Milit. Dial. 5.*

Membrum VIII.
Eqvvs generoſvs
horret flagitium reuerentiæ materna contrarium.

Commendatvr in Eqvo Caſtitas quædam in certo genere Continentiæ. Quamuis enim, vt eſt auctor Ariſtoteles, (a) poſt hominē, Equus, animal ſit ſalaciſſimum, tamen horret ſummoperè inceſtum. Quem cùm tectis oculis, hominum fraude, admiſiſſet cum matre, eâ deinde agnitâ, morſu interemiſſe aurigam, qui coëgerat adſerunt auctores fide digni. Alia eius generis plura adferuntur à veteribus, quibus fidem facit poſterioris æui hiſtoria. Omninò caſtitatis amatorem eſſe oportet, qui Chriſtum, vt *Equus* portat, & turpitudinem omnem abominari; ſed illam maximè horrendam ac deteſtabilem, quæ cum Matre Sacro-Sanctâ Eccleſiâ, & Scripturâ Diuina committitur; quâ cùm abutuntur, equis ſalaciores hæretici, quid aliud faciunt, quàm, quod flagitium cum genetrice, quam venerari deberent, committunt? Equos etiam hic imitari conueniret cùm veneratione maternâ excellant.

Certè ſcribit Eudemus, (b) pullum equinum, cùm vidiſſet malè tractari ab armentario ſuam matrem, impetu facto, virum interemiſſe, nec eo contentum, cùm obſeruaſſet, vbi humaretur, refodiſſe cadauer, & omni tormentorum genere vexaſſe. Hoc zelo eſſe deberent in Matrem ſuam Eccleſiam, qui Chriſtum ferunt vt generoſi *Equi* & *Equites*, neque permittere, vt contra illius honorem quicquam dicatur, aut agatur. Quod ex hoc momento firmiter mecum proponite, Dilecti, & portate iugiter Devm Christvm que in corpore veſtro.

(a) *Ariſt. lib. 9. de hiſtor. am. cap. 47.* (b) *Ælianus lib. xv. capite 7.*

Notæ.

In quibus Auctores & Varia de Equis, Equitibus, Equitatu.

§. I. Eqvvs myſticè.] *Equi nomine quid myſticè ſignificetur docet S. Gregorius lib. xxxI. Moralium cap. 18. Nimirum, 1.* Lubrica malorum vita. 2. Dignitas *temporalis. Quo ſenſu etiam S. Auguſtinus explanans illud Pſalmi xxxII. 12.* Fallax Equus ad ſalutem. *Equum, inquit accipe quamlibet dignationem, & amplitudinem,* 3. Principatus, Regnum, Imperium. 4. *Mundus, ſeu præſens* Seculum. 5. Præparatio *rectæ intentionis.* 6. Prædicator Sanctus. *Hæc aliaque ex S. Gregorio deſcribit Pagninus Iſagoge ad Myſticos Senſus Sacræ Scripturæ cap. 29. quod eſt de Equo.* Leges, quæ attulimus Commentatio 2. Membro 4. per varios Articulos.

§. II. Eqvvs *Mundus.*] Iacobus de Valen-

Valentia *grauis auctor, & Pſalmorum Interpres in Pſal. xxxi. ad verſ. 9.* Nolite fieri ſicut Equus & Mulus, *declarat, Equum eſſe Mundũ, cum quattuor peccatis capitalibus: Superbia, Inuidia, Auaritia, Ira: Mulum, Carnem, cum Luxuria, Gula, Acedia. In his Diabolum iumentis inſidere ad pugnandum contra Animam hominis.*

§. III. Eqvi qualitates variæ.] *Nicolaus Serarius Tomo II. in Ioſue quæſtione* VIII. *capitis vndecimi diſputans, cur* Devs *voluerit à Iudæis ſubneruari equos, quos ceperant, nec eis vti, has adfert rationes. 1. Ne diuina minueretur gloria. Cùm enim equus pugnax, & bellicoſum ſit animal, prout Iob xxxix. graphicè Virgilianis penè Georg. 3. & Æneid. 4. coloribus depingitur: ſi eo ad bella vterentur Iſraëlitæ, horum operâ magis, quàm* Dei *ope viderentur vincere. 2. Ne ipſorum in Sonipede potius, quàm in* Deo *ſpes figeretur. 3. Ne ſi eos hoſtibus ſuis Chananæis à quibus ceperant, redderent, ab iiſdem rurſum poſtea detrimentum acciperent. 4. Ob myſticas, ſeu allegoricas cauſſas, quæ huc ſpectant. Præcipuæ ſunt. 1. Arrogans & ſuperbum eſt animal Equus, qui humilem* Deoque *ſubiectum populum non decet. 2. Eſt* φιλόδοξος *inaniſque laudis percupidus, vt leuibus etiam poppyſmatiis mirum quàm excitetur.*

Acer & ad palmæ per ſe curſurus honorem:
Si tamen horteris fortius, ibit equus.

3. Ferox & prælabundus. Feruens ait Iob cap. 39. 17. & fremens ſorbet terram. 4. Salax & libidinoſus. Theophylact. in Act. Apoſt. cap. x. Andreas Cæſarię in Apocalyp. xiv. ἵπποι θηλυμανεῖς *& de libidinoſo in Eccleſiaſtico* xxiii 30. Quaſi pullus equinus ſugabitur. *5. Sua, neſcio qua vel ſpecie, vel generoſitate nimium pleriſque ſui amorem indit, vt ſicut auari auro gazâſque, ſic multi equis inſanè delectentur: vt Schiſmaticus ille Conſtantinopolitanus, Patriarcha de quo Curapalata. Lege Maiolum in Canicularibus tomo* 1. Fallax Equus ad ſalutem *canit Dauid, Pſal.* xxxii. 17. Cùm tu vides equum, *inquit ibidem Auguſtinus,* benè formatum, bonis viribus, magno curſu præditum; iſta omnia promittunt tibi de illo ſalutem; ſed fallunt, ſi Deus non tuetur.

Magnum in Equo ad fugam aut perſequutionem eſt momentum: Vt ventus currere ſecundum paroemiam dicitur. Apud Sarmatas centena millia, & quinquaginta paſſuum continuo curſu equi conficiebant. Plinius lib. VIII. *cap.* 42.

An equorum vſus in bellis prohibitus Iudæis, aut, cur minus fuerit frequens, diſſerit Pineda in Salomone, & Lorinus in Pſal. xxxii. 17. *Plura Maiolus, Bercborius, Pagninus, Sylua Allegoriarum, Theatrum vitæ humanæ.*

EQVVS in malam partem frequenter accipitur. Luxurioſum denotat ob hinnitum. De hoc celebris eſt hiſtoria in Equo Darij cui Imperium attulit. Cùm enim conueniſſet inter ſeptem Perſarum Principes, vt cuius Equus mane ante ortum ſolis primus ederet hinnitum, eius dominus crearetur Rex; cuſtos Equi Darij, pridie Equum adduxerat ſub noctem ad eum locum, illumque admiſit Equæ: Mane cum conueniſſent Proceres, Equus loco conſpecto, ob recordationem voluptatis hinnuit equæ deſiderio. Cteſias de rebus Perſicis.

Scriptura Sacra Amicum fictum, qui beneuolentiæ ſigna demonſtrat, obiectâ ſpe commodi, non in amici gratiam, comparat cum Equo luxurioſo. Equus emiſſarius, ſic & amicus ſubſannator, ſub omni ſuperſedente hinnit. *Legendi Interpretes.*

§. IV. Eqvvs duplex Equitis tam profani quàm Sacri, ſeu Chriſtiani.] *Romani ſi Feſto credimus, duobus Equis in prælio vtebantur, vt ex feſſo in recentem inſilirent. Sic enim*

enim ait: Paribus Equis, *id eſt, duobus* Romani vtebantur in prælio, vt ſudante altero, tranſirent in ſiccum. *Et alibi*; Pararium æs vocabatur, quod Equitibus duplex, pro binis Equis dabatur. *Liuius lib.* XXIII. *de Numidibus hoc narrat*: De ſultorum in modum trahentibus equos in terra acerrimam ſæpe pugnam, in recentem ſæpe Equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat: tanta velocitas ipſis, tamque docile Equorum genus.

EQVITI *Chriſtiano duos adſigno Equos,* Corpus *&* Animam; *vel* Rationem, *&* Senſualitatem; *vel* Naturam *&* Gratiam; *vel* Virtutem Infuſam *&* Adquiſitam: *nam vtriuſque ex his exercitatio nobis eſt neceſſaria: exercitatio corporalis externa, & Spiritualis interna. Quicumque in Equitum Chriſtianorum Ordinem referri deſiderat, neceſſarium eſt, vt Corpori ſuo inequitet, vt illud temperantiæ freno ab illicitis retrahat; vt capiſtrum illi obedientiæ iniiciat, vt mortificationis ſtimulis impellat, vt abſtinentiæ ſeueritate, ne inſoleſcat, domet. Sed ab hoc Equo continuâ exercitatione feſſo, anhelo, ſudanti, tranſilire oportet ad alterum: inſidere Spiritui, Menti, Rationi: illam frenare diuinarum rerum contemplatione, vt vagus per deuia curioſiſsimarum cogitationum non feratur præceps: ſtimulare ſupernorum deſiderio, incitare caritatis poppiſmis. Ab hoc rurſus equo ad alterum tranſultare, & corporali exercitationi infatigabiliter tempus impendere, ſeſeque communi aduerſario opponere.*

§. V. EQVITVM diſcrimen in Sacra profanaque Militia.] *Erat in Repub. Romana duplex Equitum Corpus, (a) Alij Equo publico ad caſtra proficiſcebantur, alii ſine illo. Vetuſtiſsimi à publico Equum accipiebant. Poſteà, introductum, vt etiam alii. Vnde Feſtus*: Equitare antiqui dicebant, equo publico merere: *quod mutatum deinde: nam quibus cenſus equeſtris erat, etiamſi equum publicum non habebant, tamen militabant, & æra merebant. Accipiebant autem è publico pecuniam, & ad emendum, & ad alendum.* Simile *diſcrimen conſidero in Equitibus Chriſtianis; quorum aliqui ſine ſuo labore, & impenſis, ex aggerata quadam ſummi Principis beneuolentia ad heroicas quaſdam virtutes perueniunt. Quod quid eſt aliud, ſi militariter loquamur, quàm Equum publicum accipere, quo ſtipendia faciant.* Præuenisti eum in benedictionibus, *cantat de quodam eximiè dilecto Propheta regius. (b) Alii maximis laboribus virtutem ſibi comparant; Ita tamen vt Gratia actualis nummos, ex ærario Principis, tanquam impenſas, ad Equum emendum, alendumque acceperint prius.* Præterea, *illi Equum ex publico accipere dici poſſunt, qui in Sacramentis Eccleſiæ ritè ſuſceptis, ex opere operato, vt Theologi loquuntur, Gratiam velut Equum, cui inſideant, accipiunt. At verò, illi proprium ſibi comparare, qui operum meritoriorum, quaſi nummorum perſolutione, Gratiæ incrementa adipiſcuntur. His enim datur ex ærario Reipublicæ Chriſtianæ, id eſt, Theſauro infiniti meriti Chriſti Domini, vt Equum ſibi poſſint ad vſus bellicos parare.*

§. VI. EQVITIS Chriſtiani Inſtrumenta.] *Alia ea ſunt ab inſtrumentis Equitis profanis. Siquidem pro* Fræno *vtitur, & Temperantia, qua Equum ſuum laſciuire non permittit, & Laude* DEI, *qua os eius infrænatur; & Virtutibus aliis, quæ ori cuſtodiam ponunt, vt non exorbitet.* Scutica *&* flagellum *ſunt carnis maceratio, aſperitas, afflictio.* Stimuli *bonorum exempla, quibus ad paria exſtimulentur,* Calcaria, *duplex Timor,* Filialis *&* Seruilis, *vterque bonus, vterque ad Equi reſiſtentis latera con-*

(a) *Plin. lib. 33. cap. 1.* (b) *Pſal. XX. 4.*

confodienda idoneus: Confige Timore carnes meas, *aiebat Vir ſacerrimus.*

§. VII. EQVITVM Chriſtianorum Cenſus.] *Ad Titulum Equitis in Militiâ Chriſtianâ nemo aſpirare poteſt, qui ceteros cenſu & opulentia non ſuperet. Olim ſanè apud Romanos Cenſores ſeparabant Equites ab alijs duplici nota,* Opum, *&* Morum *honeſtorum. Nam, qui quadringenta habebant, & vita non improbabantur in Equitum album referri poterant. Simile quid in Militiâ Chriſtianâ ſeruatur. Niſi quis gratiæ cæleſtis aceruos, quæ noſtræ ſunt opes, habeat niſi multorum ſit meritorum, quos bonis operibus adquiſiuerit, niſi vita probetur & moribus, nunquam inter Equites numerabitur.*

§. VIII. CVRRVS *Militares.*] *De his conſule* Stenvvichium. *Falcati currus erant valdè celebres olim: ij falcibus erant inſtructi, quos Macrobius per circumlocutionem, currus cum falcibus appellat: Statius lib. x. Thebaid.*

Antea falcato luſtrantem mœnia curru
De ſuper Ogygiæ populis grauis impetus. ——

alioqui falcatum eſt, quod formam falcis habet. vt falcata cauda Galli. Plin. lib. 17. cap. 10.

De multiplici Curru DEI *& varijs eius equis præclarè diſſerit Nyſſenus Cant. 1. 8. legendus ibid Delrius.*

§. IX. EQVVS amans, & ſalax, ac luxurioſus.] *Lege Ariſt. de admirandis audit. Inuenio adeò quoſdam erga equos fuiſſe adfectos, vt luxuriæ ſuſpicionem iniecerint: quam, vt amoueret Socles Athenienſis, Equum vendidit, qui acerrima mediâ voluntarium ſibi conſciuit mortem. Ælian. lib. VI. Cap. 43. Eandem in ſuſpicionem veniſſe Semiramidem Iuba eſt auctor & Plinius memorat lib.* VIII. *Cap.* 42.

§. X. EQVITVM *Cenſura.*] *Liuius lib.* XXXIX. *de Sexto Ebutio, cui præmij loco vacatio, data: Ne inuitus militaret, neue cenſor ei Equum publicum adſignaret. De Equis per Cenſorem ademptis. Liuius lib. XXIV. His ſuperioribuſque illis equi adempti, qui publicum Equum habebant. Quod de Cenſoriis notis narrat, aſpexitque eo Perſius.*

Cenſoremne tuum, vel quod trabeate ſalutas.

In quâ Commentator vetus: Cognitio Equitum Romanorum Cenſoribus erat ſubiecta, quæ nunc Conſulum eſt officij: poſtea Principes ſibi illud vſurparunt. Suetonius in Caligula: Equites Romanos ſeuerè, curioſeque recognouit, palam adempto Equo, quibus aut probri, aut ignominiæ aliquid ineſſet.

§. XI. EQVI Domini *ſunt potiſſimùm, qui obedientiâ excellunt. Equus enim ſuper omnia animalia freno & capiſtro ligatur & exercetur, ac ſine rebellione non ad ſuam ſed domini ſui ducitur voluntatem. Ita obedientes freno mandatorum* DEI *conſtringuntur. De his Domini iumentis illud accipio.* In chamo & fræno maxillas illorum conſtringe, *vt non ad ſuam, ſed ſeſſoris voluntatem ferantur.*

§. XII. APOSTOLI *Equi.*] *Thomas Anglicus exiſtimatus Aquinas in Cap. VI. Apocalyp. Equi bonas qualitates quattuor, Alacritatis, & Ferociæ in prælio, Vectationis, Agilitatis & Velocitatis, Patientiæ ſiue Obedientiæ, ac Diſciplinæ ad Apoſtoles viroſque Apoſtolicos accommodat, & Seßorem* DEVM *vel Chriſtum facit: Sellam dicit Iuſtitiam Vitæ: Calcaria Timorem, quo vitetur malum, & amore bonum perficiatur: Frenum Prudentiam & Diſcretionem.*

§. XIII. DEIPARA Equitatus DEI. Cùm Equitatus DEI *ſeu* Equites *eius ſint homines virtutis ac ſanctitatis ſtudioſi, quibus arbitratu ſuo morigeris, & facilibus* DEVS *vtitur, & quibus Diabolo ac Mundo prædas animarum extorquet; victoriaſque de inimicis obtinet. Hæc autem omnia cùm nulli ex* DEO

caris melius conueniunt, quàm DEIPARÆ, *quæ vna maximè morigera, ac proinde vna plures quàm aliæ omnes loqui poteſt victorias, illi potiſſimùm conuenit eſſe* Equitatum DEI. *Itaque non deeſt in Militiâ Christiana, quod in Amazonum caſtris maximè ſuſpiciebat antiquitas, vt* V*irago quoque inſidens equo in hoſtes feratur, & Militiæ artibus viris non cedat.*

§. XIV. EQVVS PAPALIS] COMMENDATVR à D. *Gregorio* (*a*) EQVVS *Ioannis* I. *Papæ. Proficiſcebatur is Pontifex ad Iuſtinum Seniorem Conſtantinopolim: Corinthi autem ſubſiſtens miſit ei Equum nobilis matrona obtulit, quâ ipſa commodiſſimè vtebatur. Ioannes, cùm ad deſtinatum locum perueniſſet,* (*b*) *Equum remiſit, quam fœmina cùm pro more conſcendere pararet, nulla arte, nullis minis, nullis-ue illecebris adduci potuit, vt dominam olim ſuam admitteret, indignum reputans, quatenus animal illud potuit, vt qui ſemel* DEI *Vicarium vexiſſet, alium deinde inferioris multo conditionis inſeſſorem pateretur.* ACADEMICI CHRISTIANI, *fuiſtis fortaſſe aliquando Caballi Voluptatis, Mundi, Cacodæmonis; ſed his, per pænitentiam excuſſis Equitibus,* DEVM, *vt Equitem ſuſcepiſtis; nolite, quæſo vos, vllis techniis occultis, aut apertis aduocationibus, nullis Voluptatis poppiſmis, Mundi lenocinijs; Diaboli deceptionibus perſuaderi, vt alium, quàm Summum Pontificem inſeſſorem admittatis. Portate ſemper, Dilectiſſimi, ſi vobis vultis conſultum,* DEVM *veſtrum in corpore veſtro.*

Ex omnibus iſtis facienda eſt DISTRIBVTIO Equitum in Militia Christianâ, quæ eſt iſtiuſmodi. I. In Equitatu Militiæ Christianæ Princeps Eques eſt DEVS qui ſæpe ſe, vel, vt in Equo ſublimem, velut in Curru militari ſpectabilem, pugnantemque præbuit. II. Magiſter Equitum rectè dicitur CHRISTVS. Cuius Equi ſunt Varij: Corpus, Apoſtoli, Viri Apoſtolici. III. Iidem ſunt Equites Chriſti, ſed præcipuè, Religioſi, Viri-que perfecti. Quibus accommodari poteſt illud Habacuc 1. 7. 8. *Leuiores pardis Equi eius, & velociores Lupis veſpertinis. Diffundentur Equites eius: Equites namque eius de longè venient: volabunt quaſi Aquila feſtinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient.*

AVCTORES *legendi*, Pagninus *in Iſagoge Cap.* 29. *&* 31. Berchorius *in Repertorio v.* Equus. *Sylua Allegoriar. Sacræ Scripturæ v.* Equus. Geminianus *in Exempl. & Similit.* Maiolus *Tomo* 1. *Colloquio* 7. Delrius *Cantic.* 1. Serarius *Tom.* 2. *Ioſue cap.* 11. *quæſt.* 7. Iuſtus Lipſius *Centuria* 3. *Epiſt.* 56. Paſqualis Caracciolus *de gloria Equi Italicè.* Theatrum *vitæ humanæ V.* Equus. Eques.

(*a*) *S. Greg. lib.* 3. *Dial. Cap.* 3. (*b*) *Libro* 3. *Dialog. cap.* 3.

L I B.

LIBER IV.
MILITIA CHRISTIANA PEDESTRIS.

Turbæ ſequutæ ſunt eum Pedeſtres *de ciuitatibus.*
Matthæi. xiv. 13.

Pedeſtres *de omnibus Ciuitatibus concurrerunt illuc. Et exiens vidit turbam multam* IESVS. Marci vi. 33.

COMMENTATIO I.

PEDITATVS
MILITIÆ CHRISTIANÆ
Allegoricus. Symbolicus. Myſticus.

MEMBRVM I.
EXINANITIO FILII DEI
Repræſentata Militariter Deſcenſu ex equo,
Semetipſum exinaniuit, formam Serui accipiens. Ad Philippenſ. 1 7.

QVI Filij DEI in terram aduenientis Exinanitionem, per quam Paulus Apoſtolus Verbi humanati, & Carnem facti auguſtiſſimum Myſterium declarauit Philippenſibus, explicare vellet in caſtris, ad concionem militarem; apud quam plus valent, quæ ex diſciplinâ propriâ, quàm, quæ ex ſubtiliſſimis Theologiæ diſputationibus deſumuntur, in hunc modum poſſet exordiri. Si iuuat habere ſpeciem, *Commilitones optimi*, Sacramenti illius mortalibus olim abditi, quo magni Patris haud minor Filius, Parenti ſuo homouſios, & conſubſtantialis, in noſtri gratiam, *exinaniuit ſemet ipſum, formam ſerui accipiens; & habitu inuentus, vt homo*; animo concipite Sereniſſimum Principem Imperatoris noſtri vnicè carum filium, qui cùm haud ita pridem generoſiſſimo inſidens Equo iter faceret, videretque infimæ conditionis hominem malè à latronibus exceptum, ita, vt pedibus vix niti poſſet, ex Equo deſilijt, vt illi ſe sociũ adiungeret; ſicque cum eo iter pedeſtre, quamuis graue ac laborioſum ingrederetur, ne incomitatus æger à viâ aberraret, vel iterum in hoſtes ſuos capitales incideret. Siquidem conſilium erat Principi abiectiſſimum illum Viatorem ad regium parentis ſui palatium adducere, & Majeſtatis ſuæ conſortem facere.

SIMILE quid in Incarnatione Verbi Diuini licet animaduertere vt maxima minimis quamuis haud incongruè, vt opinor, comparemus. Equitauerat hactenus

nus DEI Filius, Verbum Patris æterni, equitauerat maieſtate viſendus in Cherubinis & Seraphinis, ambulauerat ſuper pennas ventorum, *Currus eius decem millibus multiplex.* Sed dum Equo ſuo ſublimis vehitur, videt humanum genus omne miſerum in modum ab inſidiatoribus interceptum, deiectum, peſſimè tractatũ. Itaque in eius gratiam, ex Equo deſcendit, & pari cum pedite, paſſu viam init, vt ei ſit auxilio, & ad optatum hoſpitium, tandemque ad regiam ſuam perducat. Hoc eſt, *humiliauit ſemetipſum Dominus*, & qui Equis inuehi poterat Seraphicis, carneis voluit ingredi pedibus: VERBVM CARO FACTVM eſt, vt humano generi opitularetur. Hoc ſanè ex Equo deſcenſu, & progreſſu pedeſtri, ſimilitudine militari, Humilitas ſummi Principis & Maieſtas exinanita populariter repræſentatur. Quocirca, dum audiris, DEI Filium deſcendiſſe de cælo, & qui Cherubinis vehebatur antea, deinde in carne ambulaſſe, caſtrenſi conceptione, in mentem vobis veniat, illum ex *Equite Peditem* fieri voluiſſe.

MEMBRVM II.

DESCENSVS EX EQVO

Nota eſt Humilitatis. Signum ſe humiliantis

EST enim hoc Principis demittentis ſe, &, vt cum Apoſtolo loquamur, humiliantis ſchema. Cuius exemplum dedit Vir militaris, RVDOLPHVS (a) Comes Hapsburgicus, cui Auſtriacorũ Maieſtas Domus ſuæ decus & tot ſceptra acceptum referre poteſt. De illo hoc memoria dignum æterna memoratur. Cùm ad anum vaticinijs celebrem, in Sacra Helueticæ ſolitudinis cella abditum, religionis gratiâ, cum Regulo Kyburgenſi propinquo ſuo proficiſceretur, atque in via Sacerdotem cum IESV CHRISTI in Hoſtia Euchariſtica Corpore, vt exituro cuipiam ex hac vita viaticum præberet, iter pedibus ingreſſum inueniſſet, de equo deſcendit, Sacerdotemque impoſitum vna cum propinquo ſuo, qui pietate Comitis commotus, ædituo quoque ardentem cereum, & æris campani crotalum præferenti equum ſuum conceſſerat, vſque ad ægrotum in caſa ruſtica decumbentem, tanquam à pedibus ſi eiuſque miniſter deduxit. Inde verò ad ædem ſacram, cui Sacerdos præſidebat reduxit. Equo cum fauſti ominis præfatione ad *Rodolphum*, eiuſque poſteritatem pertinente, dimiſſi, ad Sacram Cellam contenderunt. Vbi adorato DEO, mox religioſam anum, magnæ propter vitæ ſanctitatem, apud omnes venerationis ſalutant. Quæ veluti plena Numine, ad *Rudolphum* conuerſa, pro officio, inquit, & cultu, DEO, eiuſque Sacerdoti abs te tributo, gratiam tibi poſteriſque tuis cumulatiſſimè referet Omnipotens DEVS. Et ne te varia ſpe induci à me ſuſpiceris, nouenarium temporis numerum, quo tibi huius meæ prædictionis efficax ſignum oſtendetur diligenter obſeruato.

(a) *Rudolphus Comes Hapsburgicus.*

Rodolphus igitur nouenis & diebus, & menſibus elapſis, à ſpe ſuâ ad nonum inde annum, quo Romanorum Imperator declaratus fuit, ætate proceſſit. Quibus pietatis initijs Romani Imperij amplitudo in Avstriam Domum profecta haud diſparibus Religionis progreſſibus in eâ conſeruata hactenus fuit.

Idem laudatur in Alfonso Aragoniæ ac Siciliæ Rege, (a) qui quodam die Panormi Sacratiſſimæ Dominicæ Hoſtiæ obuiam factus, Equo deſilijt, Corpusque Dominicum pedibus comitatus ad domum mulieris è graui partu laborantis, ac pene immortuæ deduxit. Gratum fuiſſe Deo pietatis humillimæ obſequium oſtendit euentus: præſentia enim ſua, allatoque D. Serenæ Cingulo, mulier incolumis eniza eſt.

Isabella quoque (b) Francorum Regis filia, cum Mantuæ curru per plateas, & viam publicam veheretur, vidit ex carpento Sanctiſſimam Euchariſtiam, quam ſacerdos ad hominem ægrotum religioſâ pompa deferebat. Tum Chriſtianiſſima Regina ex vehiculo deponi ſe iubet, & pedes pectore anhelanti velocique curſu ad viam properat, qua vitalis eſca tranſitura aſſet. Atque ex eo loco, vbi mundi liberator occurrit, gemebunda comitatur. Vbi ad ædes ægroti ventum, pro foribus rediturum Dominum flexis expectauit genibus, egredientemque illum, ad templum vnde exierat piè ac officioſè reduxit.

Est itaque humilitatis nota relicto equo aut carpento, pedibus incedere. Quare ſummæ demiſſionis ad propitiandum Numen in Rege Dauid fuiſſe exiſtimatur, quando is fugiens Abſalonem filium, flens & plorans, operto capite, nudis pedibus iter arripuit & perfecit, libro II. Reg. cap. 15. Et ſanè dubitaui aliquando, an non quid ſimile inſinuauerint Carminis illius olim vulgati auctores.

Bartolus & Baldus faciunt equitare caballos,
Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.

Nimirum, inſinuaſſe videntur, eſſe quandam Scientiam, quæ, vt hominem ad aptat ad altiſſima ſubſellia, & ephippio imponit penè dormientem, ita inflare ſolet, niſi Chriſtiana modeſtia contineatur: eam autem hauriri ex Bartoli Baldique codicibus. Ariſtotelem verò Philoſophico pallico, vt paupertatem, ſic demiſſionem decere, ideoque ex profeſſionis illius præſcripto, eſſe pedibus incedendum, non elatum Equo ſuperbiendum Philoſopho: ad quod ipſum Philoſophi nomen, à modeſtiâ & ſubmiſſione ductum exſtimulat.

(a) *Antonius Panormitan. lib. 3. cap. 19. de reb. Alphenſi.* (b) *Ioann. Boniſac. in Inſtit. puer. cap. 3.*

Membrum III.

PARABOLA SAMARITANI EVANGELICI

De iumento deſcendentis, ad iuuandum ægrum, Filium Dei Deſcenſu humiliantem ſe repræſentat.

Haud improbè *Deſcenſum ex Equo* (a) transferri ad exinanitionem Filij Dei factam per *Incarnationem*, ſatis oſtendit Parabola de Samaritano, qui hominem malè

(a) *Luc. 10.*

malè exceptum & ſemiuiuum in viâ relictum à latronibus, deſcendens ex iumento, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum; deinde, imponens illum in iumentum ſuum duxit, fortaſſe pedes ipſe equitantem, & curam eius egit. *Samaritanum* enim *Chriſtum* deſignaſſe Patrum eſt conſenſus; Is enim miſeratione generis humani tactus, eadem viâ, hoc eſt, in hunc mundum deſcendit, in quo erat homo. Vt autem hominem ſubleuaret ex *Equo* deſilijt, inclinans, & humilians ſemetipſum; & ægrum in iumentum ſuum, Humanitatem ſuam, impoſitum, ad ſtabulum, nempe Eccleſiam duxit, curam eius habuit, nunquam deſeruit, neque deſeret.

QVEM igitur frequenter in Militiâ Chriſtiana vt EQVITEM ac Magiſtrum EQVITVM, quâ DEVM, conſiderauimus: nunc vt Peditum Ductorem, quâ Hominem factum, contemplabimur. Sic enim animus addetur ijs qui inter pedites ſtipendia faciunt. Plurimum namque ad alacritatem & fortiter pugnandum inſtigantur Pedites, dùm vident Equitum præcipuos, ſuis relictis iumentis, eodem pugnandi genere in hoſtem impetum facere, (*a*) vt nuper ex hiſtoria Romana eſt demonſtratum. Sed quidnam ſit *Peditatus*, qui *Pedites* in Militia Chriſtiana diligentius paullò inueſtigandum & explicandum eſt, cùm magna ſit eius neceſſitas. Quæ vt intelligatur, de Peditatu in exercitu Luciferi prius diſſerendum eſt.

(a) *Ex Liui. lib. xi.*

COMMENTATIO II.

PEDITATVS MILITIAE DIABOLICAE

MEMBRVM I.

Copioſus eſt Peditatus Luciferi.

INDE Peditatus neceſſitas in Chriſti Exercitu (*a*) facilè colligitur, quod Luciferi legiones peditatu abundent, qui non *Equite* ſolùm ſed *Pedite* etiam profligandus eſt. Ingentem autem turbā *Peditum* ſub Lucifero merere certiſſimum eſt. Eos vero ille, vt concipere ſoleo, diſtributos in cohortes, manipulos, centurias, in quibus ſuos habet triarios, principes, haſtatos, velites; quibus præſunt Centuriones cum imperio, in aciem producit. Deſideratis fortaſſe oculis ſubijci inimicas has *Cohortes*, vt iacula præuiſa minus feriant? At vereor, ne terrorem, vel primo aſpectu incutiant, ſed primo aſpectu, dico, ob deformitatem; quid enim

(a) *Copioſus peditatus in Luciferi exercitu.*

nim aliud à tartareâ legione expectes? Porrò vt olim in *Legione* erant *Centuriæ* ſexaginta, *Manipuli* triginta, *Cohortes* decem, quod ex Liuio tradit Gellius, & alij: ita viſum *Lucifero*, loquimur, vt homines, per coniecturas non omninò friuolas, *Legionem* ſuam omnem diuidere in *Cohortes Septem*: æmulatur enim myſticum *Septenarium*, à quo maximè ſibi metuit: in manipulos & centurias penè innumeras, immò, innumeras: nec enim vitia, eorumque quotidiana multiplicatio numero comprehenditur. Iam vero ſingulæ cohortes ſuum habent gradum & progreſſum ſibi peculiarem, à quo internoſci quælibet poſſit: nec pedibus ſunt eiuſdem formæ, ſed proprijs vnaquæque figuris, vt mox intelligetis. Habent quoque Ductores ſigna, & arma peculiaria.

MEMBRVM II.

PRIMA COHORS SVPERBIÆ

In Peditatu Luciferiano.

PRIMÆ cohortis in Luciferi exercitu *Centurio*, ac *Ductor* eſt *Superbia*, cuius Peditatus, vno, eoque maximè fœdo, ac fragili pede ſaltuatim ac deſultoriè progreditur. Res mira, & quæ abſque riſu vix poteſt mente concipi. Conſiderate in ampliſſimo campo aliquot hominum millia, vt ciconias, vel pauos, cum alterū crus condunt ſub alis, vno pede niti, & in hoſtilem aciem impetum facere conari. Tales ſunt *Superbi* omnes, *Pedites*, at *Vnipedes*. Nihil ex me adducam, quod non auctoritate vel diuinâ vel humana firmetur. Nunquam vobis lectum auditum ue illud Pſalmiſtæ votum: *Non veniat mihi pes Superbiæ*? Pſalmo xxxv. Itaque Rex bellicoſiſſimus concipiebat *Superbiam*, primæ cohortis anteceſſorem vno pede incedentem, & cum eâ omnes eiuſdem cohortis manipularios. Sunt autem in ſuperbiæ cohorte, *Vana-gloria*, *Iactantia*, *Ambitio*. *Præſumptio*. *Æſtimatio ſui immodica*, *Deſpectus proximi*. Scitè S. Gregorius Papa, (a) *Radix cuncti mali Superbia eſt. De qua Scriptura atteſtante dicitur*: Initium omnis peccati eſt Superbia. *Prima autem eius ſoboles, ſeptem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur. Scilicet*, Inanis gloriæ, Inuidia, Ira, Triſtitia, Auaritia, Ventris ingluuies, Luxuria. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum, Nam de inani gloria Inobedientia, Iactantia, Hypocriſis, Contentiones, Pertinaciæ, Diſcordiæ, & nouitatum Præſumptiones oriuntur. Diuidit hic, quantum ego quidem mentem ſummi Antiſtitis aſſequor, Peditatum Cacodæmonis, in centurias, manipulos, cohortes. Cohortibus ſingulis præponit Capitalia ſingula Vitia, quibus ſubſunt alia manipulorum capita, quæ etiam Centurionem omnibus imperitantem reſpiciunt.

MEM-

(a) Lib. xxxi. Mor. c. 31.

MEMBRVM III.

SVPERBIÆ PES

Cauſſa variæ, cur Superbiæ Pes attribuatur.

QVÆRAT fortaſſe quiſpiam, quare Peditis inſtar, Superbia concipi debeat? Eſt id vſitatum in Scripturarum Paginis, vt *Pes Superbiæ* adſignetur: cuius varias dare cauſſas haud eſt difficile ex ipſa res natura petitas, partim naturales, partim allegoricas, Ethicas, ſymbolicas. IMPRIMIS. *Superbia* eſt Dux qui præeſt vitijs omnibus, eaque præcedit, & ad ſua trahit veſtigia: quod *Pede* indicatur. *Semitam ſeculorum calcant viri iniqui*, dicitur Iobi XXII. hoc eſt, priſcorum primorumque ſuperborum. Nam, *ſicut ſemita Redemptoris noſtri Humilitas*, vt commentatur D. Gregorius; *ita ſemita Seculorum ſuperbia eſt: quam viri iniqui calcant, quia per huius vitæ deſideria in elatione perambulant. Qui odit correptionem* (quod proprium eſt Superbi) *veſtigium eſt peccatoris*, inquit Eccleſiaſticus(a) nimirum ſuperbiſſimi Cacodæmonis, peccatorum omnium primi, & ſubſequentium Anteſignani.

DEINDE, *Pes* fulcrum eſt, & baſis corporis animati. Hoc ipſum verò in corpore Peccati eſt *Superbia*. Scitis enim ex Apoſtoli Pauli conceptione, *Peccatum Corpus* quoddam eſſe, membris portentoſis inſtructum, inter quæ *Pes*, cui inſiſtit, eſt *Superbia*; quamuis aliâ conſideratione, *Caput* etiam ob elationem ſit *Superbia*: quod in ſymbolicâ Sapientiâ non eſt abſurdum. *Vetus noſter homo crucifixus eſt*, inquit Apoſtolus, *vt deſtruatur Corpus Peccati*, ad Romanos VI. vbi, D. Chryſoſtomus, Ambroſius, & Anſelmus, *Corpus peccati*, inquiunt, eſt tota peccatorum maſſa, quæ quaſi vnum eſt *Corpus hominis veteris*, cuius membra ſunt libido, auaritia, fornicatio, & reliqua vitia, quæ *Superbia*, ceu *baſi* ac *fulcro* inſiſtunt. Eadem analogiâ vſurpatur, *Pes* montis, domus, arboris.

ADHÆC. *Pes* proprium eſt & generale *Inſtrumentum Superbiæ*, ac Superborum: nam omnes calcare geſtiunt, pede premere, & plantæ ſuæ ſubijcere. Inſtrumentum autem artificis eſt inſigne, quod illi maximè conuenit. Superbiſſimum iudicatur factum Saporis Perſarum Regis, qui Valerianum Imperatorem, quem, vt catenatum mancipium circumducebat, calcare, quoties equum conſcenderet, erat ſolitus.

ADDO, *Pedis* impoſitionem in aliquo fundo, & in eo *Pedeſtrem ambulationem*, dominij, ſiue veri, ſiue arrogati, atque excellentiæ habere ſignificationem: quam vbique ſuperbia & ſuperbi appetunt. Vnde quùm ſatellitium ſuperbiæ deſcriberet Rex Dauid: *In circuitu*, inquiebat, *impij ambulant*, Pſalmo XI. id eſt, in omni loco, circumquaque, vbique pedem ſuum ponunt, perinde, ac ſi rerum omnium potirentur, ſuiſque pedibus cuncta ſubieciſſent. Superbiæ quoque Princeps Satan Iobi I. dicitur circuiſſe terram, & perambulaſſe eam: perambulare autem terram, Hebræ-

(a) *Cap. XXI. 7.*

Hebræis eſt idem, quod ſubijcere, & in poteſtatem redigere. Vnde & Dauid, (*a*) *In Idumaam extendam calceamentum meum*, id eſt, pedem calceatum: *mihi alienigenæ ſubditi ſunt*, hoc eſt, in meam regiam poteſtatem redacti. Quare, Satan, cum diceret ſe perambulaſſe terram, ſignificare volebat, ſui iuris eſſe mortales omnes, ſuæque tyrannidi ſubiectum vniuerſum.

Hvc ſpectat, quod primogenituræ vſurpator Iacob, ſupplantat fratrem, fratris plantam tenens manu, Geneſis xxv. Et quod ſerpens calcaneo noſtro inſidiatur, Geneſis tertio, maximè tentans de ſuperbiâ. Et quod Dauid orat (*b*) *Miſerere mei Domine, quoniam conculcauit me homo*: nempe, is quem Chriſtus inimicum hominem nominat, vt exponit S. Hieronymus, in cap. XXXII. Ezechiel. Nec vacat myſterio, quod huc etiam facit: Chriſtum Dominum his, qui altercati erant, quis eorum eſt & maior, quo ſpiritum ſuperbiæ & ambitionis prodiderant, lauiſſe pedes Ioannis XIII. Apoſtolis verò ſuis in ſchola humilitatis eruditis dediſſe poteſtatem conculcandi conculcantem eos, ſub nomine ſerpentum & ſcorpionum Lucæ x. nec nō aſpidis & baſiliſci, Leonis quoque ac draconis, pſalmo xc. denique, cōterendi pede caput ſerpentis Geneſis tertio. Quocirca precatur optatque Paulus ad Roman. XVI. vt Satanam DEVS pacis conterat velociter ſub pedibus noſtris.

(*a*) *Pſal.* LIX. 10. (*b*) *Pſal.* LV. 2.

MEMBRVM IV.

SVPERBIA VNIPES. SVPERBI VNIPEDES.

VT *Vnimanum* dicimus, qui vnam tantùm habet manum, ſic *Vnipedem*, qui vnum ſolùm pedem. Quod ſuperbiæ conuenit & omnibus eius filijs. Explico & probo. *Pedes* ſunt baſes & fulcra; duobus autem fulcris vtitur homo, *Naturâ* & *Gratiâ*. Natura eſt veluti *Pes ſiniſter*, qui ſine *Dextro Gratiæ* hominem ſuſtinere nequit. Superbia autem, eaque prognatus ſuperbus, vnico tantum Naturæ pede exilit, hoc nititur, huic inſiſtit: proprijs fidit & eapropter imbecillis viribus ac meritis; *erigitque ſe plus quàm ſit fortitudo eius*, vt eſt apud Iſaiam Prophetam (*a*) nec alicubi firmiter ſtare poteſt, vt notat Caſſiodorus. Superbus extollit ſe ſupra alios, ob nobilitatem, pulchritudinem, robur, ſcientiam, eloquentiam, ingenium, acumen, iudicium, memoriam, veſtes, ornatum, pompam, & ſexcenta alia his paria, quibus ſe putat excellere, eaque non vt DEI dona, & ſingulares prærogatiuas, ac gratuitas, ſed vt naturæ debita ornamenta reſpicit. Atque ideò, nec DEVM, vt munificum largitorem per illa laudat, nec ob illa gratias agit, nec eius ſe illa beneficio habere profitetur, vt corde, ſic ore, quod gratum decet. Itaque vno Naturæ ſolius pede ſubſilit.

MEMINI me legere, Gentes in Indiâ olim repertas, quæ vno tantùm pede ſaltuatim progrediebantur, nec poplitem flectebant, *Sciopodas* vocatas perhibent, quod

(*a*) *Cap.* XVI.

quod per æſtum in terra iacentes reſupini, vmbra pedis ſe protegerent. Auctores ſunt, Solinus, Plinius, Gellius: è quibus primus monoculos fuiſſe tradit. Præclara ſanè figura cohortis Superbiæ, in quâ omnes ſunt imprimis vnipedes, pede arrogantiæ, quæ & vmbella eſt ad æſtum ſolicitudinum, curarumque auertendũ. Sunt autem etiam *Monoculi*, vt Cyclopas & Polyphemos agnoſcas in Exercitu Luciferi. Atq; ego ſanè fui ſemper in eâ ſententia: inter homines neminem eſſe ſuperbum, fortaſſe, nec eſſe poſſe, cui dexter veræ Sapientiæ oculus non ſit effoſſus, quamuis alterum vanæ ſcientiæ, Phæbææ lampadis inſtar, retineat. An non igitur de huius Luciferianæ cohortis militibus dici poteſt, *Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare?* (*a*) Cerne Goliathũ, carnis illum ac Superbiæ Coloſſum, quàm facile ab Humilitatis pedite vno, qui patuulus erat in oculis ſuis, pulſus & deiectus fuit. Hoc *Pede*, cùm quis Naturæ donis ac mentis ſuis confidit, nullus fragilior, aut infirmior inueniri poteſt, inquit Gulielmus Pariſienſis, (*b*) Adde, quod nullus etiam inueniatur abiectior, quemadmodum infima corporis pars *Pes* eſt. Superbiſſimi Luciferi typus *Serpens*, nonne totus, vt ſic loquamur figuratè *Pes* eſt, gradiens toto pectore, cum alijs careat pedibus.

(a) *Pſ. xxxv.* (b) *de Rhetor. diui. cap. 52.*

MEMBRVM IV.

COHORS HVMILITATIS

Opponenda Cohorti Superbiæ.

VT ſuperetur *Cohors Superbiæ*, implorandum eſt imprimis à DEO præſidium, quod fecit peritiſſimus Militiæ ſacræ Dux Dauid, oratiunculâ ex humilitatis affectu prolata. (*a*)

Non veniat mihi Pes Superbiæ:

id eſt, non me vincat cohors peditum Superbiæ. Quo ſenſu, Interpretes Græci, cum quibus S. Ambroſius, Auguſtinus, Arnobius, docent flagitare Dauidem, ne in ſuperbiam extollatur de gratiâ, iuſtitiâ, rectitudine, quam fuerit conſequutus: præterea, ne vnquam diſcedat à tegmine alarum DEI, & à ſpe in ipſum, ſibi quidpiam arrogando, non transferendo in DEVM: denique, ne deijciatur, & collabatur in terram Pedis ſuperbiæ oppoſitu, quo Rex ſuper filios ſuperbiæ, vt eſt apud Iobum (*b*) primos parentes noſtros deuicit. Multa alia innuit huc ſpectantia litteralis illius precatiunculæ expoſitio. Nimirum, non veniat, id eſt, non me inuadat, non irruat, non proterat *Pes ſuperbiæ*. ſignum eſt enim victoriæ, pedis in pectus, aut collum protruſio, vel impoſitio. Non veniat, hoc eſt, non perueniat ad me, me perſequendo: non veniat; quæſo, non aſſequatur: remorare ô DEVS! impetum huius cohortis, frange conatum, opprime inuolantem ac irruentem hoſtem: rogo Domine, ne intus in animo ſuperbæ cogitationis *Pes* ſurrepat clanculum, quo à Te recedam.

IMPETRATO Ducis ſupremi fauore, & auxi-

(a) *Pſal. xxxv. 12.* (b) *Cap. xli.*

au. ..o, non eſt, quod magnopere metuamus, modò pugnare velimus. *Cohorti* enim *Superbiæ* in Exercitu DEI oppoſita eſt cohors Peditum bonorum, qui ſub Humilitate ſtipendia faciunt, *Demiſſio*, *Contemptus* ſui, *Abiectio* ſui, *Abnegatio* ſui, *Annihilatio* ſui. Itaque, Humiles, abiecti in oculis ſuis, deſpecti etiam ab alijs, ſed placentes DEO, & ſequentes Magiſtrum, qui mitis eſt, & humilis corde, ſunt *Pedites* in Militia Chriſtiana. Quod *Pedites* illos nominem, nemo mirari debet: vt enim in ſuperioribus eſt probatum, Humilitatis indicium continet, pedibus iter facere, cum Equo vehi poſſit. *Pedes* ambulat Humilis, duobus ſemper *Pedibus* inſtructus, *Cognitione* ſui, & *Cognitione* DEI. Nouerim me, nouerim Te aiebat, quocumque ſe conferret humillimus Franciſcus. Vnus *Pes* eſt ſuperbo, duplex Humili: quid ergo mirum totam ex ſuperbis cohortem facile deijci? quid enim procliuius, quàm vno pede nixos impellere? Experimentum capite, eleuato pede altero: ventorum turbo penè propellet totam corporis machinam.

QVÆRIT S. Auguſtinus. (*a*) quinam ſint illi, quos deſignat Propheta, dicens, *Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*? id eſt, ſubſiſtere, aut conſiſtere. Reſpondet autem, eſſe primò ſuperborum Principem, qui in veritate non ſtetit Ioannis VIII. deinde eos, quos à malo illo Genio deuictos, dimiſit DEVS è paradiſo Geneſis tertio. adduxque humilem Ioannem, qui ſe dixit, indignum ſoluere corrigiam calceamenti Chriſti, non eſſe expulſum, ſed ſtetiſſe. *Neſcit ſtare Superbia*, ait S. Ambroſius, *& ſi ceciderit, non nouit reſurgere. In nomine Domini ſurgimus, & erigimur, cadentibus ijs qui nituntur* curribus & equis. *Et quamuis letentur inimici ſuper nos, quaſi ceciderimus conſurgemus, ſecundum vaticinium Michea*, *cap.* VII. Tolluntur in altum ſuperbi, vt lapſu ruant grauiore. Vis tibi conſultum, & nō timere impulſorem? vide ne te *Pes ſuperbiæ* contingat, fuge appropinquantem, metuendus eſt *Pes Superbiæ* Per illum Diabolus & Angeli corruerunt, qui licet nō pulſi extrinſecus, expulſi ſunt tamen, nec potuerunt ſtare. Non ſtetit in veritate Diabolus, quia non fuit innixus Verbo, ſed in ſuâ fuit virtute confiſus inquit S. Bernardus: nimirum, ſiniſtro inſiſtens pede. An ideo fortaſſe ſedere voluit, quia ſtare nō potuit? Iſaiæ XIV. *Quomodo cecidiſti Lucifer de cælo, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, ſedebo in mente teſtamenti, in lateribus Aquilonis*: ſed DEO iuſtam ſententiam ferente, ſcilicet, nec ſtetit, nec ſedit, ſed cecidit, tāquam fulgur de cælo Lucæ X. Nimirū, nec ſtare in bono, nec ſurgere ad bonum quid poteſt, niſi in Verbo.

(a) *Enarr. in Pſ. xxxv.*

MEMBRVM V.
SECVNDA COHORS CVPIDITATIS
In Peditatu Luciferiano.

SVPERATA cohorte Peditum Superbiæ, occurrit mox alia in ſuos diſtributa manipulos, cui præeſt *Cupiditas* rerum terrenarum. In eâ Centuriones ſunt, *Auaritia*,

titia, Fraus, Dolus, Periurium, Vſura, Simonia, In vexillo, quod his præfertur, eſt *Plutus* cum acerrâ, thuris adolendi vaſculo, ac laqueo Diaboli: eſt enim Auaritia idoli ſeruitus. Arma ſunt, aurum, argentum, gemmæ, torques, marſupia, fænus, numi; pecunia. In hoc peditatu numeratur, *Auarus*, tenax, vſurarius, Simoniacus Euclio, & his ſimiles. Optimè autem cupidi & rerum terrenarum appetentes, concipiuntur vt *Pedites*. Rarò aliquem ex eorũ genere, quia ſordidum, quamuis diuitem videbis *Equitantem*: quomodo enim Equo pabulum curet, qui vt crumenâ turgeat, ſibi de neceſſario ſuſtentationis demenſo detrahit, & genium ſuum defraudat. De auaro dixit Iſaias: (a) *Siccauit veſtigio* Pedis *ſui omnes riuos aquarum*. Sunt enim *Pedes* auarorum ſpongioſi, qui vbicumque ponuntur, rerum omnium ſuccum, tanquã aquam, attrahunt. Adde, quod Pedes multa alia habeant cum auarorum cupiditatibus communia. In cuius rei gratiã.

OBSERVO. *Pedes* eſſe duplicis generis: pedes corporis, & pedes animi. Quæ diſtinctio eſt celebrata à multis Patribus. Clarè S. Hieronymus, exponens illud Apoſtolicum (b) *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis*: Diligentius, inquit. *obſeruate, quod virtutem quandam animæ appellauerit* Pedes, *quibus ingredimur in eo, qui dicit*, Ego ſum Via, *quam nos oportet calcare in præparatione Euangelij pacis* Et D. Ambroſius ſermone XIII. in Pſalm. CXVIII. dum explanat illum verſiculum, *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua*. Non vtique, ait, *corporis pedes prohibuit, qui mentis piæ plerumque obſequuntur arbitrio: neque enim prohibendi ſunt, cùm prodeunt ad* DEI *templum. Itaque alios pedes mentis intellexit*. Quod autem eſt in mente quod pedum rationem habet? Pes ambulandi & procedendi animatum eſt inſtrumentum. Mens autem Affectibus ac deſiderijs ambulat, vt corpus pedibus. Sunt igitur *Affectus, Pedes mentis*. Acutè S. Thomas & verè I. P. quæſt. tertia art. I. vbi quærit, *An* DEVS *ſit Corpus*? cùm ſibimet obieciſſet: Nihil poteſt eſſe terminus localis à quo, vel ad quem niſi ſit Corpus, vel aliquid corporeum. Sed DEVS in Scriptura dicitur eſſe terminus localis, vt ad quem, ſecundum illud Pſalmi XXXIII. *Accedite ad illum & illuminamini*: &, vt *à quo*, ſecundum illud Ieremiæ XVIII. *Recedentes à Te in terrâ ſcribentur*. Ergo eſt corpus. Reſpondet, quod ad DEVM non accedatur paſſibus corporalibus, quùm vbique ſit, ſed affectibus mentis, quibus ad DEVM ambulamus, & è conuerſo ab illo recedimus. *Affectiones* ſunt *Pedes Animæ*, quibus de re ad rem, de cogitatione in cogitationem, de deſiderio in deſiderium tranſfertur. *Pes* meus affectus meus: eo feror quocumq; feror, aiebat Auguſtinus. Nec vnquam anima de dilectione vnius rei in aliam moueretur, niſi affectuum pedibus transferretur. *Ducent eum pedes ſui*. inquit Iſaias Prophetâ (c) *longè ad peregrinandum*. Vnde eſt illa viri pij contemplatio.

QVEMADMODVM ſunt aues quædam, quæ *Pede* vtuntur loco manus, quales ſunt Porphyrio, & Pſittacus; (d) ita reperiri quoſdam, quibus affectus, qui ſunt *Pedes*, pro operibus, quæ ſignificantur per manus, computantur, Quoniam cùm manus nõ habeant ad operandum, id eſt,

(a) *Cap* XXXVI. (b) *Ad Ephes* VI. 16. (c) *Cap*. XXIII. (d) *Porphyrio Pſittaco*.

id eſt, careant potentiâ quidpiam, quod magnoperè deſiderant, ad DEI honorem, efficiendi, *Pedes* tamen habent, affectu, nimirum, volunt, ſed non poſſunt, & vellent efficaciter, ſi poſſent. Tunc autem bona voluntas pro facto reputatur. Nam rectè Auguſtinus, (a) quod Schola Theologorum probat: *Quicquid vis, & non potes, factum* DEVS *reputat*. Itaque per *Pedes* Auarorum, eorum optimè ſignificantur deſideria, & cupiditates, qui ſunt affectus terrenis inhiantium. Iam verò, & illud huc facit, quod eſt ſuperius indicatum: *Pedum poſitionem* eſſe actum ciuilem, ac naturalem apud Iuriſperitos, in adquirendâ poſſeſſione, cui tantoperè Auari inhiant, qui vbique *Pedem* ſuum collocare appetunt. Quocirca Lucifer, vt ſuperbiſſimus, ita rerum auidiſſimus, & lucri cupidiſſimus. Ipſe *Plutus* auarorum. DEVS dicebat gloriabundus cum ditiones ſibi ſubditas ſignificare compendio vellet: *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Quo indicatur, eum non fuiſſe contentum in qualibet terræ parte *Pedes* ponere, ſed vniuerſas terræ glebas ſignaſſe, triuiſſeque pede quod eſt Circumiuiſſe, & perambulaſſe. Scilicet tanta eſt ei cupiditas adquirendi, & in omnia omneſque dominandi, Mundique ſe Rectorem, & publicum ſupremumque Magiſtratum conſtituendi. Adde, theſauros animarum, qui latent in fundo Mundi, ſuos faciendi. Sufficit enim ad theſauri adquiſitionem, agri in quo latet, poſſeſſionem, per *Pedum* poſitionem iuridicam adijſſe.

NON minus auidi ſunt, ad Ducis mutationem ſui. *Auari*, quibus vix mundus vnus ſufficit in quo pedes ponant, & quê perambulent. Sed illud etiam obſeruare vos velim, quod qui, nullo locorum diſcrimine, pedes vbique ponit, lutoſos ferè referre domum & ſordidos ſoleat. Et hæc eſt conditio *Peditum* in Cohorte Cupiditatis, *Sordidis* ſunt *Pedibus* & lutulentis. Neſciò, an vobis vnquam venerit in mentem, cur à primis linguæ Latinæ Magiſtris, idem dictus fuerit *Auarus* & *Sordidus*, quod etiamnum obtinet. Sunt enim illa ſynonyma, & ſignificant tenacem nimium, turpiter parcum, alieni appetentem, & ſui immodicè detentorem. Placet mihi ingenioſi coniectura Philologi, conſideraſſe Sapientes illos, quod Auari lutum pedibus plerumque terant, & modò alicubi poſſeſſiunculæ titulum indipiſci queant, non refugiant, fimeto ſe immergere. Itaque *Cohors Auarorum*, ſordidis, & illuuie, ſtercoreque maculatis pedibus procedit. *Sordes eius in pedibus eius*, inquit Propheta Threnor. I. nempe, diuitiæ lutoſus in affectibus. Porrò, quot ſunt *Affectus* in homine habendi cupiditatibus immerſo, tot ſunt illi pedes. Quare, vt prima acies Luciferi, vno pede, ita altera hæc multis inſiſtit. Sic animalia quædam imperfecta, vilia, & inertia, vt erucæ, vermiculi, ſimileſque beſtiolæ, in quibus, à multitudine pedum dictus *Pediculus*, regnum obtinet, pedibus abundant: quibus homines habendi cupidi comparantur, affectibus multipedes.

NEC iſtud omittendum, pedes eiuſdem cohortis eſſe ferè, vt miluorum, accipitrum, & vrſorum curuos & vncatos, vt prædam rapiant & firmiſſimè retineant. Apocalypſis XIII. Beſtia de abyſſo veniens habebat *Pedes vrſi*: quod eſt animal

 auidum

(a) *Pſal.* LVII.

auidum ac ſordidè tenax, adeò, vt de cibo ſuo nulli partem aliquam diſtribuat. Hæc *Beſtia* antecedit cohortem Auaritiæ. Non malè etiam conceperis *Pedes* eorundem manipularium, *terreos*, glutino tenaciſſimo parſimoniç ſordidæ ferruminatos: Quales fuiſſe reor in *Statuâ*, quam vidit Nabuchodonoſor. (*a*) *Cuius caput erat ex auro optimo, pectus & brachia de argento: venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ: pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis*, Typus erat *Peditis Tartarei*, cuius initium deſideriorum pretioſum eſt ac ſplendidum, fulgens aurum: medium argenteum; ſed tandem deſinit in *Pedes fictiles*, ideoque non diu conſiſtit. Venit enim mox Lapis de monte ſine manibus abſciſſus; rigida nempe, ac inexpugnabilis DEI iuſtitia, pedesque illos conterit, & peditem in terram conijcit, & terra obruit, nunquam amplius viſendum. Vbi nunc opulentiſſimi illi Monarchæ, Aſſyrij, Medi, Perſæ, Macedones, Romani? omnes interierunt, adeò, vt multorum nec nomen, aliorum tenuis tantum ſuperſit, & obſcura memoria.

(a) *Daniel.* 2.

MEMBRVM VI.
COHORS LIBERALITATIS
oppoſita cohorti Cupiditatis.

IN Exercitu Militiæ Chriſtianæ cohorti hactenus deſcriptæ reſpondet Cuneus illorum *Peditum*, quibus Cupiditatum nimiarum moderatrix Virtus, & *Liberalitas* præſidet. Quorum ſinguli duobus pedibus internis incedunt. Siquidem duplicem habent affectum: Vnum, quo feruntur ad bona ſpiritualia, ſed intra naturæ, morisque terminos: alterum, quo ad æterna, & Diuina. Vnum, quo diligunt DEVM: alterum, quo proximum. Vnum, quo contemnunt Mundum: alterum, quo anhelando properant ad cælum: Vnum, quo diſpergunt, & reijciunt ſuperuacanea: alterum, quo ex Virtutis præſcripto inſiſtunt neceſſarijs, & moderatè ſuis commodis: nam vtrumque requirit vera liberalitas.

AT quales horum ſunt Pedes? vterque non eſt vnius modi, ac figuræ, Nam vnus eſt clauſus, alter apertus. Ferunt ſpeciem eſſe quandam Aquilarum, quæ in aquis natant, vt fluuiatiles quædam volucres: quibus idcirco à naturâ prouiſum eſt, vt pedum alter ſit clauſus, inſtar anſerum, vt ipſo in aquâ, tanquam remo vtatur, & aquam pede, veluti palâ protrudat: alter autem pes ſit diuiſus, & acutus, vncisque horridus, vt dum volat, prædam capiat, ac firmiter retineat. Ita ferè concipiebam *Peditum* illorum pedem: mentis alterum, ſiue affectum, humanarum rerum deſpicientiâ, eſſe clauſum, vt eo, veluti remo, vndæ ſuperfluorum repellantur. Vnde mirum non eſt, quod riuos amnesque voluptatum occurrentes facilè tranſmeent. Nam de his dictum interpretor: *In flumine pertranſibunt pede.* Sed *Pes* alter ſeu affectus, qui ſurſum volantes imitatur, eſt apertus, & acutus: Siquidem

toto

toto deſiderio Diuina appetunt, illaque, tanquam prædam, cui inhiant, capiunt, & firmiſſimè retinent. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, dicit Dominus.

MEMBRVM VII.

TERTIA COHORS IRÆ

Peditatus Luciferiani.

DEVICTIS manipularibus Cupiditatis, occurrit Cohors, quam impellit rapitque præcipitanter *Ira* In quâ Centuriones ſunt, *Contentio, Rixa, Diſcordia*: Primipili, *Impatientia, Immodeſtia, Detractio*: Tubicines, *Clamor, Maledictio, Murmur*: Vexillum rubrum, in quo in pugnum contracta *Manus*: Arma, *Calces, Sputa, Sica, Enſes*. Quod autem *Iracundos*, feroces, furioſos, & eius ſortis homines *Pedites Cacodæmonis* appellem, hanc cauſſam habeo, quia præcipuum Iracundiæ & furoris organum *Pes* eſt. *Conturbas aquas pedibus tuis*, inquit Propheta Ezechiel. (*a*) Aquæ multæ populi multi ſunt, qui pedibus conturbari dicuntur, quando quorundam iracundiâ & furore ad ſeditiones, & arma concitantur. Danielis VII. dicitur, quod Beſtia quattuor dentes ferreos habens, comedebat, & diminuebat, ac reliqua pedibus conculcabat, quemadmodum homines ſolent ira efferueſcentes. Cùm iratum furentemq́ue eleganter deſcriberet Seneca, (*b*) pedum quoquem mentionem faciebant, quaſi Irâ ſine *Pedibus* non poſſit conſiſtere, aut prodire. *Vt furentium*, inquit, *certa indicia ſunt; audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus; ita iraſcentium eadem ſigna ſunt: Flagrant, & micant oculi, labia quatiuntur, ac horrent, & ſubriguntur capilli, comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus* Pedibus, *& totum concitum corpus.*

QVÆ ſi accuratius perpendas, facilè mecum ſenties, Cohortem iſtam *Equinis pedibus* ad prælium procedere. Et quid ſimilius homini irâ æſtuanti, ſpumantique, & humum pedibus identidem pulſanti, quàm *Equus* in furorem penè actus, frequenter hinniens, mordensq́ue frenum, & quadrupedante putrem ſonitu quatiens vngulâ campum. Proprium ſanè equorum videtur, pede terram pulſare, & vngula quatere, aut cauare: vnde caballi nomen quidam ductum putant, quod terram cauet, & excauet vngula impreſſa. Officium etiam feriendi terram pedibus equo adſcribit Nemeſianus in Carmine.

Nec Pes officium ſtandi tenet, vngula terram
Crebra ferit, virtuſq́ue artus animoſa fatigat.

Auctor eſt Mela, (*c*) in inſulis Oonis Septentrionalibus, homines eſſe equum pedibus, qui *Hippopodes* dicantur. Cui adſtipulatur Solinus, (*d*) qui, *Hippopodes*, ait, *humana, vſque ad veſtigium forma, in equinos pedes deſinunt*. Portenta iracundis perquam ſimilia, qui cùm in Peditatu ſint Cacodæmonis, equinis pedibus, affectibusq́ue feruntur in obuios.

MEM-

(a) *Cap. XXXII.* (b) *Lib. I. de ira cap. I.* (c) *lib. 3. cap. 1.* (d) *Cap. XI. Plin. lib. 4. cap. 13.*

MEMBRVM VIII.
COHORS MANSVETVDINIS
contraria Cohorti Iracundiæ.

COHORTEM Peditum *Iracundiæ* facilè repellunt, qui in DEI Exercitu *Manſuetudinis* ductum ſequuntur, *Pedites Longanimitatis, Mites*, & *Humiles cordi*. Vt enim pedibus incedere, non ſublimem Equo vehi, eſt indicium humilitatis; ita & eſt Manſuetudinis. Duobus autem pedibus Milites iſti gradiuntur, *Patientia*, & *Longanimitate*. Quorum cothurni militares ſunt, *Suſtine*, & *Abſtine*. De his dici poteſt illud Eccleſiaſtici, (*a*) *Aurum* & *Argentum conſtitutio* Pedum illorum eſt. Sunt hi *Pedites* ſelectiſſimi, quales fuerunt *Apoſtoli*, quos Dominus maximè ſimiles ſibi cupiebat, mites & manſuetos, quos ſequuntur *Viri Apoſtolici*, & Verbi diuini *Præcones*, qui Pedibus deſignantur in Sacris litteris. Ita commentatur S. Gregorius, exponens illud Iobi XXVIII. *Diuidit torrens à populo peregrinante eos, quos oblitus eſt Pes egentis hominis, & inuios. Quis hoc loco, inquit, alius accipitur egenus homo, niſi ille, de quo per Paulum dicitur*, (*b*) Qui propter nos egenus factus eſt, cùm diues eſſet, *cuius videlicet egentis hominis* Pedes, *Sancti prædicatores fuerunt, per quorum profectò præſentiam, Gentilitatem circumiens Mundum perambulauit vniuerſum.*

(a) *Cap. XI.*

(b) *2. Corinth. VIII. 9.*

MEMBRVM IX.
QVARTA COHORS LVXVRIÆ
Peditatus Luciferiani.

PROFLIGATA Iracundiæ Cohorte, videndam ſe dat alia Pedeſtris Luciferi, quam *Luxuria*, ſeu *Laſciuia*, aut magis generatim, *Voluptas Carnis*, ſiue *Venerea* educit. In hac Cohorte Centuriones ſunt, *Turpitudo, Laſciuia, Luxuries*. In Vexillo igneo, obductis velo oculis *Cupido*, cum pharetrâ & ſagittis, non ſine matre ſua *Cypria*. In armis numerantur, nuces, poma, amygdala, nutus, nictus, oſcula, aliaque ad flagitium irritamenta. Hanc ego Cohortem concipere ſoleo, præcinentibus Muſicorum turbis, interſonante fidicine, ſubſilientibus pedibus. choreas ducentem, in hoſtium conſpectum venire nimirum, vt quod de latronibus Lybicis fertur, ridendo, amplexandoque iugulet. Copioſum profectò Luciferi Peditatum conſtituunt *Laſciui* ac *Luxurioſi*, qui, vt pedites luto, ita facillimè cæno turpitudinis inquinantur. De his accipe illud Prophetæ: *Demerſerunt in cæno, & in lubrico Pedes tuos.* (*a*) Et ipſi demerguntur, & demergunt alios, lubrici omnibus corporis membris. Inter quæ tamen cum de lubricitate laſciuiæ agitur, præcipuum locum

(a) *Ieremiæ XXXVIII. 22.*

locum habet *Pes*, in diuino Codice, vbi non raro laſciuientium turpitudinem denotat ænigmatico loquendi modo: quo *Pedites* vocantur Laſciui: Pedites verè deteſtandi.

* * *

MEMBRVM X.

COHORS CASTITATIS

Aduerſaria Cohortis Luxuriæ.

COHORTI Laſciuorum opponitur in DEI copijs *Cohors Caſtitatis*, certè multiplex & ſpecioſa. Qui in eâ nomen profitentur ſuum, duos habent *Pedes*, quibus ſine offendiculo ambulant. Dexter dicitur *Munditia cordis*: Siniſter *Puritas Corporis*. Iis ambulat Caſtus viam mandatorum DEI: & cauet ſibi quam diligentiſſimè, ne, vel mentem, vel corpus vllâ turpitudinis labe inquinet, illudque Tentatori reſpondet ſemper: *Laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* (a) Quod Sponſæ cæleſtis cum admiratione, immò, indignatione prolatum enunciatum exponens. S. Ambroſius, *Didiciſti*, inquit, O Virgo! *in Euangelio, quod Pedes lauare, fidei myſterium, humilitatis inſigne ſit, iuxta quod ſcriptum eſt.* Si ego laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter, quanto magis vos debetis alter alterius lauare pedes? *Et hoc ad humilitatem pertinet. Quantum verò ad myſterium, Pedes debet* lauare *ſuos, qui vult partem habere cum Chriſto.* Si enim non lauero, *inquiebat Dominus Petro*, pedes tibi, non habebis partem mecum. *Cùm hoc Petro dicitur, quid de nobis cenſetur? Qui lauit igitur* Pedes, *non neceſſe habet iterum lauare, & ideò caueat, ne inquinet eos.*

(a) *Cant.* 5. 3.

ET *benè S. Eccleſia dicit*, Laui pedes meos. *Non dicit*, quomodo iterum lauabo eos? ſed, *quomodo iterum inquinabo eos? quaſi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Admonet igitur in miniſterio corporali, quemadmodum ſpirituale debeamus actuum noſtrorum diluere veſtigium. Itaque* Pedes *cùm ſemel laueris æternis fontis irriguo, & myſterij mundaueris Sacramento, caue iterum corporea cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus ſordibus inquinentur. Iſti ſunt pedes, quos Dauid lauit in Spiritu, qui te docet, quemadmodum eos inquinare non poſſis, dicens:* Stantes erant Pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem. *Vtique hic non corporis, ſed animæ intellige* Pedes: *quomodo enim terrenus homo in cælo haberet corporis pedes? Ieruſalem enim ſicut* Paulus *te docuit, in cælo eſt. Et idem te docuit, quemadmodum in cælo ſtare poſſis, cùm dicit:* Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: *conuerſatio morum atque factorum, conuerſatio fidei.* His itaque *Pedibus* inſiſtunt Caſtitatis Cultores, ideoque hoſtilem aciem facile profligant.

MEMBRVM XI.

QVINTA COHORS GVLÆ

Peditatus Luciferiani.

A COHORTE laſciuorum haud procul abeſt alia, quam regit *Intemperantia*. In eâ duo ſunt Centuriones, ſed ambo imbelles, atque ideò appellatione fœminina exprimuntur: nomen vni *Gula*; alteri, *Ebrietas*, Phryges ambo, non Phrygij. Primipili in eadem eminent; *Crapula, Ingurgitatio, Voracitas, Ingluuies, Comeſſatio*. (a) In Vexillo ſplēdet, *Bacchus, Sileni*, Epicuri de grege *Porci*, lupis mixti. Arma nominantur *Crateres, Pateræ, Calices, Ructus, Vomitus*, Sordes meræ. Hic eſt *Peditatus ſubneruatus*, id eſt, inciſis pedum neruis ira debilitatus, vt non niſi titubando, vacillando, cadendo in conſpectum venire poſſit. Hinc illud

Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.

inter ipſos manipulares.

EST Lucifer Imperatoris noſtri Simia, vbique affectans ſimilitudinem, quare, cùm audiſſet ab eo imperatum aliquando fuiſſe, vt Hebræorum Dux magnanimus, equos, quos bello cæperat, ſubneruaret (b) in ſuo Peditatu experiri voluit, vtrum in hoſtes iruro ſit opportunum. Melius tamen erit fortaſſe, & conuenientius, ſi dicamus Guloſorum & Ebrioſorum Cohortem à domeſtico inſidiatore ſubneruatam. Vt enim ingenioſè à Plauto Comico eſt obſeruatum: doloſus hoſtis & callidus eſt vinum, *Pedes* enim primum inuadit, & *Pedetem* in terram deijcit. Hæc itaque *Peditum* Diabolicorum Cohors, ridiculo planè modo, aduerſarium aggreditur; nunc vno, nunc altero *Pede* in altum elato ſaltitat; nunc in hanc, nunc illam in partem inclinando progreditur; ſæpe quadrupedis inſtar greſſum quattuor pedum effingit: in terrâ enim proſtratus manus in pedes tranſmutat. Audite elegantiſſimè Cohortis huius progreſſiones depingentem facundiſſimum Doctorem Ambroſium. (c)

„ Vanæ imagines ſunt ebrijs, incerti viſus, inſtabiles greſſus. Vmbras tranſiliunt ſæpe, ſicut foueas, nutat his cum facie terra, ſubitò erigi, & inclinari videtur, & quaſi vertatur, timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus videntur includi. Murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, Leones arbitrantur, & fugiunt. Alij riſu ſoluuntur incondito, alij inconſolabili mærore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores: vigilantes ſomniant, dormientes litigant.

(a) *Vexillum.* (b) *Ioſue xi.*

(c) *Lib. de Elia & Ieiun. Cap. 16.*

MEMBRVM XII.
COHORS SOBRIETATIS

Inimica Cohortis Intemperantiæ.

QVID facilius, quàm titubantem illam aciem in fugam vertere, aut in terram deturbare, cùm tam leuiter pedibus inſiſtat? Quare nullus penè eſt labor *Cohorti* illi oppoſitæ *Peditum* in exercitu DEI, quos ducit *Sobrietas*. Eorum pedes ſunt, *Temperantia*, & *Abſtinentia*: Pedes marmorei: ac proinde hic peditatus greſſu firmiſſimo procedit, nec casus vnquam eſt periculum. Vt enim *Gula* & *Ebrietas* pedes eneruant, aut vinciunt, non pampineis tantùm ligamentis, ſed etiam podagricis, ita Temperantia & Sobrietas crura roborant, & neruos conſtringunt, vt pedes tanquam baſes ſint firmiſſimi. *Ingreſſus eſt in me Spiritus*, inquiebat Propheta, (*a*) *& ſtatuit me ſuper pedes meos*. Quod indicat firmitatem ſtabilitatemque Pedum, quæ eſt ſobrietatem colentium.

(a) *Ezechiel. cap.* III.

MEMBRVM XIII.
SEXTA COHORS INVIDIÆ

Peditatus Luciferiani.

TETRA eſt hæc *Cohors* Cacodæmonis, quam impellit *Inuidia*. In quâ Centuriones ſunt, *Maror*, *Rancor*, *Liuor*, *Amaritudo*, *Æmulatio*. In Vexillo ſignum militare *Meduſa*, ſeu, Caput Gorgonis. Arma, *Detractio*, *Calumnia*, *Suſurratio*. Eſt autem Inuidi & doloſi ſignum *Pes* apud Iobum Cap. XXXI. vbi lego: *Feſtinauit in dolo Pes meus*. Inuidorum autem phalanx ſemper claudicat. Cuius cauſſam dat Salomon Prouerbiorum XIV. *Vita carnium ſanitas cordis: putredo oſſium Inuidia*. Hæc igitur oſſa putrefacit, hoc eſt, fundamenta, ac fulcra hominis: quid ergo mirum, quod malè ingrediantur *Inuidi*. Lupi & vulpes, quoniam pedes dextros habent breuiores, quàm ſiniſtros, claudicant. Idem contingit *Inuidis*, quibus affectus amori multo eſt breuior, quàm odij. Itaque rectè dixeris *Cohortem Inuidorum* pedibus lupinis, vulpiniſque progredi, & in eâ omnes eſſe ſimiles Ionathæ, qui erat debili pedibus, vt dicitur libro ſecundo Reg quarto cap.

MEMBRVM XIV.

COHORS BENIGNITATIS

Oppoſita Cohorti Inuidiæ.

CLAVDICANTEM illam Cohortem fugat, aut proſternit facilè oppoſita *Benignitatis*, vel *Beneuolentia*, cuius pedes ſunt *Benè poſſe facere*, & *Benè velle*. Beneuoli autem tam habent in ſuâ poteſtate *Pedes*, vt alijs quoque ſuos accommodare, cùm neceſſitas vrget, poſſint. Res mira, & quæ fidem humanam propè ſuperat: neque auderem id dicere: nam reuera paradoxum videtur, niſi ab homine veraciſſimo, & aſſertum & factum accepiſſem. Is fuit Iob, vir integerrimus & veraciſſimus, ab *Inuidiâ* autem etiam alieniſſimus, ac benignitatis exemplum ſingulare; qui de ſe teſtatur: (*a*) *Oculus fui cæco & PES claudo.* In quâ ſententia id obſeruant doctiſſimi Interpretes, ex Hebræo, *Oculum* & *Pedem* eſſe pluralis numeri, & verti potuiſſe, *Oculi*, & *Pedes*, vt integrum, perfectumque auxilium miſeris & egentibus à ſe præſtitum benigniſſimus Iob ſignificet.

BENIGNVS ac Beneuolus, tantum abeſt, vt alteri virtutis ac rei benè geſtæ præmium inuideat, vt ei, ſi res poſtulet, *Pedes* ſuos accommodet, ad conſequendum celerius: quod facit, qui alios ad rectam virtutis ſemitam reducit. PES, inquit Origenes, *quaſi Dux viæ morum eſt, qui ſuo labore & diſcurrendi ſolicitudine miſeris opitulatur.* Quod cùm proprium ſit officium Principis, cui incumbit ex perſonæ, quam gerit, & muneris, quod adminiſtrat, ratione, ducere, ac ſubleuare, non minus Symbolo *Pedis*, quàm imagine *Capitis* repræſentatur: idem vertex ac baſis, ſummum & imum, quia fulcrum Reipublicæ.

(a) *Cap. xxix.*

MEMBRVM XV.

SEPTIMA COHORS ACEDIÆ

Peditatus Luciferiani.

POSTREMA Luciferianorum Peditum Cohors Ductricem ſuam veneratur *Acediam*. In quâ, vt Centuriones conſpiciuntur, *Ignauia*, *Socordia*, *Deſidia*, *Ocium*, *Torpor*, *Garrulitas*. In vexillo cernitur *Teſtudo*, domiporta, terrigena, ſanguine caſſa, in papanerum acerbo deliteſcens. Arma nominatiſſima ſunt, *Culcitra*, *Pluma*, *Puluinaria*, *Somnus*, *Pandiculationes*. Acedioſos vocamus homines in virtutum & pietatis ſtudio negligentes, tepidos, deſides. Hi, ceu Pedites non inconuenienter concipiuntur: nunquam enim

enim? Equo alacritatis, celeritatiſúe vehuntur ſuntque tardigradi, & teſtudineo greſſu ad conflictum progrediuntur. Horum viua imago eſt *Animal* illud, quod apud Indos repertum, ab re ipſa, à Luſitanis *Pigritia* vocatur. (a) Huic ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum, neque vnquam in pedes exſurgit: denique, tam tardè mouetur, vt quindecim ipſis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque, quarum in aſcenſu biduum circiter, tantundem in deſcenſu ponit. Neque verò ad hortationibus tantùm, aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibúsue beſtiam, vel tantillum de inſitâ ignauia, ac tarditate dimoueas, vt teſtes oculati referunt.

FORTASSE, iuuabit totam hanc cohortem concipere, vt mechanicos quoſdam ſarcinatores, qui in officinâ complicatis & decuſſatim compoſitis cruribus ac pedibus ocioſi conſident, & ſaltuatim, locuſtarum in morem, pedes manibus continentes, ex vno in alium locum ſe transferunt. Ita in vos Impetum facit Acedia, aut potius, ita *Acedioſi* militant. Quibus ego Camelorum pedes adſignarem, qui tenerrimi ſunt, ideoque delicatè incedunt, cauentque ne vel minimum lædantur. Non facilè egreditur Acedioſus & piger. *Dicit Piger, leo eſt foris: in medio platearum occidendus ſum.* Prouerbior. XXII. Quod ſi cogat neceſſitas, ac ſi carbones calcaret, ita faſtidioſè greſſum molitur, & lentiſſimo gradu procedit, vt in pompis ſimulacra. Quod ſuggerit Cicero, libro I. de Offic: monens, ne tarditatibus vtamur in ingreſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur. Quod iiſdem penè verbis Rustico ſuo præcipit S. Hieronymus, referens, pauperes quoſdam tenui ſubſtantiolâ, quique videntur ſibi ſcioli, pomparum ferculis ſimiles procedere in publicum. ô putidam ignauiam! Iam verò, nonne delirus planè eſſet, qui hoſtē hoc ſchemate ad ſe venientem fugeret, & non potius impetus tam euanidos ſuſtinendo eluderet? *Experimento probatum eſt*, inquit Caſſianus (b) *Acediæ impugnationem, non declinando fugiendàm, ſed reſiſtendo ſuperandam eſſe.*

(a) *Maffeius hiſtor. Indic. lib. 1.*

(b) *Lib. x. de Inſtit Mon cap. 25.*

MEMBRVM XVI.

COHORS PIETATIS

Contraria Cohorti Acediæ.

SVPERAT Acediæ Cohortem nullo penè negocio, *Cohors Peditum*, quam dirigit *Pietas*, ſeu *Deuotio*, aut, quæ ſub ſe illas continet, *Religio*, cultus diuini diligentiſſima Curatrix, Religioſi hominis, etiam in ſeculo degentis, pij, & officijs Deuotionis dediti eſt *Peditem* agere, cùm aliud neceſſitas non poſtulat. Pedes autem huius Cohortis ſunt alati. Mercurium, Diuorum, vt arcanæ & ſub fabularum inuolucro

ſucro latentis Sapientiæ gnari adſeruant, nuncium & interpretem vidiſtis haud dubiè pictum aliquando *Pedibus alatis*, qui celeritatem alitum denotant. Hæc figura eſt è ſymbolicis accepta hominis deuotioni ac pietati addicti. *Pedes* habet, id eſt, Affectus animi, ſed alatos: cùm non tàm ire videatur, quàm volare.

QVÆ-nam iſtæ ſunt alæ? Duplex Oratio, *Mentalis* & *Vocalis*. Eſt autē *Oratio* omnis religioſa; *eleuatio mentis in* DEVM. Eleuatio ſcilicet, tam formaliter, quàm cauſſaliter, vt in ſcholis loquimur) cauſſaliter autem eleuatio, eſt *Ala*, inſtrumentum eleuans: talis eſt Oratio, quia cauſſa eleuationis. Niſi alteram pedis *alam* dicere velis *Ieiunium*, de quo canit Eccleſia. *Mentem eleuat*. Aliâ conſideratione *Alas* duas Orationi appingit D. Bonauentura, (*a*) monens Religionis tyrones, vt in conſideratione miſeriæ ſuæ diſcant, quid neceſſe ſit petere; & in conſideratione Miſericordiæ DEI, quo deſiderio debeant poſtulare: tunc addit; *Iſtis duabus* Alis, *videlicet*, Miſeria hominis, & Miſericordia DEI Redemptoris, *Oratio ſubleuatur*.

(*a*) *Speculo ad Nouit. par. 1. cap. 12.*

MEMBRVM XVII.

PEDITATVS CHRISTIANI PEDES

Recti. Plantati. Vitulini. Loti.

HABENT nonnulla communia Chriſtianæ Militiæ Pedites. Et imprimis illa, quæ Ezechielis primo cap. dicuntur de myſticis Animalibus, quorum *Pedes* erant *recti*, & *Planta* pedis eorum, tanquam planta *Pedis vituli*. Haud abſurdè de quolibet *Pedite* in exercitu DEI pronuncies, quod *Pedes*, hoc eſt, Affectus illius ſint recti per Iuſtitiam, plantati per conſtantiam, vitulini per Moderationem & Prudentiam. Quilibet ex eis cantare poteſt, quod purpuratus Pſaltes (*a*) *Perfecit* pedes *meos, tanquam* Ceruorum, *& ſuper excelſa ſtatuens me*. Cuilibet ſunt *Pedes* loti compunctione & lacrymis. Quemadmodum *Pedes*, ita *Affectus* facilè ſordes cõtrahunt, & inquinantur ab auditis, viſis, tactis: idcircò pænitentiæ & lacrymarum imbre lauandi ſunt, vt dicat quilibet Militiæ Chriſtianæ Pedes, *Laui pedes meos quomodo inquinabo illos* (*b*)? Meminerit, ꝙ eſt Leuitici 1. non ſolum caput hoſtiæ & inteſtina, ſed *Pedes* quoque lauandos eſſe.

TANDEM de *Pedite* quolibet *Chriſtiano* dicere poſſis, quod de Dilecto ſuo Sponſa in Canticis (*c*) *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*. In Columnis marmoreis commendatur candor, ſoliditas, rectitudo. Myſticè autem Crura, vt obſeruat Theodoretus, Fortitudinem ſignificant & Perſeuerantiam. Sicut enim duæ tibiæ molem corporis, ita illæ virtutes fabricam Religionis, ſeu Pietatis ſuſtinent: Candidæ ſunt ob ſinceritatem ab omni alienam fuco & hypocriſi. Baſes, ſiue *Pedes*, ſunt ſapientia & Caritas, verè aurei. His graditur *Pedes Chriſtianus*, cuius fortitudo fundata eſt ſuper

(*a*) *Pſal. xvii. 30.*

(b) *Cant. 5. 3.* (c) *Cap. v.*

per Sapientiam, vt baſim, & pedem; ne ſe det in præceps: Perſeuerantia Caritate fulcitur, ne opprimatur, aut concidat. Itaque, ſi vobis eſt in optatis, inter *Pedites*, *Militem Chriſtianum* agere, non ſolùm fortiter, ſed conſtanter quoque Cohortibus Luciferi vos opponite, & poſt glorioſam victoriam, accipietis, quod omnibus precor,

REGNVM DEI.

NOTÆ.

§. I. PEDVM poſitio.] *Eſt hæc ciuilis & naturalis actus apud Iuriſperitos in accipienda poſſeſſione. Ita ſcribit Paulus l. C. L. 3. ff. de accipienda poſſeſſione.* Adipiſcimur, *inquit* poſſeſſionem corpore & animo. Sed non ita, vt qui fundum poſſidere velit, omnes glebas circumambulet; ſed ſufficit quamlibet partem eius *fundi introire. Addit*, Quod ſi ſcias ibi eſſe theſaurum, & velis etiam eius poſſeſſionem quærere, adquires terræ inambulatione. *Quod antiquiſſimum eſſe colligitur ex Cicerone, apud quem Celius lib. VI. Epiſt. famil 11. ſcribit*, Firmus & Lentulus, quaſi res eorum eſſet, vnà nobiſcum circuierunt.

Græcis, ἐμβατεύω, *vnde eadem poſſeſſionis nota ſumitur, idem eſt quod* pedem infero, pedem pono. *In Diuinis Litteris, Actuum XXV. 21. dicitur, Feſtus cùm veniſſet in Prouinciam, hoc eſt, cùm ingreſſus eſſet in Prouinciam:* cùm pedes poſuiſſet in Prouinciâ: *nempe, cùm rerum inibi potitus eſſet: cùm ſuſcepiſſet gubernationem* Prouinciæ: Prouerb. XXIII. 10. *Sapientiæ eſt monitum, vel mandatum.* In agrum pupillorum ne introeas: *id eſt, non vſurpes tibi ius: vide, ne per augendi res tuas cupiditatem, aliena auferas, & pupillis, quod ipſorum eſt, ſubtrahas.* Similis *eſt phraſis Ioann. I. 11.* In propria venit: *nam id* venire *eſt idem, quod* pedem ponere, *vt legitimum hæredem, & poſſeſſionem adire.*

§. II. Deſcenſus ex equo, *& pedibus iter conficere, modeſtiam denotat, & humilitatis eſt indicium.*] *Ad pompam & faſtum arrogantiæ indicem ſpectat, quod refert Briſſonius lib. de Regno Perſarum, eorum Regem nunquam procedere* pedi- tem *in publicum.*

LIBER

LIBER V.
MILITIA CHRISTIANA NAVALIS.

COMMENTATIO I.
MILITIÆ NAVALIS
Antiquitas. Vſus. Neceßitas.

MEMBRVM I.
MILITIA NAVALIS

Antiquis, & huius æui Principibus vſitata fuit ſemper, vt hoſtium terror, ita ciuium, & Regnorum tutela.

EST magni Regis hoſtes ſuos non tantùm terreſtribus copijs, verùm etiam maritimis, & numeroſa nauium Claſſe perſequi, debellare, Regnumque extendere ſuum, ac tueri. Ita *Xerxes*, (*a*) Darij & Cyri ex Atoſa filia nepos, qui centum ſeptuaginta hominum myriadibus, hoc eſt, decies ſepties centenis millibus, per quinquennium contractis, Græciæ bellum intulit, tantum habuit nauium apparatum, vt totum Helleſpontum operiret, atque Aſiam Europæ, ponte è nauibus facto, coniungeret. Idem Athon Macedoniæ montem dirupit aceto, veliſque peruium fecit, vt naualem expeditionem celerius promoueret. *Semiramidem* (*b*) Reginarum bellicoſiſſimã, quæ contra Indos duxit quingenta equitum millia, curruum millia centum; auctore Cteſia apud Diodorum, inducit Suidas (*c*) mandantem Dercetæo: Abi, adorna in tertium annum expeditionem, auſpicatus ab Helleſponto & Lybia, vſque ad Bactra, peditum myriadas CCC. equitum C. falcatorum curruum myriadas X. virorum è camelis pugnantium totidem: aliorum camelorum ad quoſuis vſus myriadas xx: coria boum cruda ad xxx. myriadas, naues longæ Bactris ædificentur ter mille, roſtris æneis, quæ impleantur viris è Syriâ, Phæniciâ, Cypro, Ciliciâ, & ora maritima vſque ad Helleſpontum.

ALEXANDER Magnus non prius ad Orbem

(a) *Iuſtin. lib. 2. Plin. lib. 4. cap. 10.* (b) *Diodor. lib. 2. cap. 2. & 5.* (c) *Suidas in Semiram.*

Orbem terrarum, ſub iugum mittendum, profectus eſt, quum claſſe inſtructâ, in quâ fuerunt centum ac ſexaginta triremes, plurimæque onerariæ, quibus militem impoſuit, per Helleſpontum in Aſiam traiecit. Nunquam Carthaginem æmulam deuiciſſent Romani, niſi nauali prælio æquè ac pedeſtri hoſtem fuiſſent aggreſſi. His quoque temporibus potentiſſimi Reges, Hiſpanus, Luſitanus, Gallus, Britannus, Danus, Suecus, Veneti etiam ac Hollandi, vt Aſiæ Tyrannum Turcam, Europæ terrorem ſileam, maritimis nauigationibus ac bellis ſua vel auxerunt, vel firmarunt.

MEMBRVM II.

CHRISTI MILITIA NAVALIS.

QVID autem hi omnes, quid omnium celeberrimus Xerxes, Rex Perſidis, ad Regem Regum, Vniuerſi Imperatorem, Orbis Monarcham, cæli terræque Dominum, maris ac fluminum domitorem CHRISTVM DEVM, Patris æterni Filium, qui non (a) Athon montem aceto, ſed ſolidiſſimum, quaſi ære fuſum cælum, vt eſt apud Iobum, Sanguine ſuo, aceto quouis Phario mordacique acriore diſcidit, ac CRVCIS longiſſimæ ponte, non Europam Aſiæ, ſed terras cælo, & ima ſummus coniunxit; neque vni alteriue millioni, ſed toti homi num generi viam aperuit, & peruium poſt ſe aditum reliquit; denique, per profundum non Helleſponti, ſed Mundi huius fretum vorticibus implicatiſſimum vela ra es que traiecit? Cùm itaque Regum potentiſſimus CHRISTVS omni genere pugnandi hoſtes ſuos debellare ſtatuiſſet, Claſſem quoque comparauit nauium numero copioſiſſimam. Illi autem Naucleros præfecit expertiſſimos, qui antea, quippe artis piſcatoriæ, in aquis verſari erant ſoliti, Apoſtolos. Quos cùm hactenus tanquam *Peditatus, Equitatuſque* Militiæ Chriſtanæ Ductores produxerimus, indignari meritò poſſent, ſi cælites terrenorum mouerentur affectibus, quod tanquam Nauarchos non celebrauerimus, cùm hoc magis ipſis, quàm aliud quodlibet in Militia munus conuenire videatur.

QVIA ergo, vt Euangelica habet Hiſtoria, CHRISTVS, velut Archithalaſſus, nauim Simonis, ceu prætoriam conſcendit, & ducere in altum iubet, ac Simonis Socios ad opus quemque ſuum ablegat, ceteraque exequitur, quæ ad ſupremi Nauarchi officium pertinent, eiā inſtituti noſtri memores, poſt explicatam Equeſtrem, & Pedeſtrem, de Militia CHRISTI Nauali, adſpirante Maris Domino, diſſerere incipiamus.

(a) *Iob.* 37. 18.

MEMBRVM II.
NAVES
Ad Claſſem conſtituendam neceſſaria.

AD Claſſem maritimam & militarem requiruntur multæ naues. Præcipuæ ſunt, *Prætoria*, quæ eſt Prætoris, ſiue Præfecti totius Claſſis, qui vulgo, à Gallis & Italis mutuato vocabulo, dicitur *Ammiraltus*, apud Græcos à Latinis quoque viſitato nomine Archithalaſſus. *Oneraria*, quæ etiam *Grauis* dicitur Cæſari, ac frequenter *Frumentaria*, qua annona vehitur; huic ſubſeruit *Scapha*: deinde *Triremis*, vulgo, *Galléra*: *Liburnica*, triremis formam præferens, ſed incredibilis celeritatis: huic ſimilis in agilitate, *Celox*, & *Dromas*: adhæc, *Præſidiaria*, *Roſtrata*, *Speculatoria*, ſeu *Exploratoria*, *Myoparo*, ſeu *Piratica*: denique, naues aliæ ſiue conſtratæ aut tectæ, quaſi cataphractæ, ſiue apertæ.

COMMENTATIO II.
PRIMA CLASSIS CHRISTI
Ex eccleſijs tanquam Nauibus parata.

MEMBRVM I.
ECCLESIA CATHOLICA
Nauis Prætoria.

EX cuius libet generis Nauibus conſtat *Claſſis Chriſtianæ* Militiæ. In quâ imprimis eſt *Prætoria*, nempe, *Eccleſia Chriſti Catholica*, *Orthodoxa*, *Pontificia*, *Romana*. Quam Nauis ſimilitudinem referre omnibus in cōfeſſo eſt. Vnde nobiliſſimum illius Symbolum eſt ARCA NOE, quæ fuit *Nauis*, quam centum annis fabricauit is Patriarcha, Architecto DEO, ex lignis leuigatis, ſeu dolatis, ac perpolitis, & incorruptibilibus, tum pini, tum cedri, tantæ capacitatis, vt Orbis vocari potuerit habitaculum: longam trecentis cubitis, latū quinquaginta, altam triginta; in qua fuit receptaculum mundis & immundis animalibus, vt Geneſis VI. narratur accuratè. Ab hac multa ad Eccleſiam transfert, illique accommodat, vt ſolet, ingenioſè S. Auguſtinus (a) & S. Gregorius (b): iſtud imprimis; quod munda & immunda animalia ſint iuſti & impij: in Eccleſiâ ſunt boni & mali. Hoc quoque, qui extra hanc Arcam eſt, perit certo certius regnante diluuio. Qui extra Eccleſiam Catholicam inuenitur, ſiue Gentilis & Idololatra, ſiue Turca, ſiue Saracenus, ſiue Arianus, ſiue Lutheranus, ſiue Caluiniſta, ſiue

(a) *lib. 15. de Ciuit. cap. 26.* (b) *lib. 16 in Exech.*

ſiue vt omnes à fide Catholica alienos complectamur, hæreticus, nullo diſcrimine, *Tros, Rutulúſ-ue fuat*, fluctibus dãnationis inuoluetur: nullum eſt remedium: iam iudicatus eſt. Quod eſt principium, quo nituntur Catholici, dum docẽt, cum hæreticis nõ eſſe ſocietatem ineundam, nihilque orthodoxæ fidei contrarium vel admittendum vel aduerſarijs concedendum: millies mortem potius oppetendam, quàm vel in vno articulo cum hæreticis conſentiendum. At oggãniũt, Vos Catholici, Pontificij, Papiſtæ, vultis, vt Caluiniſtæ, & Lutherani vos tolerẽt. Ergo vos illos viciſſim tolerate. Quod tibi vis fieri, alteri facias. Eſt magnum inter nos & ſectarios in hac re diſcrimen. Siquidem nos, neminem ſalutem æternam conſequi poſſe aſſerimus, qui vel minimum quid contra fidem vnam ſaluificam admittit. Illi, vel quemlibet, modò credat in Devm, & Christvm, aut vt ex ijs nonnulli palàm adfirmant, in Devm ſolummodò: ſeuerius, quemlibet, qui ſe Symbolo, prout ipſi intelligunt accommodet, ſaluari poſſe putant: illis adiaphora ſunt, quæ nobis fide credenda. Itaque non eſt ratio, vt excludant à ſuo conſortio in Eccleſiâ Militante, quos habebunt ſecum in Triumphante. Sed Catholicis certum eſt, nullum Caluiniſtam, nullum Lutheranum, nullum Picarditam, vniuerſalius, nullum hæreticum, quamuis ſit pater, vxor, frater, quamuis Princeps, Rex, Monarcha, cognatus, nepos, filius, ſe in cælo habituros contubernalem: omnes, omnes ſubmergentur in turbulento infelicitatis æternæ pelago.

Addit S. Hieronymus (a) alias analogias iſtius magnæ Nauis & Eccleſiæ. *Arca* à triginta cubitis incipiens vſque ad vnum cubitum paullatim decreſcens conſtruitur, ſimiliter Eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad extremum, Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis, vnoque Epiſcoporum Epiſcopo, ſummo interris Christi Vicario finitur. *Arca* periclitatur in diluuio. periclitatur Eccleſia in mundo. Octo hominum animæ in Arca ſeruatæ ſunt. Beatitudines quoque, quas Dominus Diſcipulis in monte pronuncians delineauit, octo ſunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerum adſumit. De *Arca* emittitur *Coruus*, animal ferale, & non redit: ex eadem volat *Columba*, volucris benè ominoſa, & pacem terræ nunciat: in Eccleſia per Baptiſmi laticem, alite teterrimo expulſo, pacem terræ noſtræ Spiritus Sancti *Columba* ſignificat. Ad hæc, *Coruus* ex Arca emiſſus nec reuerſus, denotat falſos Chriſtianos, qui foris influctuatione temporalium lætantur, nec redeunt ad mentis quietẽ: *Columba* reuerſa deſignat bonos Chriſtianos, qui ad opera caritatis emiſſi, mox ad mẽtis quietem redeunt, ſed cùm ramo oliuæ, quia peregerunt opera miſericordiæ. Egreſſus ex *Arca* Noë vineam plantauit, & bibens de eâ inebriatus eſt. Natus in carne Dei Filius, egreſſus è ſinu Patris ædificauit ſibi vineam dilectam, plantauitque vites, quarum caritate, tanquam vino amoris inebriatus, concidit in terrã, in qua nudus iacuit & paſſus eſt. Nudatum patrem ſuum irriſit maior filius: minor texit. Et Devm Crvcifixvm illuſerunt & ſubſannarunt Iudæi, honorarunt Gentiles. Quanta eſt ſimilitudo inter

(a) *Dial. contra Luciferia.*

ter *Eccleſiam* Chriſti & *Arcam* Noë Nauium nobiliſſimam?

SED, omiſſo Symbolo, intueamur rem ipſam. Quid eſt ECCLESIA CATHOLICA? pueris nobis hæc inſtillata eſt è Catechiſmo deſcriptio: *Eſt omnium Chriſti fidem, atque doctrinam profitentium Congregatio, quæ ſub vno & ſummo, poſt Chriſtum, Capite, & Paſtore in terris gubernatur.* Habet itaque rationem, vel Reipublicæ vel ciuitatis; vtroque modo optimè concipitur vt NAVIS. Certè, Rempublicam *Naui* eſſe perſimilem auctor eſt Plato, (*a*) Plutarchus, (*b*) Philo, (*c*) & ex Sacris auctoribus, D. Chryſoſtomus (*d*) ac Ioannes Damaſcenus. (*e*) Et ſanè, Ezechiel Propheta, Cap. XXVII. dum *Naues* Tyri, quæ Phæniciæ olim celeberrima

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni

deinde eiuſdem opes, merces, ſuperbiam, & quod hanc ſecum traxit excidium, quaſi naufragium deſcribit, tacitè Rempublicam, Ciuitatemque comparat *Naui*, Gubernatorem *Nauclero*, opes mercibus. Ciuitas muris vallisque, vt *Nauis*, tabulatis & tranſtris cingitur. Vtraque habet ſua domicilia, cellas, ſentinam, ſpeculam. Vtraque ſuum agnoſcit fabricatorem, Nauis naupegum, ciuitas Conditorem. Vtraque ſuum habet vulgus, plebem, vectores, ciues, Gubernatores: quod nomen vti & verbum *Guberno*, à naui ad Rempublicam & ciuitatem translatum eſt: *Gubernare* enim propriè ſignificat Nauim regere, & *Gubernator*, qui clauum tenens in puppi ſedet. Vnde & *Gubernaculum* clauus *Nauis* dicitur; nempe id, quo *Nauis* gubernatur ac regitur: quod *Temo* etiam à tenendo nominatur. Quo vtitur
etiam à tenendo nominatur. Quo vtitur
eleganter Iuuenalis, agens de Britannia, quæ, quia in mari, bellè vt *Nauis*, cùm ſit inſula, concipitur, cuius Sceptrum in manu Principis ſit *Temo*:

de Temone Britanno
Decidet Aruiragus. ——— ——— inquit ille, ſignificans Domitianum Britanniâ potiturum, deiecto à gubernatione Aruiraga, inſulæ Domino.

CVM Nero paucis ante mortem diebus per ſomnum vidiſſet ſibi Nauim regenti extortum gubernaculum & paullo poſt trahi ab Octauia in arctiſſimas tenebras; conſulti aruſpices reſponderunt, viſum portendere, cum adminiſtratione Imperij deijciendum, ac miſerrimè interiturum. auctor Suetonius in vita cap. XLVI. Meminerint Reges, Principes & Magiſtratus ſe eſſe in Republicâ, tanquã *Naucleros* in naui, & ſedere ad clauum, proindeque ea vigilantia opus eſſe ac ſolicitudine, qua qui in puppi ſedet nauim gubernat. Et quoniam de Tyro facta eſt mentio, iuuat meminiſſe, in Tyriorum numo veteri extare *Nauim* cuſam, An quod ſic vrbem ſuam & Rempublicam ſymbolicè exprimerent? An etiam, quod iactarent ſe primos nauigationis eſſe auctores, vt Pierius (*f*) memorat? Roma quoque gloriata eſt *Nauis* ſymbolo. Certè, in Iani priſcis numis ſpectatur *Nauis* cum gubernatore, & hac inſcriptione, ROMA. An quod ſic Vrbs æterna ſignificaretur? & huius Rectorem Ianum bifrontem, ac prouidum, tamque in anteriora

(a) *Lib. 2. de Legib.* (b) *in Politic* (c) *Philo de Princip.* (d) *homil. 6. ad popul.* (e) *hiſtor. de Barla. & Ioſaph.* (f) *Pieri. lib. XLV. hierogl. cap. 10.*

tiora, quàm in poſteriora oculos iacientem optarent? An etiam, quia indicabat Ianum (quem multi putant fuiſſe Noë) *Naui* appuliſſe in Italiam. (*a*) ITAQVE *Eccleſia Catholica*, tum quà Reſpublica, tum quà Ciuitas ſupra montē poſita, vt NAVIS rectè concipitur, & eſt Claſſis CHRISTI *Pratoria*, cuius *Nauarchus*, ſicut Claſſis totius Director eſt CHRISTVS ipſe cuius vices gerit Pontifex Romanus. Hanc autem *Pratoriam* cingunt, eamque ſequuntur minores aliæ *Naues*: nimirum, Eccleſiæ particulares: Antiochena, Conſtantinopolitana, Moguntina, Colonienſis, Treuirenſis; in quibus Naucleri ſunt, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi. His adiunguntur plurimæ *Triremes*: ſic concipio *Parochias*, ad quarum cuſtodiam directionemque ſedet, tanquam *Proreta* quilibet *Curio*. Nec deeſt ingens numerus phaſelorum, lemborum, orariorumque: ita nomino Religioſorum familias, quarum quælibet ſuum habet Nauclerum.

(a) *Ouid 1. Faſt.*

MEMBRVM II.

ECCLESIA CATHOLICA

Nauis Oneraria.

AT, vbinam eſt *Oneraria*, inquis, panem annonamque vehens? Prouerbiorum XXXI. celebratur Mulier quædam fortis: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* De ea autem ſubditur: *Facta eſt quaſi* NAVIS *Inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Per hanc *Mulierem fortem* deſignari Eccleſiam exiſtimant, S. Hieronymus, Beda, & Salonius, nec non S. Auguſtinus (*a*) fusè conuenientiam exponens. Præclarè Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum apud D. Chryſoſtomum: *Facta eſt tanquam* Nauis mercaturæ longinqua, *id eſt, Eccleſia, quæ nauigantibus Apoſtolis, gubernante Domino, flante Spiritu-Sancto prædicationis verbo vbique diſcurrit, portans ſecum magnum & ineſtimabile pretium, quo genus omne humanum, vel potius Mundum Chriſti Sanguine mercata eſt. De quo idem Salomon capite XXX. retulit dicens: veſtigium Nauis pelagi cantis* inueniri non poſſe, *oſtendens conuerſationem Eccleſiæ non terrenam eſſe, ſed cœleſtem, iuxta id, quod Apoſtolus ait: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt,* ad Philip. III. EADEM ergo *Eccleſia* eſt *Nauis Militaris* ac *Mercatoria*, quà inſtitor hoc eſt, negotiator ſedulus, qui nundinationi diligenter inſiſtit, frumentum, panem, ac commeatum omnem de longè ad Claſſem vehit. Non eſt ergo opus alia *Onerariâ* ad cibum omnis generis neceſſarium conuehendum: cùm in Eccleſia commeatus ſufficiens & abundans ſit repoſitus. Nimirum *Nauis* hæc eſt ad inſtar *Arcæ* à Noë fabricatæ, in cuius tertia contignatione, ſeu tabulato, erant diſtinctæ apothecæ, continentes, tum annonam animalium & hominum, nempe, fœnum, paleas, poma, frumentum, ſemina, legumina: tum dolia aquæ dulcis ad potandum. Siquidem in Eccleſiâ eſt *Frumentum electorum*, & *Vinum germinans virgines*, qui eſt *Commeatus* Chriſtianæ Militiæ. In Eccleſia eſt Panis Verbi DEI. In eadē eſt Aqua-uiua ſaliens in vitam æternam, quâ ſitis abundè ſedatur: quid amplius requiras?

(*a*) *Serm. 45. de diuerſis.*

MEMBRVM III.
NAVIS ONERARIA
B. MARIA V.

VERVM ſimilitudinem illam *Nauis Frumentariæ* Eccleſia ipſa refert ad DEIPARAM. Quam tradit etiam D. Bonauentura, (*a*) S. Bernardus, (*b*) alijque Patres dum Virginis encomia pertexunt. Vt dicatur Virgo Mater ſimilis Naui Onerariæ, frumenti, ac panis vim magnam, ad Claſſem Chriſtianam, quæ eſt Eccleſia Catholica portanti. Ipſa enim eſt, qua Panem è cælo deſcendentem, Chriſtum ſcilicet portans, in Bethlehem, quæ interpretatur Domus panis, inuecta eſt. Hinc illa Papæ Gregorij exclamatio: (*c*) *Bene in Bethlehem naſcitur, id eſt, in domo panis: ipſe enim eſt, qui ait: Ego ſum Panis, qui de cælo deſcendi.* (*d*) Commodè autem eadem ſententia refertur etiam ad Euchariſtiæ Panem viuificum, quem illa nobis ſuppeditat. Sed de hoc, & quæ ijs adnexa ſunt, tam copioſè actum à nobis eſt loco proprio in Symbolis Marianis, & Artifice Symbolico, vt quid adiungi poſſit non videam, nec repetenda eadem exiſtimem.

(a) *Ser. 1. de B. V.* (b) *Ser. in Salue Reg.* (c) *Hom. 8. in Euang.* (d) *Ioan. 6.*

MEMBRVM IV.
NAVIS PETRI.

HABEMVS in Militiâ Chriſtianâ Naualı inſtructiſſimam *Claſſem*, vt hactenus declarauimus. In ea *Nauis prætoria* eſt Petri, ex qua CHRISTVS concionatur ſecundum hiſtoriam Euangelicam, ac docet turbas. Hinc Pontifex Romanus, Petri ſucceſſor, ſupremi Archithalaſſi Vicarius perpetuus in annulo ſignatorio gerit *Nauim*, cum Piſcatore Petro, & in Bullis Pontificijs clauſula eſſe ſolet, *Sub Annulo Piſcatoris*, quo firmantur omnia in Curiâ Romanâ. Sum etiam memor, fuiſſe olim ad antiquam baſilicam S. Petri in Vaticano, antequam deijceretur pars anterior à Paulo V. ad nouam fabricam erigendam, picturam elegantem, in qua repræſentabatur Euangelij illius de Piſcatione. Petri ſchema, ad quam conuertebantur ingredientes propylæum, & impluuium templi. Videbatur imprimis CHRISTVS D. ſedens, tum Petrus operam dans piſcationi, & vt *Nauarchus*, qui etiam-num per ſucceſſores hanc CHRISTI *Nauem*, id eſt, Eccleſiam Catholicam viſibiliter gubernat. Vnde Eccleſia Catholica CHRISTI paſſim audit NAVIS PETRI.

IN hac *Naui* & omnibus ei adiunctis *Malus* eſt CRVX: *Velum* ſiue *Carbaſus* malo appenſa, CHRISTI corpus, inſtar lintei affixum. Optima eſt contemplatio, effingere Humanitatem Sacro-Sanctam CHRISTI, tanquam *Velum* ad *Crucis antennam* appenſum, & in altum eleuatum, per quod peritiſſimus Nauta CHRISTVS, per hujus Seculi mare magnum, vorticoſum,

ſum, & infidum, ideoque periculoſiſſimum ad cæleſtem Salutis portum viam ſe ſequentibus aperuit. De hoc *Crucis* myſterio, quod in nauigij forma deliteſcit diſputant egregiè contra Gentiles antiqui Eccleſiæ Doctores, SS. Iuſtinus, (*a*) Chryſoſtomus (*b*) Maximus Taurinenſis, (*c*) qui *Grande* ait *eſſe Sacramentum, quod cùm à nautis ſcinditur mare prius arbor erigitur, velum diſtenditur, vt* Cruce Domini *fa-cta, aquarum fluenta rumpantur. Figura Sacramenti quædam eſt velum ſuſpenſum in arbore, quaſi* Christvs *ſit exaltatus in Cruce.* Idem Auctor (*d*) haud ineptè nauigantis Vlyſſis fabulam nauigationi fidelium in Naui Petri, erecto in ea pro malo & carbaſo Christo Crvcifixo, huncin modum accommodat. *Omne genus hominum de mortis periculo* Crucis arbor *eripuit. Ex quo enim* Christvs *in Cruce religatus eſt, ex eo nos Mundi diſcrimina illecebroſa tranſimus, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis. Quod autem* Crux *ad patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat, dicens Latroni in Cruce poſito:* Hodie mecum eris in paradiſo, Lucæ xxiv. *Qui vtique diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quædam in naui eſt,* Crux *in Eccleſiâ. In hac ergo Naui quiſquis arbori* Crucis *ſe religauerit procellam luxuriæ non timebit. Ergo Dominus Chriſtus pependit in Cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret.*

Qvare Crvce gloriantur Chriſtiani, & in eâ extenſa Humanitate Chriſti, velut malo triumphali, quâ reddantur à naufragio ſecuri. Et, ſi *Naui* aliquando mare illis quamuis procelloſum ſit ſulcandum, *Malum*, velut *Crucem*, & *Velum*, tanquam pendulum Chriſti Corpus intueantur, vt animentur contra procelloſos pelagi furentis fluctus. Quo intuitu S. Paulinus Sapphico in reditum Nicetæ Epiſcopi ad ſuam Bacorum Eccleſiam ſuauiſſimè canit;

> *Et rate armata titulo ſalutis*
> *Victor antenna* Crucis *ibit vndis,*
> *Tutus & Auſtris.*

Idem nobis continget in qualibet huius vitæ, vt maris inquieti nauigatione ſi oculos mentis in Crvcifixvm frequenter conijciamus auxilium expectantes, & ad eius imitationem Carnem noſtram Antennæ Crucis ſuſpendamus, id eſt, Crucifigamus. Et ſanè, qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifigunt cum vitijs & concupiſcentijs, vt monet Apoſtolus, ad Galatas v.

(a) *Apolog.* 2. (b) *Orat. 2. quod Chriſtus* Devs. (c) *hom. 2. de Cruce apud S. Ambroſ. Ser. 50.* (d) *Homil. 1. de Cru apud S. Ambr. Serm. 55.*

Membrvm V.

NAVIS SYMBOLVM

Multa Chriſtianis bona portendit.

I. Bonvm omen ô Chriſtiani, quod Christvs Eccleſiæ ſuæ Symbolum voluerit eſſe *Nauem*. Navis in Sapientiæ altioris arcanis, ſignificat imprimis aduentum Soſpitatoris Dei. Ita Romanis perſuaſum, apud quos Nauigium

in

in æs ſignatum Iani, velut Seruatoris nauigationem in Italiam deſignabat. Inſpexiſſe ſe dicit Plinius(*a*) Numum in cuius altera parte Ianus geminus, alterâ roſtrum Nauis fuerit. Quod Ouidius ita euoluit:

At bona poſteritas Puppim ſignabat in ære
Hoſpitis aduentum teſtificata DEI.

Licet autem ſuſpicari, ſumptum id fuiſſe ex altiori diſciplinâ, quâ priſci Romani diuinitus admoniti eſſent, hoſpitem aduenturum poſt aliquot ſecula, qui verum DEI cultum allaturus eſſet. Hic non fuit Ianus fictum Numen, aut antiquiſſimus Italiæ Rex, qui multa commoda Italiæ intulit, ſed ſalutis humanæ Aſſertor CHRISTVS IESVS, qui ad Romanas vſque arces in Petri nauiculâ curſum ſuum direxit, ibique Petrum, & poſt illum, Romanum Pontificem Vicarium ſuum eſſe voluit. Ideoque,

II NAVIS apud Chriſtianos, Religionis Pietatisque ſucceſſum felicem indicat. Habet, inquit Hieroglyphicorum explanator ingenioſus, Chriſtiana Pietas feliciſſimi ſucceſſus ſui ſignum, *Nauem* cum Piſcatore Petro, tam in familiari ſummi Pontificis annulo, quàm in aureis Apoſtolici fiſci numis expreſſam, manifeſtiſſima eius, quæ ſubſequuta eſt felicitatis indicia tot annis præmonſtrata. Felicis ſucceſſus ſymbolum eſt *Nauis Petri.* Non dubitemus de optato exitu, ſi maneamus in *Naui* Petri, ſi pugnemus pro hac Naui: ipſa ſibi ſucceſſus melioris eſt ſignum.

III PVERI olim in aleæ ludo denarios *Naui* ſignatos in ſublime iactantes, clamabant, *Nauim*, quæ, ſi poſt caſum numi, firmatumque ſe in conſpectum dabat, Victoria erat penes eum, qui *Nauim* voce pretulerat. Luditur frequenter cum Cacodæmonum ſatellitio, ſed ludo ferali, & damnoſo: luditur, tanquam aleâ, pro bonis non fortunæ, ſed animæ: immò pro Anima ipſa, dum probi ad impietatem, Catholici ad hæreſim alliciuntur. At, qui verè ſunt probi ac Catholici, *Nauem* inclamant, & *Nauem* Petri reſpiciunt, quam certo certius conſequitur Victoria.

HVNC ego nuncium pijs ac Orthodoxis fero, verius quàm ſomnium de Naui ſolet auidè expectantibus; ſecundum (*b*) Artemidori interpretationem, qui in Onicriticâ ſeu diſciplinâ exponēdi ſomnia, docet, quotieſcumque quis vel *Nauem* vel *Ratem* imaginatus fuerit ſe videre per quietem, nuncium ex longinquo peregrè confeſtim aduenturum, qui noua adferat. Præterea, IV

NAVIS in veterum monumentis *Felicitatis* hieroglyphicum eſt. Vt in Imperatoris Hadriani numo, quæ remigio vecta pulcherrimeque elaborata viſitur cum inſcriptione FELICITATI AVG. Sub Naui autem S. C. III. P. P. In numo etiam Auguſti eſt cernere Nauim longam cum remigio, cuius eſt eadem inſcriptio FELICITATI AVG. (*c*) Nulla vnquam Nauis tam certam, tam inconcuſſam, tam perpetuam *Felicitatem* portendit, quàm Simonis Petri, quæ eſt Eccleſia, cui meritò inſcribas FELICITATI CHRISTI. Adhæc V

NAVIS apud Athenienſes cenſebatur eſſe *Salutis* prognoſticon. Ea in Theſei memoriam colebatur, ſingulisque annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura: ſuſcepto olim à Theſeo voto huiuſmodi; VI

(a) *Pier. Valerian. lib. 45. cap. 2.* (b) *Artemidor. lib. 2. cap. 7. Pier. C. 2.* (c) *Pieri cap. 3.*

modi; ſi ciuibus ſuis vna ſecum ſaluis reuerſus eſſet. Ceterùm, eo tempore interim, quo Sacerdos Apollinis *Nauis* illius puppim coronauerat, & Delon ea profecta eſſet, pelagoque remenſo in patriam rediiſſet, cautum erat Athenienſium lege, ne quemquam publicè interficerent. Quâ de cauſsâ, vt memorat Plato in Phædone, longum temporis interuallum fuit interpoſitum inter iudicium de Socrate habitum, & eius mortem, quod feralis ſententia lata eſſet, pridie, quam ſpectaculi auſpicium fieret. Nulla *Salus* eſt extra *Nauim Petri* coronatam ac triumphalem. In illa ſalutem conſequuntur, quotquot ſaluantur. Illa *Salutem* & *Salutis auctorem* aduexit. Salutis temporariæ index, æternæ apportatrix. O ſalutifera Nauis! His adde, quod

VII NAVIS veteribus Romanis *Soſpitatis* ſignificationem dederit. In Q. Naſidij nummo, vt obſeruatum Antiquarij, *Nauis* eſt cum velo, & ſtella in antenna: ab altero autem latere caput cum tridente, addita inſcriptione, NEPTVNI, ſubaudiendum, ope, vel auxilio ſeruatos. Hoc enim Stella ſignificat antennæ appoſita. Fictitium Numen maris eſt Neptunus. Verum maris DEVM agnouit in *Nauicula* ſuâ Petrus, cuius maieſtate exterritus, dicebat: *Exi a me Domine, quia homo peccator ſum.* Cui mare & venti obediunt. Cuius prudentiâ, tanquam Stellâ in Eccleſiæ antenna ſcintillante, inter medias errorum tenebras nauigamus ſecuri; &, è tot calamitatum fluctibus, qui exitium minantur emergentes, *Soſpitatem* in portum ſalutis inuecti eius ope nos conſequutos gloriabimur. Iam verò,

VIII NAVIS, ſecundum Ægyptiorum eruditionem, ad Lunam transfertur, quam vt ſcribit Plutarchus, nauigio vehi fingebant. Ideò Nauigium ipſum in Iſidis honorem conſecrabant. Diodorus verò fabricatam à Seſoſtri *Nauim* refert ex cedro octuaginta cubitorum longitudine, deauratam exterius, interius verò deargentatam, quâ dono obtulit Deæ, quæ Thebis ab Ægyptijs colebatur, nomine Iſis. Habet Chriſtianitas *Nauim*, exterius deauratam caritate, interius fide deargentatam, cuius anchora è ferro quod non flectitur, nec corrumpitur, Spes, quam Chriſtus cinxit supernè imputribili Religionis veræ cedro, in immenſam extenſam, quam DEO Patri dono obtulit, & Petro commiſit: in quâ Luna vehitur: *Luna* Humanitatis Chriſti deliquium paſſa: *Luna* myſtica DEI-PARA gratiæ ſplendore plena: *Luna* Sapientiæ illuminatrix corniculata, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Denique

NAVIS *Victoria naualis* eſt ſacrum ſignum. At, quæ *Nauis*? non quæ tridentali roſtro inſignis, non quæ Agrippæ nomen præfert, non quam roſtrata apud Poëtam VI. Æneid. corona cingit; ſed quæ CRVCIS malo viſenda, quæ CHRISTI titulis trophæiſque illuſtris; quam diuina coronat protectio, NAVIS PETRI: in cuius prora conſidere concipio Patrem, in puppi Filium, in malo Spiritum-Sanctum, DEVM Vnum & Trinum omnis fauſtæ nauigationis principium, & omnis æquè terminum. Hanc ſequuntur aliæ minoris formæ Naues, ex quibus conflatur Claſſis Militiæ Chriſtianæ. IX.

HÆC eſt illa CLASSIS inuicta, quæ nullo ventorum turbine deijci, nulla tempeſtate

pellate in Syrtes & ſcopulos allidi, nullo Claſſis oppoſitæ occurſu diſſipari, nullis bellici tormentis ictibus diffringi, nullis contis perforati, nulla grandinis plumbeæ, aut globi ferrei nube obrui, nullis aduerſariorum machinis mergi poterit.

Fluctuat, at nunquam mergitur illa Ratis.

Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam ; multo minus aliquot malè materiatæ rebellium naviculæ. Nihil contra hanc Claſſem à CHRISTO fabricatam potuit Nero, Domitianus, Traianus, Hadrianus, Antoninus, Aurelius, Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, Galienus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus, Iulianus; nihil Conſtantinus Copronymus, Leo Armenus, Entropius: nihil Hunni, wandali, Gothi: nihil Hæretici, Schiſmatici, Excommunicati: nihil cohortes omnes tartareæ, & nos metuamus aliquot frontis profligatæ ac cauteriatæ, ruptâ fide, omnibus boni nominis decoctis titulis piratas? Portæ inferi non præualebunt. Simus ſecuri.

NOTÆ.

§. I. NAVIS.] *Nauis eſt fabrica lignea, quæ ſuper aquas nare poteſt, & hominibus oneribuſque transferendis inſeruit.* Currum ventorum *Lucretius vocat:* Equum ligneum *Plautus. Deducitur à* no, *ſiue* nato: *quomodo Græcum* ναῦς, ἀπὸ νάω, *aut* νέω. *Legendus* Laurentius Beyerlinck, *in Theatro Ver.* Nauis, *qui curioſitatem explere poterit his titulis:* 1. *Fabrica Nauis.* 2. *Partes, eoq; ſpectantia.* 3. *Inſtrumenta.* 4. *Artis nauigandi inuentio in genere.* 5. *In Specie.* 6. *Nautarum genera, & differentiæ.* 7. *Inuentores.* 8. *Directores, Gubernatores, Nauicularij, Nauiculatores, Monitores, Remiges.* 9. *Naues magnificæ, Militares, Vaſtæ, molis maximæ.* 10. *Demerſæ, Accenſæ.* 11. *Ornatæ, Exculsæ.* 12. *Conſeruatæ, Cuſtoditæ.* 13. *Nauales ludi* 14. *Naualia certamina, Prælia.* 15. *Congreſſus, Certamen, Victoria.* 16. *Naufragium.* 17. *Naufragia varia.* 18. *Naufragorum ritus.* 19. *De Nauigantibus & Nautis apophthegmata.* 20. *Studium nauigationis.* 21. *Nautæ, Nauticæ artis periti, imperiti.* 22. *Naulum.* 23. *Nauticæ leges.* 24. *Nauigandi tempus.*

IDEM, *Verbo* Claſſis. 1. *Claſſes combuſtæ laceratæ.* 2. *Submerſæ à tempeſtate, vel fluctibus.* 3. *Claſſis, nauium, ſupplementorum cura.* 4. *Conſeruatio, Eductio, Defenſio, Occultatio.* 5. *Claſſem diſijcere, naues inutiles reddere.*

§. II. CLASSIS.] *eſt collecta nauium multitudo: Sumitur aliquando pro vnâ* ἀπὸ τῶν κάλων, *lignis vel fuſtibus. de qua copioſè Seruius ad* VI. *Æneidos*

Sic fatur lacrymans, claſſique immittit habenas.

meliùs à κάλος quod rudentem ſignificat, vel à *Calo, as,* conuoco.

§. III. CLASSIS CHRISTI.] *Hanc triplicem facimus.* VNA *ſit* Allegorica. II. Tropologica. III. Mixta. *Poſſunt etiam omnes dici* Allegoricæ, *vt* Iª *ſit ſecundum allegoriam Eccleſiarum cum nauibus,* IIª *ſecundum allegoriam, quæ eſt in partibus hominis cum nauibus,* IIIª *ſecundum allegoriam, quæ eſt in Virtutibus cum nauibus.* Prima *dici poteſt* Primaria, *ac* Principalis, *altera* Secundaria, *tertia* Subſidiaria.

NAVIS *Simonis Petri, ex qua Chriſtus concionatur, eſt* Prætoria *Claſſis primariæ, & deſignat Eccleſiam* Catholicam, *Romanam, Pontificiam,*

tiſiciam, vt conſenſu docent SS. Patres. In hac Claſſe, & per illam, eique adhærentes alias Naues debellandi ſunt Eccleſiæ animarumque noſtrarum hoſtes, vt & noſtra tueamur, & aduerſarios ab occupata maris alieni poſſeſſione depellamus. Claſſicula *reperitur apud* Cicer *lib.16. ad Atticum* Claſſicum bellum, *idem eſt quod nauale.* Claſſici, *qui in nauibus remis incumbunt.* Claſſiarij, *claſſis milites, qui in claſſe ſtipendia merent.* Claſſis procincta, *dicebatur olim exercitus inſtructus.* Claſſes clypeatæ, *olim, quod nunc exercitus.*

§. IV. XERXES.] *Decies centena millia armatorum hominum, ſeu, vt nunc vulgò loquimur, millionem militum traiecit in Græciam. De eo, præter Iuſtinum & Plinium, Lucanus lib. 2. cantans vias ſuper æquora, & per ruptum montem factas.*

Tales fama canit tumidum ſuper æquora Xerxem
Conſtruxiſſe vias, multum cum pontibus auſus
Europamque Aſiæ, Seſtonque admouit Abydo:
Inceſſitque fretum rapidi ſuper Helleſponti.
Non Eurum Zephyrumque timens, quibus vela ratesque
In medium deferret Athon, —— ——

Propert. lib. 2. Eleg. 1.

Xerxis & imperio bina coiſſe vada.

Oroſius lib. 2. cap. 9. ſcribit Xerxem habuiſſe etiam millia nauium onerariarum, roſtratarum 1201. & exercitum mille millium.

§. V. ONERARIA. Mulier fortis *Prouerbiorum* XXXI. *De hoc Symbolo legendus* Salazar, & Cornelius *in Prouer.* Ioannes Dauid *in Pancarpio Mariano* x. Sandæus *in Artifice Symbolico, Verb.* Nauta LVIII. *vbi deſcribitur, vt Nauicularius Inſtitor Spiritus Sanctus, vt Nauis* DEIPARA. *Et* LXII. *Nauclerus Chriſtus, Nauis Eccleſia.* LXIV. *Nauclerus, Princeps: Nauis, Reſpublica, qualis Eccleſia.* LVII. *Nauarchus, Chriſtus: Nauis, Eccleſia. Nauclerus, Epiſcopus.* Nauis, *Eccleſia,* XXXVII. *Nauta, Eccleſiæ Curatores.*

§. VI. MALVS CRVX] *Malus arbor nauis ſic dicta, quod inſtar mali ſit in ſummitate: vel quod quaſi cingatur quibuſdam malis, quorum volubilitate facilius ſinuantur vela. Nimirum in naui malos alij ſcandunt, alij vela erigunt & conuoluunt, alij per foros curſitant.*

Antenna *lignum eſt tranſuerſum in naui ad malum, cui velum alligatur, à circum tenendo dictum.*

Virg. 3. Æneid.

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

De Cruce *pro Malo in Naui, Eccleſia legendi,* Gretzerus *de Cruce,* Lipſius *lib. de Cruce,* Iacobus Pintus *de Chriſto Crucifixo lib. 3. tit. 46. loco 3.*

§. VII. CRVX NAVIS] *Singularis eſt iſta conceptio Auguſtini,* CRVCEM, *tanquam integram* Nauem *fingentis, in qua Iuſtus nauiget; vt hunc Mundum, velut validus turbulentum ventis mare, abſque naufragio tranſmittat.*

In Pſal. 13. Ad patriam quà ituri ſumus, per ipſum mare, ſed in Ligno. Noli timere periculum, *Lignum* te portat, quod continet ſeculum. Ergo attendite. Hoc mare magnum, & ſpacioſum; ibi *reptilia, quorum non eſt numerus, animalia puſilla & magna.* Noli timere, noli terreri; deſidera patriam, intellige peregrinationem. *Illic* Naues *commeabunt*: ecce in eo, quod terrebat commeabunt. *Naues* natant, & non merguntur.

Naues Eccleſias intelligimus, commeant inter tempeſtates, inter procellas tentationum, inter fluctus Sæculi, inter animalia puſilla & magna. Gubernator eſt Chriſtus in Ligno Crucis ſuæ. *Illic* Naues commeabunt. Non timeant *Naues*: non valdè attendant, vbi natent, ſed à quo gubernentur. *Illic* Naues commeabunt. Quem commeatum reperiunt triſtem,

qua illo Gubernatorem ſentiunt Chriſtum? Commeabunt ſecurè, commeabunt perſeueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.

Idem S. Auguſtinus *Sermone 2. de Verbis Apoſt. agens de homin. s per Mundum, velut per mare nauigantis calamitatib. s ac periculis, monet, vt ſi tutus eſſe velit, aſcendat nauiculam Chriſti, quæ* CRVX *eſt, in qua p. rtetur.* Quoniam, *inquit*, in tali itinere abundant fluctus & tempeſtates diuerſarum tentationum, in CRVCIFIXVM crede, vt fides tua Lignum poſſit aſcendere. (*quomodo? tanquã Nauem.*) Non mergeris, ſed Ligno (CRVCIS) portaberis. Sic ſic in huius ſeculi fluctibus nauigabat ille, qui dicebat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in* CRVCE *Domini noſtri* IESV CHRISTI.

§. VIII. MVLTITVDO nauium.] *Marcus Polus lib. 2. cap. 54. ſcribit ſe numerata vidiſſe quindecim nauigiorum millia in flumine Caramoram Orientalis Indiæ omniaque equis onuſta. Regemque habuiſſe equorum ducenta millia.* Lepidus *ſub Octauio Auguſto ex Africa duxit claſſem nauium mille, & triremium octoginta in Sextum Pompeium.* Gothi, *quando Illyricum & Epirum depopulati fuerant, duo nauium millia eduxerunt in Adriaticum, ſed demerſa fuit omnis illa claſſis virtute Romanâ. Ex Trebellio Pollione* Nauclerus *gener.* 10. *Anno* D. 276. S. *Antonin. tit.* 7. *cap.* 8. §. 12. Baſiliſci *claſſis, imperante Leone, ad mille centum nauium numerata eſt contra Genſericum.* Niceph. *lib.* 13. *cap* 27.

PLVRA *iſtiuſmodi de numeroſitate nauium & Claſſium habet* Maiolus *in Canicularibus tomo* 1. *Colloq.* 23. *Alia multa ſuppeditat* Laurentius Beyerlinck *in Theatro Vitæ, Ver.* Nauis. *vbi ſcribit hoc tempore, Batauos potentiſſimos eſſe nauibus, ſic vt facile* 40. *millia ex omni genere deducere poſſint in mare. Bellicas quoque apud eoſdem eſſe magno numero, ita, vt facilè octoginta, prout neceſſitas exegerit inſtruant. Quo fit, vt hoc tempore Oceano dominentur, & terrori ſint omnibus mare nauigantibus. Hactenus tamen, quantacumque fuerint conati Claſſem Regis Catholici, quæ annuatim ex Indijs aurum, argentum, merceſque pretioſas defert, nunquam aggredi, aut laceſſere auſos fuiſſe, impotentes reſiſtere, aut ſuſtinere robur tantarum nauium, claſſiſque vere regiæ.*

COMMENTATIO III.

SECVNDA CLASSIS CHRISTI

Ex Corpore humano, ac eius Membris; & Anima, eiuſque Potentijs, ceu Nauibus.

Facta eſt quaſi Nauis. *Prouer.* XXXI. 10.

MEMBRVM I.

CORPVS HVMANVM

Quomodo conſideretur, vt Nauis ſolitaria.

Quomodo, vt Claſſis integra ex Nauibus.

PRÆTER CHRISTI Claſſem, illam, cuius in proxima Commentatione deſcriptionem dedimus, quam Dominus ipſe curandam, tuendamque ſuſcepit,

pit, atque idcirco eſt extra ſubmerſionis diſcrimen: dat ſe in conſpectum quæ iam alia, quæ quotieſcumque hominem intueor, menti meæ occurrit, ac penè oculis iſtis corporeis. Eius autem nobis eſt commiſſa procuratio, quam niſi benè, ac ſecundum mandata Architalaſſi gubernemus, periculum eſt, ne in hoſtis poteſtatem veniat, ac ſubmergatur. Dico igitur, quemlibet è vobis *Claſſem* conſtituere militarem, ex pluribus conſtantem nauibus: nec eſſe tantùm (quamuis & hoc aſſeri poſſit diuerſa conſideratione) *Nauim* ſolitariam. Certè in Prouerbijs Salomonis, vbi Latini legunt: *Facta eſt quaſi Nauis inſtitoris*, vox originalis Hebraica vim habet pluralis numeri, vt verti poſſit: *Facta eſt quaſi Naues*; hoc eſt, *tanquam Claſſis integra*. Quod, qui DEIPARÆ accommodant, plures in illa *Naues* vt in Claſſe contemplantur. Quibus admodum fauet D. Iohannes Damaſcenus, qui hunc in modum de Virgine loquitur (a): *Hæc eſt, quæ gratia abyſſum inuenit, & duplicem Virginitatis* Nauem *incolumem ſeruauit: animámque non minus, quàm corpus, incolumem cuſtodiuit.* Acſi dicat, MARIA eſt, quæ per gratiæ ampliſſimum mare, aut abyſſum duas *Naues, Corpus* ſcilicet atque *Animam* ſuam ab omni culpæ, ac libidinis naufragio liberas perduxit ad portum felicitatis æternæ.

PRIMA ergò *Nauis* in hac claſſe eſt Corpus humanum, quod ſi vel externam conformationem figuramque aſpicias, *Nauis* ſpeciem gerit. Contemplare in eo Spinam dorſi, habes Carinam, quomodo vocatur trabs ima nauis, eiusque fabricæ fundamentum. Hinc & inde Coſtæ, ſunt velut ſtamina, aut vt loquitur Cæſar, ſtatumina: nempe, ligna illa arrectaria in aluo interiore, quæ latera Nauis ſuppingunt. Caput eſt velut prora: nauis pars anterior. Pedes tanquam puppis ſed diuaricata. Tabulata ſunt corporis partes maiores, ſupra ac infra pectus. Tranſtra humeri, ac latera. Remi brachia, in quorum extremitate ſunt manus, tanquam palmulæ, vel tonſæ, quomodo vocatur extrema & latior pars remi, à ſimilitudine palmæ humanæ ſic dictæ. Oculus huius Nauis, quo nomine ſignificatur locus, cui nauis nomē inſcribitur, eſt frons, in qua inſcripta eſt cuiuslibet appellatio ac titulus. Promptuarium eſt ſtomachus. Roſtra pars vultus, cuius extremitas eſt mentū. Sentina aluus. Corbis, ſeu Galea ſinciput. Arbor nauis, ſiue Malus Collum extenſum. Apluſtrum, ſeu ornamentum, quod ſummo mali imponitur, Coma. Cinctus, ſeu ſubligaculum, lumbi. Clauus, ſiue gubernaculum lingua. Antenna lignum tranſuerſum in malo, lingula in collo. Carcheſium ſuprema mali pars, ſiue foramen, per quod in ſummo mali funes traijciuntur, os. Columbaria, quomodo vocantur foramina in *Nauis* lateribus, per quæ remi promicāt, ſimilia latibulis nidisque columbarum, pori, per corpus ſparſi. Commiſſura Nauis huius magnæ ſunt coniuncturæ, ſiue vertebræ: quæ medulla, cartilagine, & glutine, velut muſci coma ferruminantur, aut quaſi ſtuppa infarciuntur. Fori, quomodo tabulata conſtrata in *Nauibus* nominantur, per quæ feruntur nautæ, caro, cute, velut corio inſtrata. Nautea, ſordes putidæ quæ in aluo, vt ſentina ſunt.

(a) *Orat. 2. de Dormit. B.V.*

ſunt. Velum carbaſum-ue, pulmo, qui non minus vento, quàm Nauis linteum inflatur.

OB tantam Corporis humani cum Naui ſimilitudinem, *Arca*, in quâ tempore diluuij nauigauit Noë, ſymbolum fuit noſtri Corporis, in quo ſpectantur, eædem quæ in Arca menſuræ. Siquidem Arcæ longitudo decupla erat ad eius altitudinem ac profunditatem. Talis enim eſt proportio ccc. ad xxx. nam decies xxx. ſunt ccc. Rurſum, longitudo Arcæ ſextupla erat, ad eius latitudinem. Talis namque eſt proportio ccc. ad Lta. quia ſexies Lta ſunt ccc. Eadem autem eſt proportio dimenſionum in corpore humano benè formato. Vt ſcilicet eius longitudo, quæ ſumitur à vertice vſque ad pedes ſit ſextupla ad eius latitudinem, quæ ſumitur à latere dextero in ſiniſtrũ, eundo per medium pectus. Rurſus, longitudo corporis humani decupla eſt ad eius porfunditatẽ, quæ ſumitur à pectore, & per pectus penetrando in dorſum, vt ingeniosè ac eleganter diſſerunt SS.ti Ambroſius (*a*) & Auguſtinus. (*b*)

EST ergo *Corpus* vna (*c*) *Nauis* ex maximis in hac Claſſe, cuius Nauclerus ac Gubernator eſt, Homo, cui imprimis curæ eſſe debet, vt *Nauem* hanc ſibi commiſſam non nimium oneret, quod ſcimus exitio fuiſſe *Nauibus* coniunctis & ſolitarijs: multitudo militum ad vnam ſe nauim recipientium, aut ſarcinarum pondus mergit nauim cum deprimit. Quo moneris, vt in victu ſit temperans. *Corpus*, velut *Nauis* aſſidua repletione degrauatum facilè à gula, immò, à morbis demergitur. At, qui temperatè viuet, qui nunquam ſe ingurgitat, qui nunquam medium neceſſitatis excedit, qui ſemper leui, tenuique vtitur alimoniâ, non modò malum quod à morbo imminente expectabatur, velut tempeſtatis aſſultum effugit, verùm etiam præſentem ægritudinem, veluti turbinem quendam exorientem, diſcutit, & hoſtis capitaliſſimi, per gulæ illecebras homini inſidiantis, manus euadit. Dices fortaſſe. Nauicularius facilius ſeruat *Nauem* ſarcinis onuſtam, quàm eam, quæ ad curſum expedita eſt, ac leuis. Erras. Siquidem oneris magnitudine grauatam quamuis exiguus fluctus demergit. At, quæ pauciores in ſe milites habet, aut modicis ſarcinis eſt temperata facilè ſuffert vndarum impetum, eo quod nulla illam res impediat, quo minus fluctum in altum ſurgentem ſuperet. Eadem facilius hoſtem inſequentem effugit, vel inuadentem repellit. Certè, nimium onus exitio eſt, vt monet S. Baſilius, homilia 1. de Ieiunio.

SI *Nauis* tibi commiſſa eſt *Corpus* tuum, crede gubernatoris nauarchi vſu & arte tibi opus eſſe, vt ſanitatis tempore, de aduerſa valetudine cogites; ſicut ille cùm eſt ſerenum, de tempeſtate, vt vel illam auertat, vel præueniat, vel in ea fortiter ſe gerat, & quomodo excipere eam poſſit, meditatur: ſic præſentibus corporis bonis, tanquam nunquam perituris non adquieſces. Contrà verò, in Corporis per morbos afflictatione, non nimium angaris, auræ mutationem conſiderans: poſt Aquilonem Zephyrus, poſt ventum tranquillitas, poſt imbres ſerenitas, poſt morbum ſanitas niſi extremus ſit, ſequitur: in extremo etiam ne deſperes,

(a) *lib. de Arca cap.* 6. (b) *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 26. (c) *Nauis moderatè oneranda.*

res, ne ſe mæſtitiâ nimium conſternatus ſubmergatis, aut feraris in præceps, ſed magno animo, quod animoſi eſt gubernatoris impetum quemcumque, qui eniti non poteſt, ſuſtineas. *Nauis* tibi eſt *Corpus*. Vt Naui per ſentinam ſordibus prægrauatæ onus eſt detrahendum, ita corpori eſculentis poculentiſque aggrauato ſubducendus eſt cibus ac potus; vt moralium Magiſter Plutarchus (a) ſuggerit. Eiuſdem eſt iſtud monitũ: Quemadmodum in tranquillitate, *Nauis* expedita redditur aduerſus imminentem tempeſtatem, ex Nauticæ diſciplinæ præceptionibus: ita tenui victu parcaque, vt Medici loquuntur, diætâ vtendum, vt ſi incidat opiparum conuiuium, poſſis enatare.

(a) *In Moralibus ſuis.*

Membrvm II.

ANIMA HOMINIS IVSTI

Quomodo conſideranda ſit, vt Nauis vna.
Quomodo, vt Claſſis integra.

IAM verò, præter *Corpus* in homine eſt *Anima*, quæ ſimiliter & *Claſſis* rationem habet, vt *Nauis* ſingularis, licèt à quot ſunt potentiæ, facultates, habitus, virtuteſque tot dici poſſunt eſſe armamenta. Sed præcipuè Anima Deo cara, iuſta, ſancta per *Nauim* Noë repræſentabatur. Illa enim per Cruces ac labores receſſis vitijs, dolata, quadrata, & ex omni parte libra ta eſt. Huius *Nauis* longitudo, eſt Fides; latitudo, Charitas; altitudo, Spes, oratio, contemplatio. In eâ Nauclerus eſt *Mens*: inundatio aquarum eſt impetus tentationum; *Portus*, in quem ſe ſubducit aliquando, & in quo quieſcit, ſicut Arca in montibus Armeniæ eſt *Quies myſtica* in contemplatione rerum diuinarum. Volucres in hac Arca ſunt cogitationes cæleſtes; animalia terreſtria ſunt opera, & curæ circa res terrenas, vt præclarè commentantur Origenes (a) & Hugo Victorinus. (b) Porrò, in Anima humana, quatenus Claſſem conſtituit, multæ ſunt veluti naues diuerſarum formarum. Imprimis cernitur *Quinqueremis* Senſus exterioris qui in Anima radicatur, cùm ſit potentia vitalis. Eius remi ſunt quinque, *Viſus, Auditus, Guſtus, Odoratus, Tactus*. Tum *Quadriremis*, Senſus interior, cuius remi quattuor, *Senſus* communis, *Phantaſia, Æſtimatiua, Memoratiua*. *Triremis*, tota Anima, in quâ gradus tres, tanquam remi conſiderantur, plantæ, animalis, hominis. *Biremis*, tum Appetitus, qui duplex, Senſitiuus & Rationalis, tum Intellectus, nempe, Agens & Patiens. *Vniremis*, Voluntas, quæ vnum ſolum ſpectat, nempe, Bonum. Huius Claſſis *Pratoria* eſt Ratio; *Frumentaria*, Memoria; *Exploratoria*, Iudicium.

Sed ne abſque fructu moralitatis euaneſcat iſtiuſmodi ſpeculatio, memineris, te A-

(a) *in cap. 6. Geneſ.* (b) *In Gen. cap. 18.*

te Animæ, tanquam *Nauis*, immò *Claſſis* gubernationem ſuſcepiſſe, ſed ſub Archithalaſſo CHRISTO, qui ſupremus eſt Gubernator, quem nunquam à *Naui* vlla excludas. *Væ Naui*, clamat B. Macarius (*a*) *Gubernatore carenti, quoniam à fluctibus, & tempeſtate maris agitata perit. Væ Animæ, cùm verum Gubernatorem* CHRISTVM *in ſe non habuerit, quoniam in acerbiſſimo mari tenebrarum verſatur, & ex procellis affectionum fluctuans, & à Spiritibus nequiſſimis, velut tempeſtate iactata, tandem conſequitur interitum.* NAVIS tibi eſt Anima, tu Nauclerus es, & ſecundarius Gubernator; optimè autem ille Naucleri munere fungitur, qui ita cõſtantiæ temone ratem regit, vt inter proſpera & aduerſa eundem curſum teneat, tanquam hoſtilem claſſem perrumpens. Quod facies, ſi neque in ſecundis nimium lætitiâ efferaris, neque aduerſis diffidens nimium deprimaris, & naufragium facias, ab aduerſaria claſſe ſuperatus. CLASSIS eſt Anima, in ea, Intellectus Mens, Voluntas, Appetitus ſunt velut ingentia nauigia, quæ ſæpius, niſi claſſis præfectus ſit vigilans, & diligentiſſimè attendat, amoris, odij, doloris, triſtitiæ, perturbatio numquæ aliarum vndis inſurgentibus quatiuntur non tantùm, verum etiam peſſum eunt. Caue igitur.

AVDI Baſilium optimum inſtructorem ſcribentem in Prouerbia cap. I. (*b*) Ars nauigandi, & gubernationis nauticæ prouidentia tibi vtilis eſt, & neceſſaria, qui Militiæ Chriſtianæ nomen dediſti. Nam alius fluctus quã maris illius, quod nauigant latrones & piratæ aliæ quoque tempeſtates timendæ ſunt animæ, illæ nimirum, quæ inſurgunt ex carnis affectibus. Siquidem iræ & timores, voluptates & dolores, vt quædam violenta procella in claſſem noſtram irruentes, ſæpe numero male curatam & nimis fatiſcentem Animam deprimunt. Oportet itaque te, tanquam Nauarchum, animi affectibus præſidentem, & intellectus, memoriæ, ac voluntatis nauigia regentem, cogitationesque & appetitus, veluti temonem peritè vertentem, fluctus noxios generosè conculcare. Prætereà, in ſublimi manentem, ac dominantem perturbationibus, nequaquam earum amaritudine, veluti marinis aquis compleri. Quod ſi per te non poſſis, auxilium Archithalaſſi aduoces, & continuò precetis: (*b*) *Libera me, Domine, ab ijs, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum.*

(a) *Homil. xxviii.* (b) *S. Baſil Prou. 1.* (c) *Pſ. Lxviii. 16.*

MEMBRVM III.

VITA HOMINIS

Veluti Nauis *conſideranda.*

AD *Claſſem allegoricam*, quæ conſtat ex *Corpore*, ac eius membris; & *Animâ*, ac eius potentijs, velut Nauibus, ſpectat *Nauis* quædam longa, alta, lata & profunda, quæ eſt *Vita* cuiusque. Vitam humanam rectè dici *Nauem* ſatis indicauit Sapiens cap. v. in pulcherrima illa comparatione, quam adſcribit impijs

poſt

poſt hanc vitam deplorantibus momentaneam felicitatem ſuam, & dicentibus: *Tranſierunt omnia, tanquam* Nauis, *quæ pertranſit fluctuantem aquam; cuius, cùm præterierit, nõ eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ eius in fluctibus*: nimirum, infimæ illius partis, quæ vndas immediatè tangit, non relictâ ſemita, vel viæ orbita aut veſtigio. Vbi planè deſcribit *Celocem*, nauigij genus, quod vno remorum ordine agebatur, ſic dictum quia celerrimè aquam peruolat. Hac *Naui*, dum naſcimur, deſcendimus, vt faciamus operationem in aquis multis, phraſi Dauidica (*a*) Eadẽ fluctuamus in periculis huius mundi, ita vt aſcendamus nunc vſque ad cælos, nũc deſcendamus vſque ad abyſſos, & in malis frequenter tabeſcamus.

Tollimur in cælum nunc imas redimus vndas.

Hac ſimilitudine inſinuatur continuus, & nunquam interruptus, ac ſine defatigatione Vitæ mortalis curſus. Nam qui in terrâ iter facit, & currit, ſiue pedes, ſiue eques, fatigari ſolet, ac indies laſſari, atque idcirco ſæpe quiete iter ſuum interpolare cogitur. Non ita contingit in *Naui*, in quâ qui vehuntur, præterquam quod celerius viam peragant, etiam ſine laſſitudine iter conficiunt, nec opus eſt vllâ interpoſitione quietis. Siquidem aliud quidlibet agendo, aut à quolibet opere ceſſando, nauigamus: Legentes, fabulantes, ſcribẽtes nauigamus: comedentes, quieſcentes, dormientes nauigamus. Hinc *nauicular*, idem eſt, quod ocioſus nauicula vehor.

Piger Lucrino nauiculatur in ſtagno

Canit de quodam Martialis (*b*) ſed pluribus id conuenit ad ſtagna habitantibus. Accommodatè ad mores & futurorum memoriam S. Gregorius: (*c*) *Vita noſtra nauiganti ſimilis eſt. Is qui nauigat, ſiue ſtat, ſiue iacet, vadit tamen, quia impulſu* Nauis *ducitur. Ita & nos ſumus, qui ſiue vigilantes, ſiue dormientes: ſiue tacentes, ſiue loquentes per momenta temporum ad finem quotidiè ducimur.* Et Agapitus Diaconus in Expoſitione capitulorum monitoriorum, vbi ſic ſcribit: NAVIS *per mare commeantis tranſitum imitatur præſentis vitæ conditio. Quæ ſanè nos Nautas fallens ſuos, incunctanti raptos curſu, tandem ad ſuum cuiuſque exitum perducit.* Denique Seneca: (*d*) *Quemadmodum nauigantibus terra vrbeſque recedunt; ſic rapidiſſimi temporis curſu, primùm pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, demum ſenectutem.*

APVD Iobum elegans eſt comparatio Vitæ humanæ cum *Nauibus* poma portãtibus: *Pertranſierunt quaſi* Naues *poma portantes*, dicitur cap. IX. Non eſt facile diuinatione aſſequi, quæ nam eâ circumſcriptione *Naues* deſignentur, ob vocis originalis diuerſam ſignificationem. Siquidẽ Hebraicè Naues illæ apud Iobum exprimuntur per voculam (*e*) *Ebeh*, quod rapidiſſimi fluminis in Arabiâ nomen eſſe adſerit Rab. Salomon, Pagninus, Clarius, alijque non pauci. Eſt ergo *Vita* tua, vt *Nauis* in fluuio illo, qui ſecum ſua rapacitate cymbam, licet vltrò currentem, impetu incredibili rapit. Nonnulli vocem illam deriuant à radice (*f*) *Abah*, quod nobis eſt velle, aut concupiſcere, & vertunt, *Naues voluntatis*, aut voluntariæ, hoc eſt, vltrò, ſponte, voluntariè currentes, ac quaſi peruolitantes. Vel Nautarum, qui maximè ſunt voluntarij, quod celerrimam nauigationem deſiderent; ſiue vt merces ſuas tempeſtiuè in portum inuehant:

Hh ſiue

(a) *Pſal. VI.* (b) *lib. 3.* (c) *Lib. VI. Epiſt. 26.* (d) *Epiſtola CIX.* (e) (אבה) (f) (אבת)

vt diſtractis mercibus, tempeſtiuè ſoluant è portu & redeant ad propria. Iſtiuſmodi ſanè *Naues*, pro illorum voluntate mouentur velociſſimè. Symmachus vertit: quaſi, *Naues feſtinantes*, ſeu, celeres, citæ, præcipites, volucres.

Vox eadem Hebræa deriuari poteſt à radice, (*a*) *Aiab*, id eſt, inimicari: nimirum, inimicitias, aut piraticam exercere, vt intelligantur *Naues prædatoriæ*, ſeu piraticæ. Hæ autem ſunt velociſſimæ: nempe, ad prædam faciendam accommodatæ, nullo onere degrauatæ, ad curſum, immò penè volatum expeditiſſimæ. Talis eſt vita tua, quæ ocyſſimè, & inopinatò præteruolat. D. Hieronymus & Thargum ducunt illud vocabulum ab (*b*) *Abab*, quod Hebræis eſt *creſcere*, & *fructificare*: idcirco vertunt, *Naues fructuum*, vel *poma portantes*. Sunt etenim iſtæ velociſſimæ, tum ob mercium leuitatem, tum propter periculum putreſcendi, ſi diuturnior ſit nauigatio. Iſtiuſmodi *Nauis* eſt Vita humana.

HINC intelligi poteſt, cur in Mauſoleis Heroum *Naues*, aut armamenta aliquando ſculpta fuerint. Libro 1 Machabæorum ſic ſcribitur cap. 13. *Ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retrò & ante: & ſtatuit ſeptem pyramidas, vnam contra vnam, patri & matri, & quattuor fratribus. Et his circumpoſuit columnas magnas; & ſuper Columnas arma ad memoriam æternam: & iuxta arma Naues ſculptas; quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Simili ferè modo depingit hanc molem Ioſephus Hiſtoricus, lib. XIII. cap. 9. Verùm, cur Simon ſumptuoſiſſimo parentum tumulo *Naues* inſculpi curarit, cum Diuinus Codex non prodat, ſuſpicari licet, quemadmodum arma ſiue ſpolia ad æternitatem memoriæ columnis impoſuit, vt edita bello facinora poſteris teſtarentur, ita *Naues* incidi voluiſſe, vt maritimarum vrbium ac gentiũ, quas prælijs fuderant pater ac fratres, eſſent monumentum ſymbolicum. Sunt tamen præclari Sacrarum litterarum Interpretes, qui exiſtimant id factum, vt ſignificaretur, Principes illos gentis Iudaicæ, fuiſſe veluti *Naues*, & ipſorum vitam, tum *Naui*, tum *Salo* perſimilem, vtrumque enim quadrat: viuentes autem ac pro populo præliantes varijs fortunæ caſibus quaſi tempeſtatibus fuiſſe conflictatos, donec ad Mortem velut ad Portum ſepulcrumque, vt naufragorum domicilium perueniſſent.

QVÆ ſententia multa continet mortalibus frequenter perpendenda: illud imprimis: Vitam cuiuſque Naui perbellè ſignificari, quod hactenus probatũ. Tum iſtud, *Seculum* in quo agitur, velut in pelago, non pauciores, quàm mare motus habere, nec in eo minus quàm in pelago tempeſtates quotidianas eſſe metuendas. Denique, Mortem tanquam Portum, concipi poſſe ac debere. A qua imagine conſolationem petebat pro ſuo Polybio, Seneca Philiſophus in fraterna morte mæſto ac deiecto. (*c*) *Si velis, inquit, credere, altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt.* (*d*) *In hoc profundum, inquietumque proiecti mare alternis æſtibus reciprocum, & modo alleuans nos ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deprimens, aſſiduoque iactans, nunquam ſtabili conſiſtimus loco: pendemus & fluctuamus, & alter in alterum illiditur: & aliquan-*

(a) *Naues prædatoriæ, piraticæ* (אִיָּב) (b) *Naues fructuum.* (c) *Vita humana ſupplicium.*
(d) *Sen. Conſolat. ad Polyb.*

quando naufragium facimus: ſemper timemus. In hoc procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus PORTVS, *niſi* MORTIS *eſt. Neque itaque inuideris fratri tuo. quieſcit. tandem liber: tandem tutus: tandem æternus eſt.*

Breuius Cicero: (*a*) *Paratum nobis* Refugium & Portum, Mortem *putemus. quò, vtinam! velis paſſis prouehi liceat: ſin reflantibus ventis reijciemur, tamen eodem paullò tardius referamur neceſſe eſt.* Suauiſſimè alter Seneca, ſed Poëta. (*b*)

Heu quàm dulce malum mortalibus additum
Vitæ durus amor, cùm pateat malis
Effugium, & miſeros libera Mors vocet,
PORTVS *æterna placidus quiete.*

Hoc ſibi perſuadet qui, vt Plutarchus quendam inducit, (*c*) *loquitur more eius, qui ſe rudente à tempeſtate tuetur:* O MORS, Pæan, Medicus *accedas* PORTVS *enim procul dubio vnicus es per terrarum orbem.* Eſt autem *Mors Portus* non ſolùm in quem inuehimur, verum etiam ex quo ad Æternitatis mare immenſum egredimur. Cauendum igitur, ne, quod turpiſſimum eſt, in *Portu* impingamus. Quod magno cum d[e]decore fit à nautis, ſi prius, quàm *Portu* exierint, *Nauem* illidant. Tu attende, ne *Nauim* tuam in hoc *Portu* mergas.

(a) 1. *Tuſcul.* (b) *Agamen. Actu 3.* (c) *Plutar. Conſolat. ad Apoll.* (d) *Plutar. Conſol. ad Apollon.*

NOTÆ.

§. I. NAVIS & Corporis partes.] *De partibus* Nauis *ſingillatim agit Adrianus Iunius in* Nomenclatore *cap. 57 nominatiſſimæ ſunt,* Prora, *quæ eſt pars anterior; &* Puppis, *quæ poſterior, vel vltima.*

Dic latus eſſe ratem, ventrem dic eſſe carinam.

Carina propriè ſignificat imam trabem nauis, eiusque fabricæ fundamentum; per ſynecdochen totam nauem.

§. II. ARCÆ dimenſiones.] *Arcæ longitudo fuit decupla ad altitudinem, ſextupla ad latitudinem. Eadem eſt proportio dimenſionum in corpore humano. Legendus* Goropius Becanus *lib. de Arca, &* Ioan. Bapt. Vilalpandus *de Templo Salomonis.*

§. III. HOMO Nauis, & in eo Corpus ac Anima.] *Legendus* Sandæus *in Artifice Symbolico, ſeu Euāgelico. Titulo,* Nauigator, Nauta, Nauclerus, Nauicularius, Naupegus.

§. IV. VITA Humana Nauis.] *Vidiſtiſne aliquando naues plenis velis vndas ſulcantes? dum ita liquidum hoc aquæ elementum perambulant, relinquunt poſt ſe ſemitam aut veſtigium quoddam itineris ſui, ſed momentaneum ac breuiſſimo durans tempore; paullò poſt enim aquæ coëunt, nec vllum amplius nauis retinent veſtigium. Sic homines potentiá, diuitijs honoribus conſpicui, vt* Naues *amplæ omnibus ſuis armamentis inſtructæ æquora huius vitæ mortalis tranſeunt. & poſt deceſſum aliquod poſt ſe relinquunt veſtigium, aliquantulum enim ipſorum apud mortales viget memoria, ſed poſt paullulum ea euaneſcit, ac in fumum abit, nec maior eorum viget recordatio, quàm ſi nunquam vixiſſent in terra. Quod multo verius eſt in minoribus nauigijs, in ſcaphis, & in cymbis, nempe, tenuioris conditionis hominibus, qui vix mortui abeunt in obliuionem.* Ga-

 briel

briel Inchino *lib. Italico de Nouiſſimis, Tit. de Morte. Legend.* Sandæus, *Opuſculo de Symbolis vitæ humanæ, Littera N. Symbolo LXVII. VITA NAVIS.*

In Naui, *laborantes, quieſcentes, & quocumque ſitu tempus fallentes pergimus.* Lactantius *lib. 6. Inſtit. diuinar.* Siue vigilantes, ſiue dormientes, ſiue iacentes, ſiue ambulantes, ſiue volentes, ſiue nolentes per momenta temporum quotidie ad finem ducimur.

§. IV. NAVES poma portantes.] *Dicit Iob. Ocyſſimè abierunt dies mei, vt aſſolent naues, quæ poma, fructus, ciboſque vehunt corruptioni ac putredini obnoxios: hæc enim velociſſimè deferri ſolent, ne nauigationis diuturnitate merces vitium contrahant, & nauta iacturam faciat.* Salazar *Prou. XXXI. 14.* Naues poma ferētes, *maximè citria, cydonia, Punica, Armeniaca, & eius generis alia odorata, poſt ſe relinquunt, quocumque properant, gratū odorem, ſed qui exiguo durat tempore. Haud ſecus, homines, magnæ præſertim dignitatis, nominis, opulentiæ, licet in tranſitu per hanc vitam odorē poſt ſe relinquant aliquem, hic tamen illicò euaneſcit, & memoria illorum funditus perit.* Gabriel Inchinus *lib. de Nouiſſ.*

§. V. NAVES in Manſaleis.] *Vſitatum fuit apud multas gentes,* Nauium *ſpolia, ac partes, nec non armamenta in columnis, tropheis, aut templis ad æternitatem memoriæ collocare, & maximè apud Romanos.* Virgilius *lib. 3. Georgicon de Tropheo Auguſti*

Atque hic vndantem bello, magnumque fluentē
Nilum, ac nauali ſurgentes ære Columnas.

Vbi *Seruius* ſcribit, Auguſtum totius Ægypti victorem ſuſtuliſſe de nauali roſtra ærea, quibus conflatis, quattuor confecit columnas, quæ poſtea à Domitiano in Capitolio ſūt locatæ Iuuenalis Satyra x.

Bellorum exuuiæ truncis affixa tropheis
Lorica, & fracta de caſſide bucula pendens:
Et curtum temone iugum, victaque triremis
Apluſtra, & ſummo triſtis captiuus in arcu.

Hinc celeberrima apud Romanos Roſtra: *de quibus* Liuius *ab Vrbe condita lib. VIII.* Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtrisque earum ſuggeſtum in foro exſtructum exornari placuit, *Roſtraque* id templum appellatum. *Obſeruat etiam* Goropius *libro. 3. Originum, fragmenta* Nauiū *à Cyrenæis in Hammonis templo dicata. Id verò ipſe ad noſtrum morem refert, qui* Nauium *ſpolia, quibus naufragium euaſimus in templis ſuſpendere ſolemus.*

Quod ad Sepulchrum ſpectat, leges apud Virgil.

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaque arma viro, remumque tubamq́.

Hoc autem ideò factum, quia in ſepulchris eas res incidi moris fuit, quibus ille inſignis eſt habitus, qui inibi ſitus. Itaque Naues *etiam inſculptas ſcribit* Philoſtratus *in hiſtoria Apollonij Tyanæi. Legendus* Martinus de Roa *lib. 4. Singul. cap. 13.*

§. VI. MORS Portus. *Sepulchrum in eo Refugium, Effugium, Quies.*] *Scitè Andromacha apud Senecam in Troade,*

——— Fata ſi miſeros iuuant,
Habes ſalutem. Fata ſi vitam negant,
Habes Sepulchrum. ———

Perinde, ac ſi dicat: Si vita naufragium feceris, non eſt, cur animo ſuccumbas, cùm Mortis & Sepulchri habeas Portum, *quem inueharis, periculorum omnium ac tempeſtatum expertem. Neſcio an id reſpexerit S. Hieronymus ſcribens in vita Malchi:* Si iuuat miſeros Dominus, habemus ſalutē, ſi deſpicit peccatores, habemus Sepulchrum. S. Gregorius *lib. 6. in Iob. cap. 18.* Poteſt

per

per *Sepulchrum* non ſolùm in hac vita noſtra Contemplatio, ſed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi, in qua tanto verius quieſcitur, quanto in nobis corruptionis vita perfectius necatur. *Quod* Mors *ſit* Portus *per multiplicem analogiam oſtendit* Sandæus *in Volumine de Symbolis Mortis. lib. 2. Symbolo xlIII.*

§. VII. SIMONIS Machabæi Mauſolæum.] *Myſticè Sepulchralia iſta omnia exponit pius & doctus auctor Galfridus, qui ita philoſophatur, lib. allegor. & tropol. Teſtam. Pyramides* VII. *ſunt dona* VII. *Spiritus S. Columnæ Apoſtoli ac Doctores. Arma de quibus Apoſtolus.* Arma militiæ noſtræ non carnalia, 2. *Corin.* 10. 4. Alij per Spiritum datur Sermo Sapientiæ ---- *Iis quaſi* Nauibus, *vitæ huius procelloſum pelagus tranſmeatur, & vnus terra portus omnibus aperitur. Hæ ſunt* Naues, *quæ iuxta Columnas poſita à Simone referuntur: ſculpta tamen memorantur: & petrinæ fuiſſe creduntur, eos deſignantes, quibus Viuere Chriſtus & mori lucrum: Petra enim Chriſtus. Non tanguntur fluctibus alto: non ſunt etiam remota: nec ventorum turbine concutiuntur. Immaculatos ſe cuſtodiunt ab hoc ſeculo Sancti, nec ad eos ſpumea iniqui æquoris amaritudo pertingit. Inſultus Spirituum nequam, quaſi circumſtrepentium flabra ventorum conſtanter frangunt, & prudenter elidunt. O quot credentium millia, quot cateruas animarum ſanctarum* Naues *iſtæ portauerunt ad Portum ſalutis æternæ. Sunt autem iuxta Columnas, à quibus nimirum accipiunt tutamen ſpei, robur fiduciæ, fidei munimentum. Videntur ab hominibus nauigantibus, mare, quæ in mari non ſunt. Et alijs quidem ſunt odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Similia habet, & penè eadem* Philippus Greueus *Serm.* 120. *in Pſal.* CXIII. *Lactantius lib.* VI. *Inſtit. diuin. Siue iacentes, ſiue ambulantes, ſiue volentes, ſiue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem ducimur*

HVC *ſpectant multa de* Nauium *diuerſarum materia, quæ vel vitæ humanæ fragilitatem, vel corporis humani, vel animæ alias qualitates adumbrant.* Naues *ex ſcirpo, & papyro. ex arundinibus: & arundinum ſciſſis modijs: ex vtribus, & corio: ex vitro. De quibus & ſimilibus multa curioſa habet* Simon Maiolus *in Canicularibus tomo* 1. *colloq.* 23. & Laurentius Beyerlinck *in Theatro. Ver.* Nauis.

COMMENTATIO IV.

TERTIA CLASSIS CHRISTI

Ex Virtutibus: Donis cæleſtibus: & Sacramentis, tanquam Nauibus

MEMBRVM I.

VIRTVTVM ET DONORVM

Vt Nauium ad Claſſem integram deſignatio.

CLASSIBVS hactenus deſcriptis adiungitur quædam alia, quæ dici poteſt *Subſidiaria*, qua vtraque commemorata cingitur, & in omnes partes excubat,

Ea conſtat Virtutibus, Donis Diuini Spiritus, cæleſtibuſque alijs chariſmatibus, vt totidem Nauibus. In eâ *Prætoria* eſt *Fides*, cuius collateraIes ſunt duæ magnæ, *Spes*, & *Caritas*, *Speculatoria*, Oratio: *Oneraria*, Ieiunium: *Actuaria*, Eleemoſyna. *Quadriremis*, Virtus Cardinalis, cuius remi, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. *Triremis*, Status Religioſus, ſeu Conſilium Euangelicum, cuius remi, Paupertas voluntaria, Caſtitas perpetua, Obedientia integra. *Septiremis*, quali Pyrrhum Regem vſum ſcribit Polybius, lib. 1. Virtus capitalis, cuius remi, Humilitas, Largitas, Caſtitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Deuotio. Altera *Septiremis* eſt Donum Sancti-Spiritus, cuius remi, Dona, Sapientiæ, Intellectus, Conſilij, Scientiæ, Fortitudinis, Pietatis, Timoris Domini. Tertia *Septiremis*, Miſericordia corporalis; cuius remi, Paſcere eſurientes, Dare potum ſitientibus, Operire nudos, Redimere captiuos, Inuiſere ægrotos, ſuſcipere hoſpitio peregrinos, ſepelire mortuos. *Quarta* eſt Miſericordia Spiritualis, cuius remi, corrigere peccatores, docere ignorantes, conſulere rectè dubitantibus, Orare DEVM pro ſalute proximi, conſolari mæſtos, ferre patienter iniurias, remittere offenſam. Iſtis ſeptem operibus, tanquam inſtrumentis idoneis feliciter remigatur. *Octiremis* in hac eadem claſſe eſt Beatitudo Euangelica, cuius remi, Paupertas ſpiritus, Mititas, Luctus, Eſuries, Sitiſque iuſtitiæ, Miſericordia, Mundities cordis, Amor pacis, Tolerantia perſequutionum propter iuſtitiam.

MEMBRVM II.

SACRAMENTA ECCLESIÆ

Naues Onerariæ Claſſis Chriſti.

VT autem nunquam laboretur penuria commeatus, ſunt ſeptem omninò Onerariæ, frumento electorum, omnique alia alimonia pleniſſimæ, ex quibus nunquam tantum deſumitur, vt non ſemper plus ſuperſit. Dicuntur SACRAMENTA, quæ Gratiam DEI veluti eſcam nobis perquam neceſſariam, eamque vberrimam non modò ſignificant, verum etiam, ceu *Naues* capaciſſimæ continent, & de longè, ipſis videlicet cælorum adytis aduehunt, ac ritè petentibus, ſuſcipientibuſque conferunt. Vocantur, vt ſcitis, *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pænitentia*, *Extrema vnctio*, *Ordo*, *Matrimonium*.

COM-

COMMENTATIO V.

CLASSES CACODÆMONIS

MEMBRVM I.

Prima CLASSIS Luciferi.

SYNAGOGA SATANÆ

Ex Speciebus Infidelitatis, vt Nauibus.

QVANTVS ſit apparatus naualis in Militia Chriſtiana Supremi Imperatoris, & quàm ſit ad omnem expeditionẽ maritimam abundans, ex claſſibus hactenus enumeratis ſatis ſuperque eſt declaratum. His autem ſuas opponit malorum Princeps Cacodæmon. Qui primæ illi, cui nomen *Eccleſia fidelium* obijcit quandam ſuam, quæ vocatur *Synagoga Satanæ*, & eſt infidelium. In hac vicariam Satanæ, tanquam Archithalaſſo operam nauat Furia quædam nominata *Infidelitas*, quæ multas regit *Naues*, multos ſub ſe habet nautas, claſſiarios, epibatas. Ingentem nauium numerũ adducit *Paganiſmus*; quas omnes gubernat *Idololatria*. Quæ quàm eſt varia, tam diuerſas habet nauium ſpecies; quibus multiplicia ſunt vexilla, Idolis diſtincta.

MAXIMAM quoque *Nauim* habet *Iudaiſmus*, & ſcaphas innumeras, proprijs ſalſitatis & ſuperſtitionis remis inſtructas. Sed ſuperat tum magnitudine tum multitudine nauiũ *Hæreſis*, cuius Claſſis præter naues quaſdã molis incredibilis, quas fabricarunt ſuis impenſis, ingenio Cacodæmonis, adiutorio Impietatis, Hæreſiarchæ quidam præcipui; *Simon Magus*, vnde etiamnum Simoniaci, *Cherinthus*, *Ebion*, *Manes*, *Arius*, *Macedonius*, *Apollinaris*, *Iouinianus*, *Vigilantius*, *Neſtorius*, *Pelagius*, *Eutyches*, *Donatus*, *VViclefſus*, *Husſius*, *Lutherus*, *Zuinglius*, *Caluinus*. Sunt ſine numero alij phaſeli, lembri, lintres, quibus præſident à Superioribus illis proſeminati nominis ignobilioris magiſtelli hæretici, qui quolibet ſeculo fuerunt plurimi.

AD hanc Claſſem ſpectat, tanquam *Nauis* Socialis, illa roſtrata ad incurrendum ac diuidendum aptiſſima, cuius Nauclerum agit *Schiſma*. Quæ plena eſt Græculis quibuſdam, idcircò dictis *Schiſmaticis*, quod à pace, & vnitate catholicà, non agnoſcentes ſupremum Eccleſiæ in terris Caput, Pontificem Romanum, ipſi ſe ſegregauerint. Locum etiam ſuum eadem in Claſſe obtinent naues aliquot magnæ crudeliſſimis Claſſiarijs ſtipatæ, quas *Mahometiſmus*, *Turciſmus*, *Saraceniſmus* dirigunt, ſuis inſtructæ infidelitatis armamentis.

MEMBRVM II.

Secunda Claſſis Luciferi

IMPROBITAS MVLTIPLEX

Ex Peccatis & Vitijs, ceu Nauibus.

PRÆTER iſtam tam potentem Claſſem, habet aliam Cacodæmon, quæ conflata eſt ex ijs peccatis ac vitijs, quæ Virtutibus, quibus conſtat Chriſti Claſſis ſuperius deſcripta, aduerſantur. In ea eſt *Pretoria*, Impietas. *Biremes* tres præcipuæ: *Peccatum*, Originale & Actuale: *Peccatum*, Commiſſionis, & Omiſſionis: *Peccatum* Mortale & Veniale. *Triremis*, Peccatum, Cordis, Oris, Operis. *Quadriremis*, Peccatum in cælum clamans; cuius remi, Homicidium voluntarium, Peccatum Sodomiticum, Oppreſſio pauperum, viduarum, pupillorum, Merces operariorum defraudata. *Sexremis*, Peccatum in Spiritum-Sanctum, cuius remi, Præſumptio de miſericordia DEI, vel impunitate peccati, Deſperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ Caritatis inuidentia, Obſtinatio, Impænitentia. *Septiremis*, Peccatum capitale, cuius remi, Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia. *Oneraria* huius Claſſis eſt Voluptas, cuius ſunt ſubſeruientes Scaphæ, Opera carnis, Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, Idolorum ſeruitus, Veneficia, Inimicitiæ, Contentiones, Æmulationes Rixæ, Diſſenſiones, Sectæ, Inuidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comeſſationes.

VTITVR harum nauium Gubernator Gradibus peccatorum, tanquam *Rudentibus*, ac funibus nauticis, Suggeſtione, Delectatione, Conſenſu. Habet *Septem* quaſi *Harpagones*, quibus ad ſe trahit *lembos* alienis mercibus plenos. Sunt enim velut *Harpagones*, Modi, quibus aliena peccata imputantur. Nimirum, Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Irritatio, Laudatio, ſeu Adulatio, Reticentia culpæ alienæ, Conniuentia, vel Indulgentia, Participatio rei alienæ, Defenſio praua facti alieni.

COMMENTATIO VI.

CLASSIS ANIMATA

CHRISTI ET LVCIFERI.

MEMBRVM I.

Homo tum Phyſicè, tum Moraliter conſideratus, vt Nauis.

Analogia multiplex

Inter Hominem Bonum, Iuſtum, Pium, & Nauem.

QVOD inauditum eſt vulgo, & fieri non poſſe multi fortaſſe ex Sapientium quoque numero ſuſpicantur, habet vterque Archithalaſſus, CHRISTVS & LV-

citer plurimas *Naues* animatas, quibus non alijs opus ventis, quàm ſpiritibus vitalibus; nec alijs armamentis, quàm membris, nec alijs remis, quàm partibus adnatis. *Naues* iſtæ, vt tollatur omnis admiratio, aut impoſſibilitatis ſuſpicio, ſunt *Homines* ipſi. Nam *Homo* quilibet in abditæ Sapientiæ diſciplina eſt Nauis; idque bifariam. Poteſt enim Homo conſiderari *Phyſicè*, quatenus conſtat corpore & anima; & *Moraliter*, quatenus bonus aut malus. Vtroque autem modo præclarum hominis ſymbolum eſt *Nauis*. Conſideratione phyſica, non eſt vna tantùm ſolitaria *Nauis*, ſed integra *Claſſis*, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum. Conſideratione morali, vel eſt *Bonus*, *Iuſtus*, *Studioſus*, virtutis amans ac ſectator, & eſt *Nauis* pertinens ad Claſſem Chriſti; vel eſt Malus, vitiorum appetens, & ſpectat ad Claſſem Cacodæmonis. *Bonum*, vt *Nauem* contemplor analogia multiplici. PRIMO, *Nauis* à *nauo* deducitur, aut potius hoc verbum, ab illo nomine: certè, valdè affinia ſunt, *nauis*, *nauo*, *nauus*, vel *gnauus*: dicimur nauare operam, id eſt, adhibere & ſtudium ſuum alicui nauare: quod tractum putatur à nautis, cùm ſunt auxilio alijs in gubernandis nauibus: *Naues* enim cum ex naualibus in mare deducuntur, maximo hominum auxilio indigent. Si etymon hoc ſpectes, rectè dixeris, hominem bonum eſſe *Nauem*, qui multorum auxilio indiget, vt ad ſtatum illum perueniat. Niſi enim imprimis DEVS, velut *Naupegus*, operam nauaret ſuam, niſi ſingulari illum beneuolentiâ perſequeretur, niſi adfectum illi peculiarem oſtenderet, nunquam extra ceterorum ſortem extraheretur. Deinde niſi inſtructores vitæ morumque ſtudium illi ſuum nauarent, maneret cum tot alijs in prauorum claſſe. Denique, niſi virtutibus ipſemet nauiter operam daret, nunquam in bonorum cenſum veniret. Sunt, qui *Nauem* dictam putent, quod *Nauum* ſiue *gnauum* rectorem requirat, hoc eſt, peritum, ſapientem, ſtrenuum; qui continere, & gubernare inter tempeſtates, ſcopulos, & marina pericula nouerit, vnde dicitur Prouerbior. 1. *Intelligens gubernacula poſſidebit.* Talis *Nauis* eſt Iuſtus, cuius ſupremus gubernator eſt DEVS, à quo vt eſſentialiter bono, ac iuſto, eſt omnis bonitas ac iuſtitia: ſecundarius eſt *Ratio* diuini vultus radijs illuſtrata, tum Sapientia naturalis, & tranſnaturalis; denique Virtus quælibet. Addo. Grammaticis quibuſdam, *Nauis* ſiue *gnauus* idem eſt, quod celer, à nauium celeritate. Quæ in Iuſtis cernitur, qui ſunt celeres in percurrendo viam Domini, celeres in operibus bonis, celeres in exequendis DEI mandatis.

SECVNDO, *Nauis*, ſi rem ipſam conſideres, eſt domus æquorea, hoſpitium mari ſe committentium, receptaculum mercium aliunde petitarum. Quæ cuilibet homini conueniunt, ſi phyſicè conſideretur: nam, tanquam domus in huius vitæ æquore, habet familiam; ſenſus, potentias, habitus: hoſpitantur in eâ corpus & anima; quæ in hac *Naui*, vt in diuerſorio continentur: merces ex longinquo petitæ, ſunt artes, ſcientiæ, diſciplinæ, quæ bonum non faciunt. In *Bono*, ſunt prætereà virtutes, merces de longinquo aduectæ. TERTIO. Quemadmodum *Nauis*, licet fragilis, portat merces precioſas; ita *Iuſtus*: & vas fragile, ſed

onuſtum pretioſis mercibus: Vnde quidam ex ijs gloriabatur: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, ad Corinth. 2. 4. QVARTO *Nauis* eſt clauſa inferius verſus aquam fluentem: *Iuſtus* occluſus eſt ad aquas mundanarum voluptatum, quæ fluunt vt aquæ, ac tranſeunt, & ad perpetuam amaritudinem ſuos rapiunt ſectatores. QVINTO. *Nauis* aperta eſt ſuperius & ad cælum patula. *Iuſtus* patet ad ſuperiora, ad pluuiam gratiarum, & chariſmata donorum, quæ *deſurſum* veniunt *à Patre luminum*. Iacobi IV. Talis erat Paulus Apoſtolus, qui ad Galatas tertio ſcribebat: *Mihi Mundus Crucifixus eſt, & ego Mundo*. En clauſum infernè ad mundana. Ad Philippenſes verò: (a) *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*. En apertum ſupernè ad cæleſtia. Talis quoque in medio nationis prauæ, Daniel, (b) qui feneſtris apertis in cænaculo ſuo tribus temporibus in die flectebat genua, & reſpiciebat Templum Ieroſolymitanum, ac per illud empyreum. SEXTO *Nauis* lata eſt in medio. Iuſtus in Corde, quod capax eſt Diuinitatis, vt circuli quadratum. Capax quoque eſt deſideriorum infinitorum vt mercibus bonorum omnium impleatur. *Deſiderium ſuum Iuſtis dabitur*, Prouerb. x. *Deſiderium* autem *Iuſti eſt omne bonum* Prou. xi.

SEPTIMO *Nauis eſt* concaua interius. Concauitas *Iuſti* interna, quæ illum capacem facit donorum omnium cæleſtium eſt humilitas: quo quis eſt humilior, eo eſt donorum illorum capacior: capaciſſimus ille, qui humillimus: quo vallis demiſſior, eò ad illam plures aquæ confluunt, docet impleatur. OCTAVO. *Nauis* lita ſolet eſſe bitumine. Ita Noë præcipiebatur Geneſis VI. *Arcam bitumine linies intrinſecus & extrinſecus*. Bitumine deſignatur Caſtitas, qua linitur Iuſtus intrinſecus & extrinſecus, caſtitate carnis & ſpiritus: corporis & animæ, humana & Angelica. Vel dic. Bitumine denotari Caritatem, qua obſtruuntur omnes rimæ, vt nihil aquæ marinæ aduerſitatum huius mundi poſſit in *Nauim* ea litam influere. *Aquæ multæ*, id eſt, calamitates, tribulationes, moleſtiæ, miſeriæ, *non poterunt extinguere Caritatem*, vt eſt Canticorum VIII. nec intrare, per deſperationem vſque ad animam ita litam, vt ſubmergant eam. (c) Exodi quarto, parens Moſis, vt conſeruaret infantulum ſuum ab aquis, nauiculam fecit ſcirpeam (Scriptura ſacra *fiſcellam* vocat) & *Liniuit eam bitumine ac pice*. Fortaſſe myſticè indicantur duo præcepta caritatis, vt Iuſtus, tanquã Nauicula, & ipſius Vita, quæ eſt Nauis, liniatur interius ad DEVM, exterius ad proximum. NONO. *Nauis* dum mare tranſit, ipſum calcat. Quid virtutis ſolidæ ſtudioſus? Audi Paulum ad Philippenſ. 3. *Propter quem*, videlicet Chriſtum, *omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora*, quæ conculcamus pede, *vt Chriſtum lucrifaciam*.

DECIMO. Nauis eſt res quædam vilis & contemtibilis, adeò, vt Arca, qua nulla fuit Nauis ab orbe condito excellentior. *contemptibile lignum* vocetur Sapientiæ x. nimirum in oculis hominum, eorumque fallaci iudicio. Sanè, cum Noë, eiusque filij Arcam fabricarent, contemnebant-

(a) Philipp. 3. 20. (b) Daniel. V.

(c) Exodi 4. 3.

uebantur ab eius æui hominibus, & habebantur ſtulti, vt Lyranus, ac D. Bonauentura exponunt. Vel etiam dici potuit *Lignum contemptibile* in ſe, quia *Nauis* illa conſtabat, & compoſita erat ex lignis, quæ ad tantam illuuionem aquarum, quantam Noë, Dei nomine comminabatur, nullo pacto ſufficere videri poterat. *Iuſtus* in hoc mundo apud ſui temporis homines habetur, vt peripſema, viliſſimum quid orbis, ideoque paſſim contemnitur. In ſe etiam eſt vilis, ſi corpus ſpectes, & infirmitates, quibus ſubiacet: multo magis compoſitus Angelis & Deo: neque par putatur tot heroicis facinoribus, quæ patraturus, & patraſſe dicitur. Sed vilitas *Ligni* illius, quod notat Cantacuzenus, inſignis Sapientiæ Interpres, fecit plurimum ad amplificandam potentiam Dei; qui cum maximas, munitiſſimasque vrbes, omnemque excelſum ac ſublimen montem aquarum impetus obruiſſet, nempe quindecim extans cubitis, vnum illud *Lignum vile*, quod in medio natabat, & circumferebatur, nec ſaxis allidi permiſerit, nec vndis frangi. Quod optimè in *Eccleſiam*, & *Iuſtum* quemlibet quadrat. Is enim æſtimatione vera pretioſiſſimus eſt, vt Arca Noë, quam pluris ſanè, quàm vel Arcam, vel Tabernaculũ Moſis, vel ipſum Salomonis Templum æſtimare poſſumus, centum annis ab altero generis humani proſeminatore fabricatam, Deo Architecto, tantæ capacitatis vt orbis vocari poſſit refugium. In eodem Devs maximè potentiam ſuam demonſtrat, dum inter grauiſſimas perſequutionum procellas, quibus plurimi potentia, diuitijs, nobilitate, vt munitæ vrbes, & montes altiſſimi excellentes obruuntur, vnum aliquem *Iuſtum*, pauperculum, abiectum, nullius in mundo nominis ſeruat incolumẽ omnibusque facit tyrannis ſuperiorem.

Vndecimo. Vt *Nauis*, lignum vile, id quod mundi eſt precioſiſſimum, ac regios theſauros; ita *Iuſtus*, quod orbis vniuerſus habet maximè æſtimandum, Gratiarum cumulos, qui ſunt Regis cæleſtis gazæ, vehit. Dvodecimo. *Nauis* vltrò nauigat: alia non ſine labore mouentur. Nauis ſine laſſitudine ipſa per ſe labitur ac fluit. Haud ſequus Iuſtus ſponte laborat, voluntariam nauat Deo & Eccleſiæ operam; & aſſiduè operans non laſſeſcit. Tertio-Decimo. *Nauis* mercibus onuſta, tota penè in aqua mergitur, quamuis non ſubmergatur. *Multæ tribulationes Iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* (a) *Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus ſaluauit eum* Qvarto-decimo. *Nauis* de longinquo portat merces. *Nauis inſtitoris de longè portans panem*, Prouerbior. xxxi. non breui interuallo, ſed longiori ſpacio, & per circuitus, ambagesque iter ſuum conficiens. *Iuſtus* è cælo ipſo aduehit, quæ venum auditoribus ſuis verbo, & circumſtantibus occurrẽtibusque exemplo exponat. multo labore annorum aliquot, multis vigilijs, multis etiam mæandris difficultatum, ac contradictionum parat, quæ deinde è cathedra, in templis, ſcholis carceribus, triremibus, noſocomijs, vbi docet,

(a) *Pſalmo* xxxiii. 20. 16. 7.

cet, concionatur, catechizat, inſtruit, in medium, velut in foro ſuo adfert.

QVINTO-DECIMO. *Nauis* vndis quatitur. *Iuſtus* malorum incurſibus, conuicijs, detractionibus, comminationibus, exilijs, preſſuris, perſequutionibus. *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos: arbitretur obſequium ſe præſtare* DEO. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos verò contriſtabimini. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum*, Ioannis XVI. SEXTO-DECIMO. *Nauis* pugnat cum piratis. *Iuſtus* cum Dæmonibus. *Non eſt nobis* (tantùm) *colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed etiam, aduerſus rectores mundi tenebrarum harum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, (a) Ideo monet Eccleſiaſticus Iuſtos, *pro iuſtitia*, quam vt *Nauis* continet, *agonizare: & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* SEPTIMO-DECIMO. *Nauis* omnis generis annonam pro corporibus ciuibus adportat, *Iuſtus* fidelibus pro anima, verbum DEI, virtutum exempla, conciones, exhortationes, Sacramenta, Eucharisticum Panem, qui eſt vitalis, & omnem continet alimoniam. OCTAVO-DECIMO. *Nauis*, inquit Venerabilis Beda, (b) *per mare peregrina, vt illic venditis, quæ attulerat, cariora ad domum reportet. Sic Anima perfecta*, ſiue Iuſtus, *virtutum diuitijs gaudet onuſtari, quibus maiora diuina gratia dona mereatur. Optimum namque eſt commercium, cum bona, quæ valemus, operantes, primò hanc à Domino mercedem recipimus, vt ad maiora ſemper agenda proficiamus: de hinc vitam percipiamus ſempiternam. Facta eſt ergo Anima ſancta*, qualis eſt hominis iuſti, *quaſi* Nauis Inſtitoris, *quæ tranſit deſiderio fluctus ſeculi præſentis, ſolaque ſe in cælum accipere ſperat æterna gaudia, & pro his abundantius adipiſcendis, quicquid valet inſtanter agere, quicquid aduerſum occurrit, fortiter ſuperare contendit.* NONO-DECIMO. *Nauis* fluctus premit & frangit: *Iuſtus* tribulationes mundi & carnis. Vnde dicit cum Apoſtolo: (c) *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* En confractio fluctuum.

VIGESIMO. *Nauis* duobus agitur, ac propellitur; *Vento*, ac *tractu*: *Iuſtus* gratiam habet, vt ventum; operationem, vt tractum. *Cooperatores* DEI *ſumus*, inquiebat Apoſtolus. (d) Vnum cum DEO funem trahimus. VIGESIMO-PRIMO. *Nauis* vento etiam Aquilonis, rigidi, glacialis, ſtridentisque propellitur: ad portum; *Iuſtus* flatu aduerſitatis algentis, rapidæ, & terribilis ad cælum. At idem nonnunquam Auſtro proſperitatis æſtuoſo ac blandiēte repellitur à terrâ promiſſionis. *Dicam Aquiloni, da; & Auſtro, noli prohibere*, inquit DEVS ad Iuſtum ſuum: & addit: *Cùm per aquas tranſieris, tecum ero, & flumina non operient te. Noli timere, quia ego tecum ſum*, Iſaiæ XLIII. VIGESIMO-SECVNDO. *Nauis* nonnunquam, ne fluctuet, ſaburrâ, vt arenâ, lapidibus, ferramentis, alijsque abiectiſſimis rebus oneratur. *Iuſtus*, tanquam *Nauis*, vt debitum pondus habeat, ac ſtabilior ſit in curſu, infirmitatis vilitatisque propriæ conſiderationem adhibet. Monitum eſt S. Ambroſij inſtituentis Virginem: *Contemplationem corporis tui, velut* Nauis

(a) *ad Epheſ.* VI. (b) *Prou.* XXXI. (c) 1. *Cor.* 3. (d) 1. *Cor.* 3.

Nauis *ſaburram ſuſcipe, ne te in tantis mundi fluctibus iactantiæ alicuius aura circumferat.* VIGESIMO-TERTIO. *Nauis* non vno altero-ue anno ſed quamdiu non diſſoluitur, aut frangitur, in mare aut flumina excurrit, vento ſe committit, & aquas findit. *Iuſtus* nunquam eſſe deſinit, qui fuit, bonus ac pius; ſemper laborat quamdiu vires ſuppetunt: quotidie iuſtitiam ſuam ſedulò excurrendo, negotiando, pugnando auget: nec ceſſat, niſi diſſolutâ per mortem compage, denique, perſeuerat vſque in finem, vt ſaluus fiat.

MEMBRVM II.
ARMAMENTA NAVIS ANIMATÆ
Quæ eſt Homo Iuſtus.

PRIMA, *Iuſtus*, tanquam *Nauis*, habet *Malum*, quæ eſt in naui arbor alta. Malus imprimis eſt CRVX CHRISTI, de quâ canitur: *Flecte ramos arbor alta.* Deinde, nô malè concipitur, vt *Malus* Nauis animatæ, *Spes*, per quam erigitur Iuſtus ad deſiderium cæleſtium, vt dicat: *Domine ante Te omne deſiderium meum.* (a) Prætereà, vt *Malus* ſe habet in hac Naui, *Humilitas*, per quam *Iuſtus* exaltatur in oculis DEI. Adhæc, *Malus*, cuius materia eſt abies, arbor procera & rectiſſima; ſicca & dura dici poſſunt *Exempla Sanctorum*, qui, velut abietes fuerunt ſine humore, voluptatis carnalis, recti iuſtitiâ, erecti ad cæleſtia, non reflexi ad temporalia, proceri vitæ ſanctimoniâ, leues ſine peccatorum ſarcinâ, contemplatione cæleſtium verſus nubes eleuantes capita, vt in Alpibus abietes, duri fortitudine, inconcuſſi conſtantia, longæui perſeuerantia.

SECVNDO, *Antenna*, quæ eſt virga, vel lignum tranſuerſum in malo, eſt *Memoria* Crucifixi Domini: à quâ dependet velum deſiderij: dicunt enim Iuſti de Chriſto: *Deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum: virum dolorum* (b) Vel dic *Velum* eſſe *Caritatem* circumquaque expanſam, in quam recipitur afflatus cæleſtis ad vlteriora propellens. Niſi velis, *Velum*, quod eſt linteum, innuere *Chriſti ſepulturam.* Certè Lucæ vltimo, procumbens Petrus & immittens caput in ſepulchrum Domini, vidit linteamina poſita. Et Matthæi, XXVII. cùm de ſepeliendo Chriſto agitur, Ioſeph accepto corpore inuoluit illud in ſindone mundâ ſiue linteo. Habet homo iuſtus, velut *Nauis* velum dum fouet memoriam Paſſionis ac ſepulturæ Domini ſui pro ſe Crucifixi. Quemadmodum autem mouetur *Nauis*, quando ventus incurrit in velum è malo pendens; ita animus ad benè agendum dirigitur, quando ex memoriâ Paſſionis, Sepulturæ Dominicæ Spiritus-Sancti inſpiratione agitatur. De quo flatu eſt illud Ezechielis primo: *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Sicut etiam *Antenna* componitur ex duobus lignis, & ſe extendit ad dexteram & ſiniſtram; ita cùm Caritas conſiſtat in

(a) *Pſal. XXXVII.*

(b) *Iſaia LIII.*

Theologi. Gratia Dei facit *Anchoram*: certa expectatio, *Firmam*: *merita*, tutam, inquit Richardus Laurentianus Libro 11. de laudibus B. Virginis. Vbi illud quoque ſuggerit, *Anchoram*, dum in mare, vel ad terram proijcitur, funibus ad *Nauim* ligari. Hi funes ſunt timor mortis, iudicij, & gehennæ: (a) *Triplex funiculus*, qui *difficile rumpitur*. Timor enim non eſt ſeparandus à ſpe. *In timore Domini fiducia fortitudinis*, Prou. xiv. Profectò, *niſi in timore Domini tenueris te conſtanter*, *citò ſubuertetur domus tua*, Nauis ſcilicet mentis tuæ, Eccl. xxvii. Aliquando non eſt ſatis vna *Anchora*, ſed plures ſunt neceſſariæ, vt firmetur maxima *Nauis*, aut vna pluribus vncis inſtructa. Sic Actuum xxvii. ſcribitur. *Timentes ne in aſpera loca inciderimus*, *de puppi mittentes* Anchoras *quattuor*, *optabant diem fieri*. Loca aſpera ſunt loca pœnarum æternarum, vt exponit myſticè bonus auctor. *puppis*, vitæ finis: *Quattuor Anchoræ* Spes quadruplex, *venia*, *gratia*, *perſeuerantia*, *gloriæ*. Has iacit Iuſtus in terram firmam miſericordiæ diuinæ, aut alligat ad Crvcem Domini, & ſatis firmatur *Nauis* animæ.

Sexto. *Remi* ſunt virtutum diuerſarum actus, ſiue opera bona, quæ ſunt officia iuſtitiæ Chriſtianæ; & veluti *Remi* demittuntur à *Naui*, quia de corde Iuſti exeunt cogitationes bonæ, & opera meritoria: & ad aquas, id eſt, ad proximos ſe extendunt: *aquæ* enim *multæ populi multi ſunt*, Apocalyp. xvii. Septimo. *Clauus*, ſeu *Gubernaculũ*, aut *Temo*, vel eſt Fides viua per quam Iuſtus, velut *Nauis* dirigitur, ac recta tenetur. Vel Verbum Dei, quod in mundo vt in mari inter proſpera & aduerſa viam monſtrat. Vel Prudentia non terrena, ſed cæleſtis. *Prudentia ſeruabit te*, inquit Sapiens Prouerbiorum ſecundo.

Octavo. Ad *Clauum Nauis*, quæ eſt Homo, Deo carus, ſedet *Prouidentia* Diuina, quæ illam gubernat, dirigit, circumducit, nec patitur in ſcopulos peccatorum, aut in breuia, vndoſaque, & arenoſa perturbationum loca, incurrere. Clamat Iuſtus frequenter periculo ereptus: *Tu autem, Pater gubernas Prouidentia quoniam dediſti in mari, viam*, Sapientiæ xiv. Inuocat eadem diſcrimini expoſitus. O Domine, libera animam meam. (c) *Propter nomen tuum, Domine, deduces me. Dominus regit me, & nihil mihi deerit* (Pſal. xxii. & xxx) Nono *Claſſiarij* & Epibatæ ad omnem ſeruitutem, miniſteriumque prompti, ſub Nauclero Christo ſunt Angeli: *Omnes enim adminiſtratorij Spiritus ſunt, in miniſterium miſsi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*. Ad Hebræos. 1.

Porro, inter has *Naues* Claſſis Chriſti, quas diximus eſſe Iuſtos, planè primum locum obtinet *Mulier* illa fortis, de qua Sapiens: *Facta eſt quaſi Nauis inſtitoris de longè portans panem*. (d) Nimirum, quilibet, ſiue vir, ſiue fœmina cultui Iuſtitiæ deditus, ſeu Deo carus, negociationi ſpirituali gratiæ ac virtutum eſt addictus ſed imprimis Deipara, de quâ, tanquã de *Naui* bellica, mercatoria, triumphali tam multa diximus in Symbolis Marianis, vt nihil hic addendum videatur.

(a) Eccl. 4. (b) Pſal. 30. (c) Pſal. 22. (d) Prou. 31.

ANCHORAM habent hæ *Naues*, non Spem in DEO eiusque auxilio, ſed in Mundo, eiuſque adiutorio; non in cæleſtibus, ſed in terrenis: non in virtutibus, ſed in vanitatibus: ideoque Spem falſam: de quâ Sapiens(a) *Spes impij quaſi lanugo, quæ à vento tollitur, & quaſi Spuma gracilis, quæ à vento diſpergitur.* Alligatur hæc *Anchora* Naui ſuæ, illecebris peccandi, impunitate peccati, delicijs carnis, tanquam funibus. *Remi* ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, & ſimilia, quæ à carnalibus committi ſolent, & quibus tanquam remis *Naues* iſtæ in hoc proceloſo Mundi pelago nauigant. In quo ventis agitantur contrarijs ac veſanis, quos ſpirat Diabolus. Hos indicat, & eorum effectum Iudas Apoſtolus in ſuâ Canonicâ: *Nubes ſine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, fluctus feri maris deſpumantes confuſiones ſuas.* Tales venti ſunt, amor, odium, inanis lætitia, animi extrema deiectio, triſtitia carnis, afflictio ſpiritus, ira, inuidia, gaudium mundi, obliuio tartari, præſumptio, deſperatio, qui Aquilonibus & Boreis magis impotenter Naues illas propellunt, agitant, circumferunt, & in malorum barathrum tandem præcipitant. *Gubernaculum* harum Nauium eſt, pro temporum diuerſitate, nunc Concupiſcentia carnis, nunc Concupiſcentia oculorum, nunc Superbia vitæ. Et quolibet tempore adhibetur, tanquam *Clauus*, Impietas, Ad *Clauum* hunc ſedet, velut Nauclerus, ſub gubernatore ſupremo Cacodæmone, Amor proprius, vel Mundi, qui non eſt diuerſus à voluntate praua, ad malum omne propenſa, & expedita, cui ad nutum deſeruiunt, tanquam epibatæ, qui per tranſtra diſcurrunt, tot furiæ infernales, mali Genij, quot ad vnam Nauem agendam ſubmittuntur à claſſis Præfecto, & ſunt plurimi.

DESCRIPSIMVS hactenus apparatum naualem Militiæ Chriſtianæ, & vtriuſque Archithalaſſi, Chriſtj ac Cacodæmonis Claſſes oppoſitas, Sed *Naues* militares, comparantur ad conflictum, qui eſt ipſorum finis. Itaque in ſequentibus, nauali prælio congredientes, ſecundum diſciplinam militarem, eaſdem exhibebimus, ſpectaculo neque iniucundo neque inutili, immò, ſi non perfunctoriè & ad voluptatem, ſed meditatò, & ad vſum inſpiciatur, fructuoſiſſimo. Interim animo fixum ſit Vobis, qui ſuperiora vel audiſtis, vel lecta perpenditis, nunquam boni Ducis Claſſem, per apoſtaſiam deſerere: nunquam è Prætoriâ Petri, per infidelitatem, exſilire, nunquam è Virtutis Nauibus per peccatum vllum mortale pedem ponere; nunquam ad Claſſem hoſtilem, per deteſtandam Nauium animatarum transformationem tranſitionem facere.

Contrarium ſi quis vel cogitatione attentet, *expedit ei, vt ex templò ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius & demergatur in profundum maris.* (b) Quod à vobis clementer auertat DEVS maris ac terræ, Maieſtas Triſagia, Trias τρισμακάρια, Numen τριπρόσωπον, DEVS τρισμέγιστος PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS

Amen.

(a) *Cap.* x. 15. (b) *Matt.* 26. 6.

NOTÆ.

§. 1. HOMO, Nauis.] *allegoricè, myſticè, ſymbolicè, quibus modis multa reperiuntur* Naues. *Conſule Syluam Allegoriũ Sacræ Scripturæ.* S. Antoninus, 2. *par. tit.* 2. *Cap.* 1. *à.* §. 22. *de triplici* Naui *myſticè ſumptâ diſſerit.* Prima *eſt Petri, ſeu Eccleſiæ.* Secunda, *Ordinis Religioſi.* Tertia. Pœnitentiæ.

PRIMAM *deſcribit ſimilem externæ ac propriè dictæ: in principio & fine arctam, paucoſque homines continentem: in medio latam & cum pluribus. Eius Gubernatorem eſſe* DEVM, *ac Prælatos: Gubernaculum, Fidem, & Prælatorum conſtitutiones: Remiges Angelos: Arborem, ſeu Temonem Crucem: ventos proſperos, inſpirationes Spiritus-Sancti: Qui vehuntur, ... bores Sanctorum: Vela Euangelicæ doctrinæ capita: Ventos contrarios ac piratas, Dæmones, tyrannos, hæreticos, malos Chriſtianos: Portum qui nominari poteſt* bonus, *vt quidam Actuum* XXVII. 8. *Beatitudinem.*

SECVNDAM, *quæ eſt* Status religioſus, *dicit eam, in quam aſcendente* IESV *ſecuti ſunt eum* Diſcipuli. *Matth.* VIII. 23. *ibi exactiſſimè obedientiam ſeruari Gubernatori ab omnibus cuiuſque conditionis: ibi etiam incontinentes continere: ibi vitam auſteriorem agi: proculque occaſionibus peccandi eſſe: ibi nauigantes nihil habere ad victum, niſi quod neceſſarium: clauſam eſſe* Nauem *illam verſus terrena, apertam verſus cæleſtia: inde cadauera prauorum eijci, ne inficiant: ſi alliditur ad ſaxa, terram-ue, diffringi, cùm nempe ſecularia tractat: ſentinam expurgandam ſæpius à minoribus etiam peccatis: cauendum nimium onus externarum occupationum, vel aliarum, quæ ſint ſupra vires, & Inſtitutum. Vitandum nihilominus inanitatem, vacuitatemque otij: ex æquo, ſecundum proportionem diſtribuenda onera: conſpirandum ad conſeruationem* Nauis, *vt perueniatur ad portum; vt impedimenta remoueantur, ac proijciantur, vt mutuo ſibi, in illa qui ſunt* Naui *opitulentur: ſemper procedendum, etiam edendo ac dormiendo: nullum veſtigium relinqui, ne humana laus quæratur. Denique, merces in ea precioſas eſſe doctrinæ, virtutiſque, quarum iactura,* & *damnum longè maius eſt, quàm qui non ibi nauigant.*

TERTIVM, *quæ eſt* Pænitentia, *vult indicari per* Lignum *exiguum, cui homines animas credere ſcripſit Sapiens, cap.* X. *v.* 5. *& vocari poteſt* Arca Noë, *quæ licet in ſe magna eſſet, reſpectu eorum, quæ continebat, erat exigua.*

Legendus Robertus Olkot, *lect.* 63. *in Sapient. Vbi inuenies inſignem tropologiam* Nauis *pro* Pænitentia. *Philippus Grueus Sermone* 120. *explicans illud Pſalmi* CIII. 25. & 26. Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus illic Naues pertranſibunt, *diſſerit de triplici genere Nauium myſticè.* I. *Sunt* Naues, *quæ mare pertranſeunt, & in periculo ſunt.* II. *Sunt* Naues, *quæ non pertranſeunt, & ſubmerguntur.* III. *Sunt* Naues, *quæ fluctus non timent.*

I. Naues, *quæ pertranſeunt, licet cum periculo, ait eſſe* Actiuorum, *ſeu* ſecularium *bonorum in mundo, qui in vaſis fictilibus, & fragilibus theſaurum portant* (2. *ad Corinth.* 4. 7.) *calcant mare, cælum contuentur, malo vtuntur Crucis, velo ſepulturæ ac Paſsionis Chriſti, mouentur vento Spiritus-Sancti, habent anchoram Spei,* II. Naues, *quæ confringuntur & ſubmerguntur attribuit* Actiuis, *ſeu* Secularibus,

malis

malis in mundo,qui merguntur in interitum 1. *Tim.6.9. &* naufragant à fide. *ib.c.*1.19. *Saltem ea, quæ per dilectionem operatur: illarum malum eſſe Latronis mali Crucem, & afflictionem: velum, ignorantiam, obliuionem, tum* DEI, *tum Paſſionis Chriſti: ventos ac procellas, diabolicas tentationes.* III. Naues, *quæ fluctus non timent adſignat* Religioſis bonis, *quas comparat cum* Nauibus, *de quibus* 1.*Machabæor.* XIII. *vbi ſcribitur, quod Simon Machabeus ſuper ſepulchrum Patris & fratrum ſuorum fecit ædificium altum viſu, & interpoſuit columnas & ſuper columnas, arma, in memoriam æternam: & iuxta arma* Naues *ſculptas quæ videbantur ab hominibus nauigantibus mare. Simon iuxta etymon (nam eſt idem quod Obediens) deſignat Religioſum probum, cui mortuus eſt carnalis omnis affectus, & ideò ædificare cenſetur ſepulchrum patris ac fratrum, Deuteronomij* XXXIII. Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium ſuum, & pactum tuum ſeruauerunt. *Ipſa Religio eſt Sepulchrum Mundi. Super hoc ædificat ædificium altum viſu: quia talium* conuerſatio in cælis eſt, *Philip.* 3. 20. *Columnæ magnæ & immobiles ſunt Contemplatiui, manentes domi, orationibus, meditationibuſque deditì. Arma bellica ſunt Diſciplina religioſa, vigiliarum, ieiuniorum, ſtudiorum, auſteritatum, ſcriptionum, lucubrationum, quæ ſunt ad memoriam æternam. Eccleſ.* XLIV. Omnes in generationibus gentis ſuæ gloriam ſunt adepti, & in diebus ſuis habentur in laudibus.

IV. NAVES *ſculptæ ſunt in Religione Actiui boni, qui propter negocia expedienda diſcurrere videntur, nec ſunt tamen* Naues *veræ, ſed ſculptæ; ideò non ſubmerguntur. Res enim ſculpta rei non tenet veritatem, cuius imaginem habet: ſic Religioſi illi, dum exterioribus occupantur, non ſicut mundani actiui curarum fluctibus ſubmerguntur, quia ad ſua interiora frequenter reuocantur, Atque ita iuxta ſe ſunt, cum remoti videntur. Si quis autem negocijs ſæcularibus, quaſi maris fluctibus ſe implicauerit, iam non ſculpta* Nauis, *ſed vera eſt, nec ſtat ſupra petram, ſed aquis iactatur. Videre eſt nonnullos pulſare palatia, exercere lites, circuire fora, lucris incumbere, pro conſanguineis, pro nepotibus, pro amicis ſe cauſſis ingerere, doctiores ad diſputandum de genealogijs hominum, quàm de Euangelijs.* O Naues, *quando videntur ab hominibus nauigantibus mare, quàm notantur ſubtiliter, quàm hoſtiliter deridentur? De quibus dici poteſt illud 2. Petri 2.* Per quos via veritatis blaſphematur.

COMMENTATIO VII.

PRIMA PVGNA NAVALIS ECCLESIÆ
Cum Tempeſtate magnâ, quæ eſt
PERSEQVVTIO:

Facta eſt Tempeſtas magna in mari: & Nauis periclitabatur conteri. Ionæ.1.4.

MEMBRVM I.
HYPOTYPOSIS
Claſsium oppoſitarum Archithalaſſorum
CHRISTI & LVCIFERI.

CVM olim Romani Carthaginienſes hoſtes ſuos capitales *Claſſe* maritimâ plurimum valere intellexiſſent, & conſtitutum ijs eſſet, cum aduerſarijs illis ſuis mari pugnare, nec tamen, aut Claſſis ædificandæ, aut remigandi notitiam haberēt, accidit, vt *Quinquiremis* vna, vi tempeſtatis à cetera hoſtium claſſe diſiecta, ad littus frangeretur. Iam videte quid faciat pugnandi deſiderium, quid ardor vincendi, quid induſtria animi militaris. Cōtemplati *Nauim* bellicam Romani, cogitarunt ſimiles multas ſe poſſe arte conficere. Interea autem, dum quinquiremes ædificabantur, ipſi ſe ad remigandum exercebant. Subſellijs enim in arenâ ordine collocatis, remiges inſidentes ad numerum ſimul omnes brachia protendere, & adducere, remosque per arenam mouere pariter docebantur, cùm ad Nauarchi vocem ſimul omnes inciperent & deſinerent. Itaque hac exercitatione Romani confirmati Carthaginienſes aggreſſi, eos maris primum, deinde etiam terræ imperio exuerunt. Vtinam in nobis tam incitata eſſet, hoſtes Eccleſiæ, animarumque noſtrarum, qui per Mundi mare magnum ac ſpacioſum ampliſſimâ *Claſſe* vagantur ſuperandi, atque exigendi cupiditas, facile & noſtra tueremur, & aduerſarios ab occupata maris alieni poſſeſſione pelleremus. Quod vt fiat, docere aggrediar, quomodo cum hoſte in mari ſit pugnandum, quomodo ab ipſius inſidijs cauendum, quomodo *Claſſis* educenda, conſtituenda, firmanda. Qua ratione *Naues* hoſtiles inuadendæ, diſiungendæ, diſſipandæ. Quo pacto in altum ducendæ, rotandæ, propellendæ. Quâ via ad portum *Claſsis* ſit dirigenda. Nam de eâ fabricanda nulla nos tenet ſolicitudo, cùm, vt in ſuperioribus eſt demonſtratum, ſuis conſtans partibus, ſit iam dudum ad vſus noſtros parata, nobiſque tradita.

Vt id fiat commodius, obijciendum eſt menti, tanquam in tabulâ, quicquid hactenus de duplici *Claſſe*, & *Nauium* in vtraque numero eſt in medium allatum: cuius hoc eſt breuiarium. Archithalaſſi

ſunt

ſunt duo, CHRISTVS & Cacodæmon. Vtriuſque Claſſes ſunt oppoſitæ. PRIMA Chriſti *Claſſis Allegorica* conſtat ex Eccleſijs Chriſtianis per orbem ſparſis. In hac *Prætoria* eſt Romana, cuius appellatio, *Nauis Petri*. Huius gubernationem habet Chriſti Vicarius, ſummus Pontifex, Vniuerſalis Papa, qui nunc VRBANVS VIII. Opponit huic quandam malus Dæmon, cui nomen, *Synagoga Satanæ*. Habet Naues plurimas: nempe, *Paganiſmum*, quam gubernat *Idololatria*, cuius Prætor *Superſtitio*: *Turciſmum & Paganiſmum*, quibus præeſt *Mahometh*: Hæreſim, cuius Nauclerus *Error* pertinax: *Schiſma*, quam dirigit contentioſa *Arrogantia*. In tota autem Claſſe imperium obtinet *Infidelitas*.

SECVNDA Chriſti *Claſſis* eſt *Tropologica*, cuius gubernaculum tenet Virtus. Conflatur ex diuerſis virtutibus, velut Nauibus. In quibus, *Quadriremis* eſt Virtus Cardinalis. *Triremis*, Conſilium Euangelicum. *Septiremis*, tum Virtus Capitalis; tum Donum Sancti-Spiritus; tum Miſericordia, quà Spiritualis, quà corporalis. *Octiremis*, Beatitudo Euangelica. *Prætoria*, Fides, cuius collaterales, Spes & Caritas; quibus præeſt Virtus Theologica. *Speculatoria* eſt Oratio: *Oneraria* Ieiunium. *Actuaria* Eleemoſyna. *Frumentaria* VII. Sacramenta. Huic oppoſita eſt Satanæ illa, quam regit Vitium. In ea Impietas eſt *Prætoria*. *Biremis*, Peccatum, tum Originale & Actuale; tum Mortale & Veniale, tum Omiſſionis & Commiſſionis. *Triremis*, Peccatum Cordis, Oris, Operis. *Quadriremis* Peccatum in Cælum clamās. *Sexremis*, Peccatum in Spiritum, Sanctum. *Septiremis*, Peccatum Capitale. *Oneraria*, Voluptas. *Scapha* ſubſeruientes, Opera Carnis.

TERTIA CHRISTI *Claſſis* eſt *Animata*. Conſtat Hominibus. In quorum ſingulis eſt duplex alia Nauium congeries: vna *Phyſica*, altera *Moralis*. Nam ſi phyſicè ſpectetur Homo, in eo eſt Corpus, *Nauis* ampliſſima: immò, *Claſſis* integra. Cuius *Quinqueremis* eſt Senſus exterior: *Quadriremis* Senſus interior: *Triremis*, Caro, Cutis, Oſſa, ex quibus Corpus integratur. In eodem homine eſt Anima, & ipſa *Claſſis*. Cuius, *Triremis* ipſa quoque, quatenus continet tres gradus. In ea *Biremis*, Appetitus, qui duplex, Senſitiuus, & Rationalis: tum etiam Intellectus, quà Agens, quà Patiens. *Vniremis* Voluntas. Si conſideretur Homo moraliter, quatenus bonus, eſt *Nauis* inſtructiſſima, quæ Virtutes omnes pro remis, contis, naualibusque inſtrumētis alijs habet. (a) Huic contraria eſt *Claſſis animata Satanæ* conſtans Impijs. In qua eædem ſunt *Naues* phyſicæ; differt in moralibus: nam quilibet impius eſt *Nauis*, quæ armamenta habet Vitia.

QVARTA Chriſti *Claſſis* dici poteſt *Subſidiaria*, & componitur ex varijs Religioſorum Ordinibus: niſi velis quemlibet *Ordinem*, vt *Claſſem* concipere, cuius tot ſint *Naues*, quot eiuſdem Inſtituti familiæ. His opponuntur Sectariorum, & improborum diuerſa contubernia, quæ in ſubſidium veniunt claſſibus illis capitalibus, ſuperius enumeratis.

(a) *Homo improbus Nauis.*

MEMBRUM II.

VIS TEMPESTATIS MARITIMÆ

Ad diſſipandam, & ſuperandam quamlibet numeroſiſſimam, & potentiſſimam Claſſem Nauium.

IAM concipite *Mundum*, (*a*) tanquam *Mare*, præ quo, Ægæum, Euxinum, Balticum, Mediterraneum, Britannicum, Gallicum, Liguſticum, Tuſcum, Athlanticū, Gaditanum, Arabicum, Perſicum, Indicum, Germanicum, Scythicum, Ibericum, Balearicum, Adriaticum, Ionium, Siculum, Creticum, Aſiaticum, Pamphylicum, Inferum, Superum, immò totus quantus Oceanus omnia permeans, ſit auguſtum, vt Helleſpontus, fretum. Eia, perſonent tubæ, audiatur claſſicum, armamenta nauium concutiant epibatæ, concurrant claſſiarij, vela ventis exponantur, curuetur ſinus carbaſeus, remis incumbere incipiant remiges, egrediantur è portu *Naues*, ſolutis anchoris, Claſſis vtriuſque Archithalaſſi nauigationi ſe committit, accinguntur omnes ad nauale prælium. Spectemus nos congredientes, expectemus ſucceſſum, parta victoria gratulaturi triumphatoribus. Iucundum eſt in terra extra diſcriminis aleam cernere pugnantes in mari, vel è monte concurrentes acies in ſubiecta valle.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt.
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa tui ſine parte pericli.

Iam verò, prima dimicatio Claſſis ad pugnam paratæ, eſt cum ventis & *Tempeſtate*, ſiquidem primum expeditionis naualis periculum eſt ab illo hoſte, cum quo conflictus eſt periculoſiſſimus, & in eo difficillima victoria. Plures ego *Claſſes*, multo autem magis *Naues* ſolitarias, quantumuis maximas, & munitiſſimas, ſuperatas reperio in omni hiſtoria, à Tempeſtate quam à milite aduerſario. *Tempeſtates* autem vocamus, inquit Plinius, in quibus procellæ, grandines, ceteraque ſimilia intelliguntur, quæ cùm acciderint, vis maior appellatur. Clarius, *Tempeſtas* eſt procella, turbo, grando, & generaliter quiuis cæli inquietior ſtatus. Nulla autem eſt grauis *Tempeſtas* ſine piceis nubibus, ex quibus nox, pluuia, venti, fulgetra & fulmina prorumpunt.

QVID autem poſſit tempeſtas in claſſem armatam, & omnibus munitam inſtrumentis, vt omittamus à nobis remotiora, (*b*) quæ acciderunt in nauigationibus Indicis, (*c*) experta eſt patrum noſtrorum æuo Claſſis Hiſpanica ad Angliam inuadendam miſſa à Philippo II. Rege Catholico. Erat ea centum triginta nauium, in quibus galeones ingentes ſexaginta, galeaſſæ, ſeu triremes magnæ quattuor, reliquæ varij generis, vehentes viginti & amplius virorum millia. Cùm enim Præfecto Duce Medinæ Sidoniæ, Olyſippone ſoluiſſet, atque in portum Coron-

(a) *Mundus Mare.* (b) *Anno 1588. May 29.* (c) *Haræus Tom. 3. Annal. Belg. p 414. Fam. Strada.*

Coronnæ in Gallicia curſum direxiſſet, tanta tempeſtas orta eſt, vt claſſis tota diſpergeretur, ita, vt cùm primùm Dux ſe collegit, octoginta tantùm naues reperierit, ad quas tamen reliquæ paulatim conuenerunt.

MEMBRVM III.

PRIMA TEMPESTAS IN CLASSEM CHRISTI

Perſequutio Eccleſiæ per Tyrannos & Hæreticos.

EST itaque curæ Cacodæmoni, vt quã primum Chriſti claſſis portum egreditur, ſæuiſſimam *Tempeſtatem* excitet, quâ, ſi non mergantur *Naues* omnes, quod tamen ipſe intendit, ſaltem ita diſſipentur, vt non facile iterum coire valeant. Profectò, vix nauigare cœperat *Claſſis* illa *Allegorica* Eccleſijs conſtans, quibus præſidebant Apoſtoli, & mota eſt *Tempeſtas* tam atrox, tam diuturna, tam continua, vt viderentur Naues omnes fluctibus obruendæ. Et quidem vna *Tempeſtas* excepit aliam, vſque ad vndecimam, poſt quam aliqua eſt orta tranquillitas. TEMPESTATES voco PERSEQVVTIONES, quæ Eccleſiam Chriſti infeſtarunt, quas numerare licet vndecim continuatã ſerie. *Prima* fuit ſub Domitio Nerone. *Secunda* ſub Domitiano. *Tertia* ſub Traiano. *Quarta* ſub Ælio Adriano. *Quinta* ſub M. Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Vero Commodo. *Sexta* ſub Septimio Seuero. *Septima* ſub Iulio Maximino. *Octaua* ſub Decio. *Nona* ſub Valeriano, & Gallieno. *Decima* ſub Aureliano. *Vndecima* ſub Diocletiano, & Maximiano, quæ fuit omnium grauiſſima. (*a*) De qua incredibilia penè ſcribit Euſebius (*b*) ac Nicephorus (*c*) hiſtorici. His *Tempeſtatibus* iactata quidem fuit Eccleſia diſperſæ, *Naues* aliquot, diſſipati in omnes mundi partes Chriſtiani: ſed non propterea vndis obruti, multo minus tota *Claſſis* periјt. Immò, inde animos ſumpſerunt peritiſſimi naucleri, vt ſerenato cælo alacrius nauigarent, & hoſtem perſequerentur. Quod factum ſub Conſtantino Magno, qui monſtratã ſibi diuinitus ad Rhenum, in his noſtris partibus (vt quidam probabiliter exiſtimant) CRVCE, Maxentij Tyranni copias, ad pontem Miluium collatis ſignis deleuit, & baptizatus à Silueſtro Pontifice Max. Imperium Romæ feliciſſimum, & Eccleſiæ vniuerſæ fauſtum obtinuit. Poſt quem non defuerunt aliæ *Tempeſtates*, (*d*) *Duodecima* ſub Iuliano Apoſtata, ac ſubſequentes aliæ, tum in Oriente, tum in Occidente. Sed multo maximæ ſemper, quæ etiamnum vigent ab hæreſiarchis excitatæ. At nullæ potuerunt Chriſti claſſem peſſumdare, nullæ Nauem Petri prætoriam ſubmergere.

Fluctuat, at nunquam mergitur illa Ratis.

Immò, aucta eſt & roborata ventorum iſtis concuſſionibus.

Hoc eſt, quod toties inculcant Patres, Eccleſiam perſequutionibus proficere. Ob quam cauſſam Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Perſequutionem Eccleſiæ Vineæ putationi comparat. *Vt enim*, inquit, *Vinea putatione ad vbertatem*

(a) *Niceph. l.* 7. (b) *Lib.* VIII. (c) *Libro* VII. (d) *Perſequutio* XII.

tatem prouocantur, ita Eccleſia perſequutionibus creſcit. Et Tertullianus in Apologetico eleganter. *Plures efficimur quoties metimur à vobis. Semen eſt Sanguis Chriſtianorum.* Ad quam ſeminis ſimilitudinem alludit S. Leo de Apoſtolis Petro & Paulo diſſerens, illamque multorum ſermone vſurpatam ſententiam proferens: *Non minuitur Perſequutionibus Eccleſia, ſed augetur: Et ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Eodem pertinet, quod ait S. Chryſoſtomus: (a) *Sicut plantæ rigatæ magis creſcunt; ita & fides noſtra oppugnata magis floret. Neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Eccleſia, ſi Martyrum ſanguine irrigentur.*

(a) *Serm. in Martyres Iuuentium & Maximum.*

MEMBRVM IV.

SECVNDA TEMPESTAS IN CLASSEM CHRISTI

Perſequutio Ordinum Religioſorum, per Tyrannos, Hæreticos, Maleuolos Falſos Fratres.

EODEM euentu Diabolus *Tempeſtatem* excitat in Claſſem illam, quam diximus eſſe ſubſidiariam Eccleſiæ, & vocatur Religioſus Ordo, vel Status, quæ tot conſtat nauibus, quot ſunt Religioſorum familiæ. Obſeruat autem Hieronymus Platus de Bono Status Religioſi diſputans, ſtatim, ac ſimul cum Chriſtianâ Religione, Monaſticam etiam diſciplinam „ propagari in mundo cæpiſſe: quod fuit „ aureo Conſtantini ſeculo, atque exilis „ latebris ac ſolitudine erumpere, in „ quâ per trecentos & amplius annos „ anteà penè delituerat, quoſcũque Dæ„ mon ſceleris ſui adminiſtros, nactus „ eſt, ad Eccleſiam perturbandam; eoſ„ dem etiam primò ac præcipuè in hanc „ *Claſſem* armaſſe atque incêdiſſe. Quod egregiè deducit Auctor ille præclarus ad noſtra vſque tempora, declarans, quid Iuliani aſtutia, Valentis furor, Conſtantini Copronymi barbaries, Leonis Armeni ſæuitia; quid in Angliâ, auorum æuo, Henrici VIII. inſania; quid in Galliâ Caluini vafrities; quid in Germaniâ Lutheri garrulitas; & ante hos quid in Bohemiâ Wiclefi rabies, quid ætate S. Hieronymi in Italia & tranſalpinis regionibus Iouiniani & Vigilantij improbitas attentarit.

PRÆTER hos iuratos Eccleſiæ ac Religionis hoſtes incitat immittitque Diabolus in hanc *Claſſem* frequenter, eiuſdem fidei conſortes, ſed malæ vitæ homines, ſimulatores, falſos fratres, immò domeſticos, qui poſt curioſiſſimam actionum, verborumque perſcrutationem Ordini detrahunt, Religioſorum vitam carpunt, falſa ijs imponunt, vera, erroreſque leuiſſimos exaggerant, ſicque bono nomini obeſſe conantur, certè, auctoritatem minuunt, atque in contemptum adducunt, tum Inſtitutum ipſum, tum illius cultores. Illud etiam obſeruatum à Viris harum rerum gnaris: nullum vnquam à DEO Religioſum Ordinem excitatum eſſe, cui in principio, vel antequam planè coaleſceret, vel paulò poſt, antequam robur adquireret, ab

anti-

antiquitate & auctoritate quæſitum, totus inferni exercitus ad turbandum, diſſipandum, & ſubmergendum, velut nouam contra ſe inſtructam *Claſſem* non conſpirarit.

Ad Societatem Iesv peculiariter ſpectat ſiue prædictio, ſiue monitum Martini Nauarri Azpilicietæ notiſſimi à doctrinâ & pietate Auctoris, qui cùm initio Societatis Salmanticam veniſſet, inuiſit Collegium, vbi Patres ſalutauit, dixitque debere ſe obedientiam, quam toti Societati detuliſſet ei quoque deferre Collegio. Tum piè omnes, deque genu complexus, ſollicitè monuit, vt Salmanticenſis Pariſiniique Collegiorum fundamenta quàm optimè conſtituerent; vt quæ vrbes veluti fontes quidam litterarum eſſent, quò externorum plerique confluerent. Cùm autem Ignatius contra Satanam eam inſtruxiſſet, ornaſſetque Classem, qua nulla maior vnquam eſſet inſtructa (ſic enim ille loquebatur) magnas Societatis Collegijs Domibuſque Tempestates non defuturas. Quod opinor, inquit Hiſtoricus noſter, (a) Vir eâ ſapientiâ modeſtiaque nequaquam comparandi gratiâ, niſi hactenus pronunciabat; quod Societas tota ad bellandum ipsâ in acie conſtituta eſt, & omnibus penè machinarum ac telorum genere vtitur. Nam idcirco aduerſus eam ipſe viciſſim teterrimus hoſtis pugnauit ſemper tam acriter, pugnabitque dum ſuum illa locum tenebit.

At iſtud conſtat tot ſeculorum experientiâ, malè periiſſe illos, qui Deo ſacratis familijs *Tempeſtates* iſtiuſmodi, inſtigante Cacodæmone, concitarunt. De quibus admiranda, horrendaque leguntur in ſingulorum Ordinum hiſtorijs exempla. Nimirum, vt Eccleſia Catholica, ita Ordo religioſus, ſubſidiaria illius cohors, eſt veluti cautes quædam Marpeſia, in quam fluctus, venti, procellæ, fulmen, fulgur, vno verbo, *Tempeſtas* qualiſcumque incurrere poteſt, mouere nequit: ſtat illa immota, ſed interim venti, fluctuſque franguntur, & iras fremituſque ſuos in ſe vertunt.

—— Vt praceps cumulo ſalis vnda minantes
In ſcopulos, & fracta redit ——

(a) *Orlandinus Hiſt. Societ. lib. 14. num. 74.*

Membrvm V.

Classis Cacodæmonis

Tempeſtate à Deo *immiſsâ, repentè perit.*

Contrario ſucceſſu excipit *Tempeſtas* claſſem Cacodæmonis, quam ille, vt Chriſtianam oppugnet, magno impetu immittit. Vix enim è portu egreſſâ, non ſolùm diſſipantur *Naues* per mutuam diſcordiam, inſectationes, rixas, prælia, verùm etiam ventorum in contrarium ſpirantium turbine ſcopulis præacutis & confragoſis impietatis illiduntur, vel malignitatis inſitæ concuſſione franguntur, vel vndis ſuperbiæ in cælum ſeſe attollentibus hauriuntur. Momentò penè

—— laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.

Non fuit vnquam diuturna hæreſis,

nec erit. Perierunt Ariani, Donatiſtæ, Pelagiani, Eutychiani, tot alij Eccleſiam Catholicam infeſtantes errorum proſeminatores: peribunt, nec dubitate, qui nunc æquore, vt putant ſibi fauentiore roſtratas ſuas impellunt, Lutherani, Caluiniani, Zvvingliani, Gomorriſtæ, Arminiani, & tot alia propudioſa capita. Illuceſcet ille mundo dies, quando confractis *Nauibus Claſſis Tartareæ*, nihil de illa, præter fragmenta, & diſſipatos aliquot aſſeres in pelago fluuitantes ſpectabimus. Erit tempus, cùm non erit Paganiſmus, Iudaiſmus, Mahometiſmus, Hæreſis, Schiſma, ſectæ erronum innumeræ ad *Claſſem* Cacodæmonis ſpectantes.

Tempestatem autem illam *Claſſi* huic exitialem Dominus ipſe immittit. *In Spiritu vehementi*, id eſt, per ventum vehementiſſimum, per procellam, per turbinem *conteres naues Tharſis*, canit Pſalmiſta. (a) Senſus eſt, inimicos tuos in *Claſſe* congregatos conteres, quomodo ventus validus conterit Naues Tharſis, nauigantes videlicet in Tharſum, in Ciliciam, in Indiam. Vel, non ſolum terreſtres aduerſariorum copias, ſed & claſſes maris tempeſtate conteres. Quod facit Devs aliquando tam ſubitò, vt dum inimici exiſtimant, deuictam penitus *Claſſem* Chriſti, ſuperatam Eccleſiæ prætoriam, ſe iam plenam obtinuiſſe victoriam, vt ipſimet ſatis admirari non poſſint, tam repentinam rerum conuerſionem. Scribit eleganter, vt omnia, Q. Curtius, quomodo Claſſem Alexandri ad Tyrum oppugnandam comparatam *Tempeſtas* crudeliſſima vexarit, & afflixerit. Vbi ad id, quod diximus, oculis penè ſubijciendum, in exemplo aliunde licet petito, eſt illud perquam accommodatum. *Iam naues vndique admouebantur, & Tyrij deſperatione torpebant, cùm ſubitò ſpiſſæ nubes intendere ſe cælo, & quicquid lucis internitebat, effusâ caligine extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paullatim leuari, deinde, acriore vento concitatum, fluctus ciere, & inter ſe nauigia collidere: iamque ſcindi cœperant vincula, quibus connexæ quadriremes erant, ruere tabulata, & cum ingenti fragore in profundum ſecum milites trahere. Neque enim conſerta nauigia vllâ ope in turbido regi poterant. Miles miniſteria nautarum, Remex militis officia turbabat: &, quod in eiuſmodi caſu accidit, periti ignaris parebant: quippe, gubernatores aliàs imperare ſoliti, tum metu mortis iuſſa exequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia claſſicis, perinde quaſi ſentiret remorum ictus, ceſſit, appulſaque ſunt littori lacerata pleraque.*

Nvmqvam Religioſis, nunquam Catholicis deſperandum eſt de victoria, nunquam diffidendum, nunquam de auxilio Dei opportuno, ſi Omnipotenti fidamus, & mandata eius ſeruemus, ambigendum. Etiamſi vincantur numero aduerſariarum *Nauium*, quamuis *Claſſis* contrariæ potentia penè cingantur, licet inimicus machinas omnes ſuas exoneret, ac impetum faciat, non eſt abbreuiata manus Domini. Nobis virium imbecillitate languentibus, & corpore penè proſtratis, ideoque propemodum deſperabundis, quanto magis confidentibus, ac in illo ſperantibus, ſubitò nubes ſpiſſæ ſolem aduerſarijs adimere poſſunt, lumen omne, etiam prudentiæ humanæ, eripere, oculos

(a) *Pſal.* 47. 8. (b) *Curt. lib.* 4. *cap.* 9.

culos mentis ac corporis caligine ignorationis inuoluere, quadriremes ipſorum, confœderationis impiæ vinculis colligatas diſſoluere; triremes ex hæreſi, politiciſmo, ac atheiſmo compactas diſſipare; ſpiritum pauoris ac vertiginis ijs immittere, turbare omnia, &, quod extremum malorum eſt, punctulo temporis *Claſſem* numeroſiſſimam mergere.

Membrvm VI.

TERTIA TEMPESTAS IN CLASSEM CHRISTI TENTATIO

A Carne. Mundo. Cacodæmone.

Porro, vt Chriſti *Claſſem* illam *Allegoricam*, quæ conſtat Eccleſijs, & alteram, compoſitam ex Religioſorum Ordinibus, primo ſtatim in mare excurſu, manet *Tempeſtas*, quam ſuperare neceſſe eſt; ita ea, quæ *Tropologica & Moralis* dicitur, eſtque hominum ad fidei puritatem, ac religioſæ diſciplinæ perfectionem proficiſcentium, immò, ex hominibus ipſis ad religioſam vitam aſpirantibus, tanquam *Nauibus*, compacta à nimboſa atrocique Tempeſtate, initio maximè, non eſt ſecura. Hîc autem *Tempeſtas* eſt *Tentatio* varia: exterior: interior: à carne, à ſanguine: ab amicis, conſanguineis, ſodalibus. Agatur Exemplis, vt res fiat clarior. Inijcit Devs alicui cogitationem ſeriam de emendandâ vitâ: nimirum, imprimis, quod omninò neceſſarium eſt ad ſalutem, vt *abundet Iuſtitia* eius, id eſt, ſit maior, perfectior, verior, quàm Phariſæorum & Scribarum; nempe, vt non ſit theatralis, ſcenica, palliata eius virtus & bonitas; ſimplicius, vt non ſit ſimulata, fucata, hypocritica; ſimpliciſſimè, vt ſit vera, ſolida, ſincera, Euangelica, Chriſtiana. Deinde, mouet fortiter ad deſerendam peſſimam conſuetudinem iraſcendi, conuitiandi, mentiendi, iurandi, blaſphemandi, peierandi, potitandi, pergræcandi, laſciuiendi. Præterea, exſtimulat ad colendam virtutem, temperantiæ, modeſtiæ, caſtitatis, humilitatis. Ad hæc, inflammat deſiderio frequentandi officia pietatis ſeriò & non perfunctoriè tantùm. Iam nauigare incipit, paratus ad præliandum cum Carne, Mundo, Cacodæmone conflictu nauali. Cùm ecce vix egredientem è portu in *Claſſe* inſtructiſſima deſideriorum & propoſitorum, *Tempeſtate* concitatâ, turbare conatur, &, ſi poſſit, planè ſubmergere áduerſarius. Qui arte, quâ pollet, interiora hominis, per exteriora commouendi, denſas nubes cogitationum moleſtiſſimarum de difficultate in iſto vitæ genere: de tædio ſuborituro ſi progrediatur, de iudicijs ſociorum, quibus cum agere conſueuit hilariter.

Hem, attende: nunquam miſcere ſermonem poteris, niſi cum metu, ne inpingas, ſi hanc tibi legem velis præſcribere. Si nunquam iraſcaris, habeberis ouicula mera, vilis, excors. Nunquam

licebit prouocare maledicum, nunquam colapho conuiciantem excipere, nunquam pugione minitari contradicenti, nunquam offerre duellum irritanti, nunquam *racha*, multo minus, *fatue*, pronunciare audebis. Si nunquam mentiaris, dum id diſſimulatio, iocus, ironia, amici commodum poſtulat; ſi nunquam iures, nunquam blaſphemes, vti es ſolitus, habeberis inurbanus, agreſtis, ſubruſticus, inficetus, cùm ſit hominis vrbani, lepidi, amœni, qui ſit ſocialis, non monachus, vel Stoicus auſterus, formulis illis vſitatis, & foro curiæque, immò, templis quoque donatis, per DEVM, per Animam, per Sacramenta, & quod minimum eſt, per fidem, vti in tempore: hominis generoſi eſt, dum quid adfirmat vel addicit, adiungere, diſperéam, ſi non ſit verum, Diabolus me abripiat, ſi id feci, Satan te inuadat, ſi hoc mihi facias: tonitru, fulmen, nimbus caput tuum petat, niſi abſiſtas. Itane, hoc eſt hominis generoſi & vrbani? eſt hominis Satanici; &, tam graue in Chriſtiano quolibet, vt mereatur, quod frequentiſſimè contigit, & ſunt nota huius rei exempla penè innumera, vt à Diabolo rapiatur, aut poſſideatur, qui Diabolum ſibi vel alteri fuit imprecatus. Si reus eſt gehennæ ignis, id eſt, ignibus inferni æternùm torquebitur, qui dixerit proximo ſuo, *fatue*, vt veritas ipſa teſtatur, non erit dignus infernalibus flammis, qui contubernali, ſocio, fratri, ſibi malorum ſummum, vt à Dæmone abripiatur, optat? immò, caput ipſe ſuum animumque deuouet? Cauete, Adoleſcentes, cauete, viri, cauete omnes Chriſtiani, ne quis ſit è vobis, in quo, quid ſit raptus ille, non Proſerpinæ, ſed ad Proſerpinam, exemplo doceatur.

IAM verò, ſpiſſantur magis nubes imaginationum obſcuriſſimarum, cùm de virtute colendâ deliberatur. Tu legem tibi imponas ſeuerioris vitæ in florenti ætate, adoleſcens, benè valens opulentus, nobilis, in tantâ commoditate iucundè viuendi, inter vtriuſque ſexus greges? Tu tibi fibulam in omnem poſthac ætatem ſubſtringi patiaris? Tu tibi neceſſitatem ſponte erges, nunquam delicijs fruendi, nunquam popinam ingrediendi, nunquam cum contubernalibus aleam iaciendi, comporandi, natandi, ſaltandi, aliaque quæ ſenſus ſuggerit, & voluptas, patrandi? DEVS æterne! quò progredior? Sed, an religio mihi ſit in ſinuare palam, ad cauendum, ad quod Dæmon inſtigat, vt fiat palam, ad irritandum? Poſt hæc, cùm de Pietate agitur, ſuggerit: Hanc viam ſi calcare velis, Sodalitij Mariani legibus, & piorum conſuetudini erunt mores tui conformandi: quot ſeptimanis de peccatis confitendum: ad ſacram ſynaxim frequentius accedendum; prius autem, ſi Euangelio velis obſequi, vt debes, à fratre, id eſt, proximo tuo, quem offendiſti, immò, qui habet aliquid contra te, venia petenda, certè, cum illo in gratiam redeundum. Nunquam in templo fabulandum; multo minus garriendum, ridendum, nugandum: nunquam ſub officio diuino curioſè reſpiciendum, multo minus, currendum, euagandum, iocandum. Non poteris abeſſe à Sacrificio Miſſæ diebus ſiue ſacris, ſiue profanis: non à concione Dominicis; non à po-

à pomeridiana Congregatione Partheniorum ſingulis hebdomadibus, etiam dum aura fauet, dum ſudum eſt cælum, dum amicus inuitat, dum popularis trahit, dum ambulatio arridet. Hoc eſt enim Pietatem voluntariè, non inuitè; ſponte,non coactè, liberè,non neceſſariò, vt ſeruum pecus, colere. Quàm autem tib. hoc erit iniucundum, graue, moleſtum? Hæc eſt procella cum grandine & fulgetris inanium apprehenſionum intermicantium, quâ egredientem è portu *Cliſſcis Animatam* aduerſarius vexare conſueuit.

Sed multo horribiliorem excitat, *Tempeſtatem*, cùm ex Seculi, non portu, ſed malè fida ſtatione quiſpiam nauigationem aggreditur, vt in alto Religioſi ſtatus, tanquã in æquore libero, cum Mundo, Carne & Dæmone certamen nauale ineat. Tũc enim in cerebro quaſi in aëre,

Tenebra conduplicantur, noctisque & nimbûm occacat nigror.

inuertuntur rerum imagines, & verborum formulæ. Quod in ſe eſt pulchrum, videtur eſſe deforme; quod dulce, amarum; quod molle, durum; quod facile, difficile; quod leue, graue: quod clarum, tenebroſum. Apprehenditur Monaſterium, vt Carcer: Collegium, vt Tullianum: Tyrocinium Ordinis, vt Sudatorium Laconicũ. Obijcitur menti cogitationibus atris, tanquam piceis nubibus inuoluta, ſolitudo Carthuſianorum, vt feratum latibulum: tegmen Sacrum Capucinorum, vt inuolucrum ad Crucem damnatorum: veſtis Ieſuitica, vt atratorum toga: Cappa omnis monachalis, vt ſaccus ergaſtulariorum. Occurrit animo hac turbatrice imaginum procellâ inhorreſcenti totum vitæ ſanctioris genus, tanquam inamænum, inhumanum, inciuile, ſilueſtre. Alia, ad huius tempeſtatis vehementiam ſpectantia indicat Papa Gregorius, cuius hæc eſt oratio (a) *In prima conuerſionis vice grauis mæror eſt, cùm ſua vnuſquiſque peccata conſiderans, curarum ſecularium vult compedes rumpere, & viam* Dei *per ſpacium ſecura conuerſationis ambulare, deſideriorum temporalium graue onus abijcere, & leue iugum Domini libera ſeruitute portare. Cogitanti enim iſta occurrit illa familiaris ſua delectatio carnalis, quæ inueterata dudum, quanto eum diutius tenuit, tanto arctius adſtringit, atque à ſe tardius abire permittit. Et quis ibi mæror, quæ anxietas cordis, quando hinc ſpiritus vocat, hinc caro reuocat: hinc amor noua conuerſationis inuitat, hinc vſus vetuſtæ peruerſitatis impugnat: hinc deſiderio ad cæleſtem patriam flagrat, & hinc in ſemetipſo carnalem concupiſcentiam tolerat, quæ eum etiam aliquo modo inuitum delectat.*

Verum quicquid dixeris, nulla verborum profluentia, nulla loquutionis, quamuis vehementiſſimæ energia ſatis exprimere poterit illam, quam ſenſu ſuo, atque experientiâ in ſe probant nonnulli *Tempeſtatem*, dum vela dant ventis, vt ad Religionem nauigent. Hic valet illud Iuuenalis:(b)

——— ——— Omnia fiunt
Talia, tam grauiter, ſi quando poëtica ſurgit
Tempeſtas. ——— ———

hoc eſt, omnia ita contingunt, quemadmodum à Poëtis referri ſolet, ſi quando ſæuam horridamque *Tempeſtatem* deſcribe-

Ll 3

(a) *Lib. xxiv. Moralium. cap. 7.* (b) *Satyr. 12.*

ſcribere ſolent: nam tunc exaggerationibus vtuntur hyperbolicis. Nimirum, cùm in deſcribendâ accuratiſſimè *Tempeſtate* ingenium exerceant ac deſudent, tum hiſtorici, tum rhetores & declamatores, eſt enim apud ipſos locus communis, palinam tamen refert Poëta. Quod probari facilè poſſet, conferendo illa, quæ profert eleganter Petronius, Curtius Liuius, & ex recentioribus, Oſorius, Maffeius, Turſellinus, cum ijs, quæ habent ad *Tempeſtatis* picturam, vt cerni videatur, immò, ſentiri quodammodo capiti incumbens, Homerus, Virgilius, Silius. Sed nullus Poëtarum exprimet *Tempeſtatis* illius vehementiam, quam qui ad virtutum Chriſtianarum apicem, & perfectionis religioſæ ſtatum contendit, egrediendo ſtationem, in qua eatenus egit, à Dæmone concitatam experiri cogitur. Felix ille, qui hanc *Tempeſtatem* ita excipit, vt velis remiſque minimè læſis, & ſaluâ, cum armentis, *Naui*, in portum Chriſtianæ perfectionis inueharur. Quod auditoribus lectoribuſque meis precor.

NOTÆ.

§. 1. TEMPESTATIS vis maxima.] Petronius. *Dum hæc talia iactamus inhorreſcit mare, nubeſquè vndique adducta obruere tenebris diem. Diſcurrunt nautæ ad officia trepidantes, velaquè tempeſtati ſubducunt: ſed nec certus fluctus ventos impulerat, nec quo deſtinaret curſum gubernator ſciebat.* Idem. *Quod omnibus procellis perículoſius erat, tam ſpiſſæ repentè tenebræ lucem ſuppreſſerunt, vt ne proram quidem totam gubernator videret.* Poſt nonnulla. *Peragit interim* Tempeſtas *mandata fatorum, omneſquè reliquias nauis expugnat. Non arbor relicta, non gubernacula, non funis, aut remus; ſed quaſi rudis & infecta materies ibat cum fluctibus.*

In Tempeſtate *omnia nautarum officia turbantur, vt in turbata acie, cùm ſibi quiſque eſt Imperator; gubernatores ipſi ſtupent.* Ouidius *lib.* 1. *Triſt. Eleg.* 3. & 2.

Nauita confeſſus gelidum pallore timorem.
Iam ſequitur victus, non regit arte ratem.
Rector in incerto eſt, nec quid fugiatquè petatquè
Inuenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

Nubibus terram ſimul
Pontumquè operuit,
Ruit autem è cælo nox. Canit Horatius lib. 1.

Q. Curtius *lib.* 4. *Subitò ſpiſſæ nubes intendere ſe cælo, & quicquid lucis intermicabat, effuſa caligine extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paulatim leuari. Legendi* Virgilius *lib.* 1. & 3. *Æneid.* Laërt *lib.* 2. Ouidius *lib.* 11. *Metamor.* Statius *lib.* 5. Valer. Flacc. *lib.* 1. Seneca *in Agamemn. act.* 3. Lucretius *lib.* 2. & 4. Cic. 1. *de Diuinat.* Homerus *Odyſſ.* 5. Oſorius *Hiſto. Indica* Apollon. *lib.* 2. Maffeius *Hiſt. Indica.* Horat. Turſellinus *Hiſto. Laert.* Herodotus *lib.* 7. *ſcribit Præfectos Xerxis triduana tempeſtate* 400. *naues amiſiſſe.* Nicolaus Orlandinus *hiſtoria Societ. lib.* 15. *num.* 124. *deſcribens naufragium miſerandum Andreæ Conſaluij, cum duobus ſocijs.* Idem *lib.* 11. *num.* 83. *narrat nauigationis pericula ac pietatem Patrum in Indiam euntium.* Petrus Iarricus *de rebus Indicis. Franciſcus Sacchinus in hiſtoria Societatis, apud quem legitur lib.* 4. *num.* 273. & *lib.* 6. *num.* 152. *naufragij triſtis deſcriptio, lib.* 5. *à num.* 256. *naufrago-*

fragorum miſera calamitas. Horribilis tempeſtas. & ex illa naufragium & calamitates ſubſequentes Emmanuelis Soſæ, & plurimorum aliorum eleganter & fusè deſcribuntur à Maffeio lib.13 hiſtor.Indic. Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ, verbo* Nauis, *recenſet Naufragia varia. Lepidum eſt illud Terentij Hecu.3.4.*

—— O Fortunate! neſcis quid mali
Præterieris, qui nunquam ingreſſus es mare.
Nam alias vt omittam miſerias, vnam hanc vide.
Dies triginta, aut plus eo, in Naui *fui,*
Cùm intereà ſemper mortem expectabam miſer
Ita vſque aduerſa tempeſtate vſi ſumus.

COMMENTATIO VIII.

PIETAS CHRISTIANA

Quædam neceſſaria, vt vel Tempeſtas ſe detur: vel, vt in Tempeſtate ſit tuta Claſſis, docet.

Facta eſt Tempeſtas magna in mari, & Nauis periclitabatur conteri. Ionæ 1.4.

Aſcendente Chriſto in nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli *eius. & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt* Nauicula *operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis IESVS: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò, homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Matth.VIII.23.24.

MEMBRVM I.

NAVIGATIO IN MARI

Periculoſa ſemper propter Tempeſtates.

QVI pugnaturus cum hoſte in pelago claſſem ventis committit, & remigio propellit in mare, mille ſe ſuoſque exponit periculis, cum nulla ſit in mari nauigatio ſine diſcrimine. Notum eſt illud Anacharſis, apud Laertium, (a) & Iuuenalem: (b) vectores tantùm quattuor digitis (quibus ſcilicet *Nauis mari* eminet) diſtare à morte, Bias nautam neque inter viuos numerabat, neque inter mortuos, teſte Platone in Axiacho. Vnde Cato de tribus doluiſſe dicitur: *Primum*, quod ſecretum ſuum reuelaſſet mulieri. *Secundum*, quod vel dies vnus ipſi per negligentiam abſque fructu effluxiſſet: *Tertium*, quod vnquam naui vectus eſſet eò, quò poterat pedibus proficiſci. Eadem tria Alexandro (c) tribuit Stobæus; Ariſtoteli Antonius in Meliſſâ; (d) niſi quod pro

(a) *lib.1.cap.9* (b) *Satyra 12.* (c) *Plutar. in vita.* (d) *par.1, Ser.17.*

pro ſecundo ponat; quod in vita hac tam caduca & incerta vel vnum diem manſiſſet inteſtatus. Antiqua eſt cantilena: Præſtat in terrâ pauperem eſſe, quàm diuitem, & nauigare. Quæ cauſſa? dabat etiam Pittacus, qui roganti, quid fidum eſſet? reſpondit, Terra, quid infidum? Mare. Pulchrum quoque fuit dictum Demetrij: Vitam ocioſam eſſe mortuum mare, ſed infidum; &, quod ſuperficie blandiatur, placidumque ludat: ſin remigio prouoces omni fera ſit immanius. Leodamas inde Homericus nil miſeriùs eſſe cenſebat, quàm virum fortem ponto exagitari. Callimachus verò dicebat, iucundiſſimum eſſe mare, ſed ſi quis illud de terra contempletur. Quod imitatus Horatius ſuadebat

Neptunum procul à terrâ ſpectare furentem.

Idcircò Lucretius lib. v. exiſtimabat aureo Saturni ſeculo non fuiſſe vſum *Nauis*, & quod inde conſequitur, nec nauigationis.

PORRO, periculorum omnium maritimorum cauſſa potiſſima eſt *Tempeſtas*, nubium, imbrium, ventorum, tonitruorum, fulminum, fulgurum, procellarum, quam horribile eſt videre in mari, & audire, cùm ſpeciem habeat perpetuæ noctis, ac tumultuum infernalium; ſed horribilius eſt illam perpeti. Quid poſſit deſcribunt, aut depingunt verius Poëtæ, quorum princeps in hunc modum. (a)

Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi, tum proram auertit, & vndis
Dat latus, inſequitur tumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent: his vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
In breuia & Syrtes vrget tres Eurus ab alto,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arena.

Alius breuiſſimè plurima complectēs: (b)

Fertur ab immenſo Tempeſtas horrida cælo,
Nigranteſque globos, & turbida nubila torquens
Inuoluit terras. ———

Iſtius modi *Tempeſtates* frequentiſſimè contingunt in mari, in quo nunquam eſt ſecuritas; vt ſtultus ſit, ac nullius experientiæ, qui aquis ſe committens, exiſtimet Oceanum nunquam reciprocis æſtibus, & procellarum tumultibus turbandum, ſemper fore alcedonia, molles ſemper Fauoniorum ſpiritus velum impleturos, & placidiſſimo murmure circumquaque ad voluptatem cuncta afflatura: nunquam videndas nubes flammeas, quæ atro horrore naues circumueſtiant, nullos fore imbricitores ventos, qui *Claſſem* impetant, aut infeſtent. Verùm nulla hactenus eſt viſa *Tempeſtas*, quamuis aliqua fuiſſet *Poëtica*, quæ comparari poſſit cum illa, quam excitat Cacodæmon, dum *Claſſis* Chriſtiana in mare excurrit, certamen initura nauale cum hoſtili nauium congerie: quod proximè demonſtrauimus. Sed manca & inanis fortaſſe eſſet omnis illa diſputatio, niſi præſcriberetur, quomodo *Tempeſtas*, quamuis vehementiſſima, ſit vitanda; quomodo, ſi vitari non poſſit, illi occurrendum: quomodo quilibet generoſus Miles contra illam armare ſe debeat. Quod hac Commentatione facere tentabimus.

AT, illud ſemper eſt memoria retinendum: *Claſſem* Chriſti eſſe triplicem: nempe, *Allegoricam*, conſtantem tot Nauibus, quot ſunt in Orbe terrarum Eccleſiæ, atque

(a) *Lib. 1. Æneid.*

(b) *Silius lib. 4.*

que hanc excipere *Tempeſtatem*, quæ vocatur *Perſequutio*. Alteram Claſſem *Tropologicam*, quæ non pauciores habeat naues, quam ſint Virtutes. Tertiam denique *Animatam*, in quâ *Naues* ſint homines, proficiſcentes ad portũ Salutis, per pænitentiã, emendationem vitæ, ſerium virtutis ſtudium, & Statum religioſum. Hanc autem & ſuperiorem *claſſem Tempeſtas*, quæ diſſipare conatur, dicitur *Tentatio*. Quæ quàm ſit horrida, incitata, vehemens in homine ad virtutem ſolidam adſpirante, & æternæ ſalutis auido, ſatis eſt in ſuperioribus demonſtratum.

MEMBRVM II.

DEVS SVPPLICITER INVOCANDVS *Ad Tempeſtatem Sedandam.*

QVÆ autem cum huiuſmodi Tempeſtate, & omni aliâ eſt pugnandi ratio, quæ illam euadendi? Sumi ea debet, tum ab vſu experientiâque Claſſiariorum, tum ex diſciplinâ militari naualium, ac in aquis prælianttium. Ex ea verò habentur varia, quæ ſparſa per ſacras profanasque hiſtorias collegi, & proponam ſigillatim: ſpondere autem non vereor, ſi adhibeantur pro temporum opportunitate, nullius in tanto periculo nauigium periturum. Imprimis eſt inuocatio ſupplex illius:

Vultu qui cælum, Tempeſtateſque ſerenat.

Is eſt DEVS, maris, ſoli, ſalique vndantis Dominus. Hic momento, ſi propitius reſpexerit, ſpiſſitudinem nubium facit rareſcere, nubila diſſipat, ventos continet, fulgetra reuocat, fulmina condit, pluuiam prohibet, procellã auertit, illuſtrat tenebras, diem inducit, ſedat fluctus, Zephyro vt leniter ſpiret, imperat, imbricitorem Caurum increpat, malaciam procreat. Hic ambulat ſuper pennas ventorum. Huic venti & mare obediunt. Ab hoc aëris pelagique eſt tranquillitas. DEVS ſi faueat, nulla Tempeſtas nocere poterit. Actuum Apoſtolorum XXVII. cùm Paulus prædixiſſet periculoſam fore nauigationem, & diſcedentes nihilominus eius comites ingentem *Tempeſtatem* paterentur, DEVS ipſum præſenti mortis periculo eripit, & propter eum vectores omnes, numero CC LXXVI. etiamſi infideles. Verè Poëta:

Fauente Numine nauiges vel vimine.

Nonne DEVS ſeruauit Noë iuſtum, per Arcam fluitantem, & ab omni plagâ tẽpeſtatibus incredibilibus impetitam in generali orbis cataclyſmo? nonne Ionam, cum facta eſſet tempeſtas magna in mari, per ventrem ceti? Memorabile eſt exemplum, quod graphicè depingit B. Paulinus tota epiſtolâ ad Macarium, vbi ſenem quemdam mirè à DEO fæda tempeſtate nauem inuadente, horrendo ereptum naufragio narrat, ſocijs omnibus, & carinæ retinaculis amiſſis. Simile eſt, quod S. Gregorius (a) commemorat de S. Maximiano Syracuſanæ vrbis Epiſcocopo, qui poſt tempeſtuoſum naufragium, nona die ſaluus cum vectoribus omnibus in portum, ſola naui merſa, Deo auxiliante peruenit. Eiuſdem patroci-

(a) *Lib. 3. Dialo. cap. 30.*

minnes auxilio, Maria Magdalena, & Martha eius ſoror, cum Lazaro fratre, ac ſocijs, à Iudæis, naui ſine velis ac remis impoſiti, fulminibus procellisque grauidas tempeſtates ſuperarunt, omnibusque ſaluis Marſiliam appulerunt. Audi Pſalmiſtam (Pſal. CVI.) *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt, quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

EN primum tempeſtatis auertendæ remedium, *Orare ad Dominum.* Quod vſurparunt etiam quamuis multis obcæcati erroribus Gentiles, aliquo tamen naturæ lumine perfuſi. Hinc inter alia ad *Tempeſtatem* auertendam, inuocabant Deos, vt appellabant, maris, & dies feſtos inſtituebant. *Hunc diem feſtum*, inquit Plinius, *tempeſtatibus leniendis ferunt inſtitutum.* Audi precantem: (a)

—— Hic pelagi tot tempeſtatibus actus
Heu genitorum omnis curæ caſusque leuamen
Amitto. ——— ——

Dij maris & terræ, tempeſtatumque potentes
Ferte viam vento facilem. ——

Cùm Ionas fugeret in Tharſis à facie Domini, datoque naulo deſcendiſſet in nauim, *Dominus miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri:* id eſt, putabatur ex alliſione fluctuum confringenda: vel, vt Hebræa ſonant, qui in naue vehebantur, exiſtimabant ſe ſtatim facturos naufragium. Quid fecerunt nautæ? *Clamauerunt viri*, inquit Diuinus Scriptor *ad Deum ſuum.* Erant enim in naui homines diuerſarum religionum, qui varios colebant Deos: quiſque ergo ſuum ſuæque ſectæ ac gentis DEVM, *Tempeſtate* imminente, ac ſæuiente, inclamabat. Chriſtiani quoque, orationes, ſupplicationes, ſacrificia, & æris campani ſacra prece conſecrati compulſationem, votaque DEO facta ad *Tempeſtates*, vel repellendas, vel mitigandas, nauigationis initio, vel iam inchoato curſu, & tempeſtatibus ingruentibus adhibent. Quo pertinet in Miſſali, *Oratio ad repellendas Tempeſtates*, & alia pro nauigantibus: item, Benedictio *Nauis nouæ* per orationem ad DEVM directam.

ITAQVE, ſi, dum vela ventis exponis, aut remigare incipis in pelago virtutis, dum ſeriò ſeruire DEO cogitas, dum vanitati ac mundo nuncium remittere, ingruant procellæ tentationum, ac perſequutionum, ſiue à carne, ſiue ab amicis, ſiue à Cacodæmone, recurre ad Dominum, illi ſupplica, illi moleſtias tuas detege, ab illo poſce auxilium, illius ſedulus opem implora: illi vocationem tuam commenda: illius afflatibus te accommoda: & non dubita, ſtatuet procellam in aurã, & ſequetur tranquillitas magna incredibili tuo cum gaudio. Audi, experientiâ haud dubiè condocefactum Papam Gregorium. (b) Quia *diuina gratia diu nos iſtis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum noſtrorum vinculis, citius nos ad libertatem*

(a) *Virgil. libro 3. Æneid.* (b) *S. Greg. lib. xxv. Moral. cap. 17.*

rem nouæ conuerſationis conſolando perducit, & præcedentem triſtitiam ſubſequens lætitia refouet: ita vt conuerſi vniuſcuiuſque animus eo magis ad votum ſuum perueniendo gaudeat, quo magis ſe pro illo meminit doluiſſe. Fit cordis immenſa lætitia, quia ei, quem deſiderat, iam per ſpem ſecuritatis propinquat. Vt rectè de hoc dici debeat (a) Deprecabitur DEVM, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo. *Vel certè*, liberauit animam ſuam, ne pergeret in interitum, ſed viuens lucem videret. Hoc docemur in Euangelio Marci VIII. ex quo habemus, Chriſto Domino curæ eſſe illos, qui ad ipſum confugiunt: *Cùm turba multa eſſet cum* IESV, inquit Euangeliſta, *nec haberent, quod manducarent, conuocatis Diſcipulis ait illis: miſereor ſuper turbam*: deinde prouidit ijs de panibus, ne deficerent, fame enecti. Sed *quibus impartitur alimenta?* inquit S. Ambroſius: (b) *non ocioſis, non in ciuitate, quaſi in Synagoga, vel ſeculari dignitate reſidentibus, ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum.* Quærentibus, deſiderio, oratione, ſuſpirijs: quærentibus clamore cordis & linguæ: quærentibus ex intimo affectu profuſis precibus.

(a) *Iob. 33.*

(b) *libro 6. in Lucam cap. 9.*

MEMBRVM III.

PATRONVS TVTELARIS ADSCISCENDVS

Contra Tempeſtatem.

NON eſt ſilentio prætereundum, quod in *Tempeſtate* Ionæ dicitur: *Clamauerunt viri ad* DEVM *ſuum*: Hebraicè *Vir* (a) nempe, quiſque, & diſtributionem ſignificat: quiſque igitur inuocabat DEVM ſuum, peculiarem aliquem, ſuæ gentis, ſuæ familiæ, ſui opificij. DEVS quidem Chriſtianorum vnus eſt, quem ſolum latriâ adorant: iuuat tamen plurimum adſciſcere Cælites tanquam Patronos peculiares; ex ijſque, vnum quempiã, quem quilibet tanquam Tutelarem ſuũ, Aduocatũ ſuum, Adiutorẽ ſuũ appellare poteſt, eumq́; in *Tempeſtate Tentationũ*, precibus ac votis ſolicitare, & DEI tranquillatoris per ipſum opem poſcere. Id Vos facere haud ambigo: & reor ſanè, neminem eſſe, ex Litteratorum illorum ſiue adoleſcentum, ſiue virorum numero, qui me audire ſolent, cui, præter Beatiſſim. Virginem MARIAM, quæ omnium eſt Mater, & Aduocata communis, & erga quam omnes tenerrimo affectu affici deberent, vt erga veram Matrem: ac præter Angelum Cuſtodem, quem nullus non, vt proprium curatorem, laterorem, Achatem, habere, amare, ac honorare debet: non ſit è Sanctorum cætu aliquis, erga quem ſentiat peculiarem affectum, & quem non colat, ac reuereatur, vt *Tutorem*, *Patronumq́ue* proprium. Quod vt faciant in poſterum, ſi eatenus ſit neglectum, etiam atque etiam ſingulis commendo. Et hoc ipſo die eligant ſibi aliquem, ad quem in omnibus vitæ neceſſitatibus, ærumnis, anguſtijs, conſultationibus de vitæ ſtatu, negociorum deliberationibus, vt conſulto-

(a) (איש &c.)

ſultorem & deprecatorem eximium adhibeant. Dici vix poteſt, quantum id conferat ad cæleſte auxilium, in procellâ aduerſitatum, in oppugnationum tumultu, in perplexitate conſultationum obtinendum.

Non fruſtrà Chriſtus in Euangelio, cum poteſtatis ſuæ eſſet, ſine vllius adiutorio vel interuentu, turbis ſequacibus cibum curare & apponere, tamen Diſcipulorum hac in re vti voluit, ſiue conſilio, ſiue miniſterio: Conuocatis Diſcipulis ait *Miſereor ſuper turbam*: &, vt apponeretur pabulum rogauit, quomodo tantæ multitudini ſubueniendum eſſet? vt ex ipſorum reſponſo colligitur. Nimirum, inſinuatur, DEVM, in beneficijs diſpertiendis, vti frequenter Diſcipulorum, aliorumque ſibi carorum operâ, ideoque ipſorum, vt amicorum Principis operam implorandam eſſe, eorũ patrocinio vtendũ, preces eorum poſtulandas, & noſtras ijs iungẽdas. Agnoſcant in hac re partẽ aliquã felicitatis ſuæ Sodales Parthenij, quibus vt nõ deſit ad omnia commoda & opportunitates, proprius negociorũ in Curia cæleſti Curator & Aduocatus, quot annis annuus, quot menſibus menſtruus, ſorte ductus diſtribuitur Diuorũ hoc titulo aliquis. Quod quantoperè iuuet ad expeditam rerum omnium tractationẽ in Sodalium conuentu eſt dicendi locus.

MEMBRVM IV.

PATRONI NAVTARVM INVOCANDI

Contra Tempeſtatem.

AT quis potiſſimùm in primo nauigationis periculo à Claſſiario noſtro fœdâ tempeſtate iactato erit appellandus? Vt perſonarum, ita & rerum, negotiorumque ſunt proprij Actores & Patroni in Cælo. Sic enim in cæleſti illâ Patriâ videtur geri res, DEO ſtatuente ad Sanctorum ſuorum gloriam, & mortalium conſolationem, vt Beati cum DEO regnantes his maximè auxilia impetrent, quibus cum in terris fuit aliqua ijs in ſimili viuendi genere conſociatio. Nimirum, Virgines virginibus, coniugati coniugatis, viduæ viduis, Milites militibus, Doctores Doctoribus. Prætereà, animaduertitur diuerſis rebus præſidere diuerſos. Quoſdam frugibus tuendis, alios animalibus à peſte tutandis, quoſdam hominibus captiuis redimendis, nonnullos Tempeſtatibus abigendis, & mari ſedando. Quid quod ſecundum membrorum in humano corpore varietatem, patrocinia diſpeſcamus? Et vni capitis, alij dentium, alteri oculorum, cuidam gutturis, alicui mamillarum peculiarem curam eſſe haud vanis indicijs colligamus? Denique, abſque omni ſuperſtitione Orthodoxi diuerſa à diuerſis expetunt, prout ea, à certi ordinis aut conditionis Sanctis exoraſſe, & conſequutos ſe eſſe experientia didicerũt, aut ab alijs ſunt edocti. Huius rei aliquod ſpecimen cernere licet in Euangelio (a). Siquidem Chriſtus D. non niſi per manus Apoſtolorum diſtribuit famem.

(a) *Marci* VIII.

famentibus panes. Nam gratias agens fregit, & dedit Diſcipulis ſuis vt apponerent. Quocirca, ſi qui ſaturati non fuiſſent, & eguiſſent pluribus panibus aliqui, ad Diſcipulos illi immediatè ſuum habuiſſent refugium, & ab ijs haud malè petiuiſſent ſubſidium.

IAM verò, loquendo de Mari & Nauibus propriè dictis, Claſſium ductores, nautæ, remiges, & quicumque in pelago nauigant Chriſtiani benè inſtituti, ortâ tempeſtate, poſt Virginem Glorioſam, quæ eſt STELLA MARIS inuocant è Cælitum numero aliquem cui cum aquis aliqua eſt cognatio. Quales ſunt S. PAVLVS qui die ac nocte in profundo maris fuit. S. CLEMENS merſus in mare, appenſa ad collum anchora. S. NICOLAVS qui in Palæſtinam profectus, vt loca ſancta viſeret, ac præſens veneraretur, cùm nauem conſcendiſſet ſereno cælo, & tranquillo mari, horribilem nautis prædixit tempeſtatem, moxque ortam, cùm eſſent omnes in ſummo periculo, orans mirabiliter ſedauit. S. FRANCISCVS XAVIER qui perpetua quaſi nauigatione immenſa Oceani ſpacia à Luſitaniâ in Indiam, Moluccas, Iaponiam, & Sinenſem portum emenſus ac remenſus eſt. B. HERMES vel TELMVS ſic enim vocatur à nautis *Telmus*, vel *Elmus* à lco: qui proprio nomine dictus fuit *Petrus Conſaluus* Ordinis S. Dominici, & ad cælos migrauit anno Domini M.CC XLVI. Cuius vitam & miracula ſcripſit Ferdinãdus Caſtiglius in hiſtoria S. Dominici. Horum ſtatuas aut imagines colunt peculiariter naucleri cultu Chriſtiano. Quod addo, quia damno gentilitium, quo idola colebantur vt Dij, quos Phæni-ces *Patacos* vocabant, teſte Heſychio, & collocabant in puppi idololatræ.

—— puppiquè recurua
Inſilit, & pictos verberat vnda Deos.

canebat Ouidius: (*a*) Magna fuiſſe ſimulachra indicat Perſius, qui

Ingentes in puppe Deos

nominat. Quò ſpectat, ex mente S. Chryſoſtomi, quod eſt Actuum Apoſtolicorum XXVIII. nauis illius in quo erat Paulus fuiſſe inſigne Caſtorum. *Caſtores* autem ſunt gemini fratres, *Caſtor* & *Pollux*, dicti quoque *Tyndaridæ*, quos nautæ venerabantur, quod per eos tempeſtates ſedari opinarentur.

—— Horum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor.
Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax (quod ſic voluere) Ponto
Vnda recumbit.

Occinit Lyricus, (*b*) qui hoc etiam prædicat:

Tyndaridæ Sidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

CHRISTIANI autem Cælites peculiares colunt, vt ſuos apud DEVM verum vnumque patronos & Aduocatos, idque eo in negocio, in quo ipſi dum mortales agerent, DEO ſeruientes, meruerunt, vt ſibi caris in ijſdem opitulari poſſint. Quãdo igitur vela explicas, vt ad Religionem ſacram nauiges, & oritur tempeſtas, inuoca aliquem illius Inſtituti Diuum: Si Carhuſiam cogitas, *Brunonem*; ſi Ordinem Prædicatorum, *Dominicum*; ſi FF. Minorum, aut Capucinorum, *Franciſcum*; ſi Carmelitarum, *Eliam*, aut *Thereſiam*.

SI, vt Tentationibus carnis reſiſtere poſſis, penituſque in te ſopire ſenſualita-

Mm 3 tis

(a) *Lib. 1. Triſt. eleg. 3.* (b) *Lib. 1. Carm.*

tis procellam ad caſtitatis decus aſpirans, venerare ſubmiſſe excellentiſſimos in eo genere, *Thomam Aquinatem*, *& Aloyſium Gonzagam*. Si vt innocentem, immaculatamque ducas vitam in ſolitudine, cole ſingulariter *Ioannem Baptiſtam*, qui

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens petebat,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

cuius ſanctiſſimi adoleſcentuli, cùm proxima feria tertia huius hebdomadis ſolennitas annua peragatur, erit ne adoleſcens vllus ex meis, qui illo die non peculiari cultu, & ad meliora affectu illud Adoleſcentiæ Chriſtianæ Sidus immortale honorabit?

* * *

MEMBRVM V.

IEIVNIVM ORATIONI COPVLANDVM

Contra Tempeſtatem.

PORRO, præter ſupplicationem, & Sanctorum patrocinia, adhibeatur in Tempeſtatis periculo Ieiunium; tum quia ſemper bona eſt oratio cum ieiunio; tum quia neſcio quid virtutis habeat contra *Tempeſtatem* ieiunatio. Actuũ Apoſtolicorum XXVII. fœdiſſimam Tempeſtatem deſcribit ſacer hiſtoricus, dicitque inſurrexiſſe contra *Nauim*, in quâ erat Paulus, ventum typhonicum, qui vocatur *Euroaquilo*, cumque ſpes omnis ſalutis videretur ablata, multam fuiſſe ieiunationẽ. Quam reor fuiſſe religioſam, & ieiunaſſe nauigantes, non tam ob metum, ac pauorem naufragij, qui homini cogitationem cibi, famemque adimit; & facit, vt non aliud, quàm periculum & mortem inſtantem cogitet, quàm ad placandum, & propitiandum DEVM; quem multorum, certè Paulo credentium fuiſſe finem non dubitarim. Gentiles quoque Deos ſuos ieiunio placare voluiſſe haud abnuerim. Certè, timentibus ſanguis intimas petens partes, famemq; xacuit, idcirco ad ſumendum cibum incitat: quare tunc abſtinere, carnis eſt DEO grata afflictatio. Scio tamen frequenter contingere, vt, per occupationes continuas, nauſeam, & impendentis mortis apprehenſionem vehementiſſimam, indeque metum horribilem ac ſtupidum, appetitus omnis comedendi ceſſet, nec libeat manum ad eſculenta extendere, aut os ad capiendum cibum aperire. Et quoniam bona eſt *Oratio* cum *Ieiunio* & Eleemoſyna, hæc quoque iuuat ad euitandam *Tempeſtatem*, vel mitigandam. Quod tunc declarabitur, cum de mercibus ex naui nimis onuſtâ proijciendis agetur.

MEM-

MEMBRVM VI.

CRVX

erigenda, reſpicienda, colenda, vt Nauis habenda.

CRVCIFIXVS IN NAVI ADORANDVS.

S. AVGVSTINVS conſiderans hominis per hunc Mundum, velut per Mare nauigantis calamitates, & inſurgentes ſæuiſſimas *Tempeſtates*, à perſequutoribus, & tentationum illecebris: *Quoniam*, inquit, *in tali itinere abundant fluctus &* Tempeſtates *diuerſarum tentationum*, *in* CRVCIFIXVM *crede*, *vt fides tua* Lignum (nempe CRVCEM) *poſſit aſcendere. Non mergeris, ſed* Ligno *portaberis. Sic ſic in huius Seculi fluctibus nauigabat ille, qui dicebat.* (a) Mihi autem *abſit gloriari, niſi in* CRVCE *Domini noſtri* IESV CHRISTI. Dum iubet fide *Lignum* aſcendere, nonne *Crucem*, vt *Nauem* concipit? quam ſi conſcendámus, tempeſtatibus non inuoluemur, nec mergemur. Aliud remedium contra perſequutionum & tentationum procellas à Cruce, & CRVCIFIXO, ita declarat, exponens Euangelium de Domino ambulante ſuper aquas. (b) *Dum ille* (Chriſtus) *erat in excelſo*, *nauicula turbatur fluctibus in profundo. Quia inſurgunt fluctus, poteſt ipſa Nauicula turbari; ſed quia Chriſtus orat, non poteſt mergi. Nauicellam quippe iſtam, fratres, Eccleſiam* (Animam, Iuſtum, fidelem quemcumque Chriſtianum) *cogitate: turbulentum* Mare *hoc* Seculum: *Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ poteſtatis perſequutionem indicit Eccleſiæ, & quantum in ipſo eſt, Chriſtianum nomen conatur extinguere, ſuper* Nauiculam *Chriſti grandis vnda conſurgit. Sed in his tentationibus erigatur antenna, vt ſuſpenſa arbore* CRVCEM *figuret. Hanc Chriſtianus reſpiciat, & non deficiat, quia ſicut dicit Apoſtolus Petrus*: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. *Dicit etiam B. Ioannes*: Sicut enim Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit; ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere. *Huic igitur Antennæ id eſt*, CRVCI *Chriſti ſimplex conuerſatio & pura Confeßio, tanquam candentia* Vela *religentur. Et* Vela *noſtra fluctibus abluantur, veſtiſque tendatur, vt ſine macula & ruga inueniatur Quantumlibet* Mare *ſæuiat, ventus incumbat, inter fluctus & fluctus* Nauis *iſta turbetur tantùm, non mergatur, & currit. Denique*, (c) *poſteaquam* Nauis *hæc ædificata eſt in Ieruſalem, atque inde in medium pelagi latius frementis remiſſa eſt, æſtuantium voluminæ vndarum, & furentium flabra ventorum, dum eam huc atque illud circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quocumque venit, inuexit. Quid enim tam peregrinum in terra noſtra, quàm per pænitentiam remiſſio peccatorum & Regnum cælorum?*

ITAQVE, ſi *Tempeſtates* inſurgant *Perſequutionum*, & *Tentationum*, non metuas, Virtute CRVCIS, quæ & *Nauis*, & *Malus*, & *Antenna*, & *Remus*, & *Clauus* eſt, pericula omnia euitantur, & monſtra ipſa marina profligantur. Aſpice CRVCEM, venerare CRVCIFIXVM, qui *Nauis* ſuæ, tum

anſ-

(a) *Serm. 2. de verbis Apoſtoli.* (b) *Serm. 14. in Matth.* (c) *Tempeſtas Eccleſiam vt Nauem propellit.*

animatæ, tum Eccleſiæ, eſt Gubernator. Hic iterum animat fideles, tanquam claſſiarios. Auguſtinus, (a) interrogans, vt eliciat timidi confeſſionem & reſpondens, vt reponat idoneam magiſtri inſtructionem. *Ad patriam quà ituri ſumus? per ipſum* Mare, *ſed in* Ligno. *Noli timere periculum,* Lignum *te portat, quod continet* Seculum. *Ergo attendite.* Hoc *Mare magnum* & ſpacioſum: ibi reptilia, quorum non eſt numerus: animalia puſilla & magna. *Noli timere, noli terreri: deſidera patriam, intellige peregrinationem. Illic* Naues *commeabunt. Ecce in eo, quod terrebat, commeabunt:* Naues *natant, & non merguntur.* Naues *Eccleſias intelligimus,* (& Iuſtorum animas:) *commeant inter tempeſtates, inter procellas tentationum, inter fluctus Seculi, inter animalia puſilla & magna. Gubernator eſt* Chriſtus in Ligno Crucis *ſuæ. Illic* Naues *commeabunt. Non timeant Naues, non valdè attendant vbi natent, ſed à quo gubernentur. Illinc* Naues *commeabunt. Quem commeatum reperiunt triſtem, quando Gubernatorem ſentiunt Chriſtum? Commeabunt ſecurè, commeabunt perſeuerantur: venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietu.*

(a) *Expoſit. in Pſal. xiii.*

MEMBRVM VII.

CRVX CARAVACENSIS

Tempeſtati abijcienda.

ITA ſenſit piè, ac prudenter FERDINANDVS BAVARVS Archiepiſcopus & Princeps Elector Colonienſis, qui idcirco per vniuerſam diœceſim *Cruces* plurimas iſtiuſmodi contra tempeſtates, fulgura & malignas Strygum machinationes erigi iuſſit. Sed in *Mari* potiſſimùm vim ſuam exerere, incredibile dictu eſt, quot, quàmue admirandis exemplis ſit demonſtratum. E rariſſimis vnum eſt, quod narrabat, Alfonſus Sanchez è Societate IESV redux ex Inſulis Philippinis. Cùm ex portu Acapulco nouæ Hiſpaniæ tres naues ſoluerent, vt per mare meridionale, *Sur* vocatum, nauigarent ad Inſulas Philippinas, adeò ſæua tempeſtas concitata fuit, vt naues duæ compagibus ſolutis demerſæ funditus perierint; tertia, quâ vehebatur ipſe, idem in fortunium expectarit. In tantis anguſtijs conſtituto ſubijt memoria CRVCIS cuiuſdam ſtanneæ quæ S. CRVCEM *Carauacenſem* attigerat, quam ſecum tunc geſtabat. Eam igitur de funiculo pendulam tradidit cuidam nautæ obijciendam fluctibus, quoties eos videret ad nauim allidi. Quæ tantam vim habuit, vt fluctuum quamuis ingentium impetus illicò frangeretur, & *Tempeſtate* paullatim ſedata, nauis lacera quidem, ſalua tamen Manillanum portum teneret.

ANNO M.D.XIV. Petrus de Portillo Carauacenſis Scriba publicus, vir amantiſſimus veritatis, ad ardua quædam negotia gerendam nouam Hiſpaniam miſſus, conſcendit *Nauem*, cui nomen & inſigne *Roſerij*, appulitque ad Inſulam Ganoſiam in prouinciâ de Honduras, quinto die Sept. Ibi tanta ventorum inter ſe pugnantium ſæuities extitit, vt neque

que vela nautæ colligere, neque aliud, niſi naufragium & mortem præſtolari poſſent. Venit ergo in mentem Petro CRVX *Carauacenſis*, quam nouerat in huiuſmodi procellarum, & turbinum diſcriminibus edidiſſe miracula, ideoque fiduciâ in DEVM fretus, vnam *Crucem* illius originariæ attactu conſecratam tradidit cuidam ex Socijs, vt funiculo alligatam in mare concitatum proijceret: proiecit & ſenſim malacia tempeſtatem excepit. Sub crepuſculum autem matutinum, CRVX, vt erat funiculo alligata, fulgore, inſtar ſideris, collucens, ſupra corbem ſummam reperta eſt. Gaudio igitur, & incredibili voluptate perfuſi vectores omnes diuinum beneficium deprædicarunt, & qui ſe iam inter mortuos reputabant, ſalui ad ciuitatem & portum Tonſillæ acceſſerunt.

IDEM Petrus de Portillo in die D. Martino Sacta ſoluit ex portu Campechiæ, qui eſt prouinciæ Yuacatan, nouam Hiſpaniam verſus, & conſcendit nauem onerariam, cui adiunctæ erant tres aliæ minores in curſus acerrimis tempeſtatibus concuſſæ. Ille memor prioris beneficij, quo tempeſtatem ſimilem ſuperauerat, CRVCEM iterum funiculo alligatam dedit nauarcho, vt in furibundum mare demitteret. Quo facto, poſt viginti duos nauigationis dies, quæ aliàs quattuor, aut quinque abſoluitur, inuecti ſunt tandem in portum S. Ioannis de Vlua. Ex tribus autem nauibus minoribus, duæ vorticibus hauſtæ perierunt, tertia intrauit eundem portum, rebus tamen omnibus guacuata. Quare inſtitit valde nauarchus, vt CRVCEM illam poſſet retinere precio quantouis oblato: ſed Petrus detrectauit, quod alia non ſupereſſet, & plures nauigationes cogeretur obire, antequam ad patriam nauigare liceret. Plura ſunt eius generis in hiſtoria de S. CRVCE *Carauacenſi*; è qua illud quoque habetur, quod noſtri eſt inſtituti, valere eandem CRVCEM contra *Tempeſtatem* internam in turbulento mundi Salo, pro nauibus animatis, cùm de conuerſione ad fidem, aut virtutum ſtudium agitur. Certè, *Zeit-Abuzeit* Rex Mahometanus, qui expoſcendo Sacrificium Miſſæ à Sacerdote Chriſtiano, occaſionem dedit CRVCIS *Carauacenſis* ab Angelis deportandæ, eius virtute paullatim, ſuperatis *Tentationum* procellis ad fidem capeſſendum fuit diſpoſitus: Sacro autem initiatus baptiſmo, cùm magnas pateretur perſequutiones à ſubditis, & grauiſſimè *Tempeſtatum* vi terris iactatus & alto, vagaretur exul, proprio expulſus regno, non ceſſit vexationibus externis interniſque, ſed CRVCIS Sacroſanctæ vigore animatus, neque à fide defecit, neque diffidentiâ victus ſpem depoſuit eluctandi; quare tandem manu armatâ regnum ingreſſus, illud coniuratis hoſtibus extorſit. Tum verò, CRVCIS virtute victor ac triumphator, abdicato penitus Regno, vt vitam ſuam omnem Chriſto tranſcriberet, ſeceſſionem delegit commodam, in qua vitæ, quod ſuperfuit, ad mortem vſque placidè traduxit, pietatis officijs intentus: ſapienter exiſtimans, quò à rerum terreſtrium curis eſſet expeditior, eo ſe faciliùs ad æternam fælicitatem peruenturum. En CRVCEM, vnam, cuius ſingulari præſidio, & *Tempeſtatem* in mari à fluctibus, ventiſque concitatam euadatis; & Tentationem acerrimam à nefarijs Spiritibus

immiſſam ſuperetis. Quare, vt vobiſcum ex ijs Crucibus aliquam circumferatis ſemper, ad vtrumque effectum conſequendum, ſuadeo.

MEMBRVM VIII.

CHRISTI PRÆSENTIA REALIS EVCHARISTICA

Nauem Tempeſtate iactatam liberat.

ERAT olim in vſu, à Pietate Chriſtianâ inductâ conſuetudine, vt ad nauigantium ſecuritatem contra *Tempeſtates*, ac naufragij pericula, curaretur in *Naui* realis Chriſti D. præſentia quam continet *Panis Eucharisticus* conſecratus. Quare Chriſtiani, antequam mari & aquis ſe committerent, Sacram Synaxim ore ſumebant, vt communicantes ſolent, & Hoſtiam conſecratam in purâ Sindone inuolutam ſecum deportabant, vt præſens ſemper ſit, cui venti & mare ad nutum obediunt. Quàm id vtile nauigantibus fuerit, exempla docent, quorum quæ ſelectiſſima ſubnecto.

DE SATYRO fratre ſuo hæc refert S. Ambroſius in oratione funebri: Priuſquam perfectioribus initiatus eſſet myſterijs, in naufragio conſtitutus, cum ea, qua vehebatur, *Naui*, ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterio exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum popoſcit, non, vt curioſos oculos inſereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit collo, atque ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſolutâ tabulam, cui ſupernatans iuuaretur, quia fidei ſolius arma quæſierat. Itaq; his ſe tectum atque munitum ſatis credés alia auxilia non deſiderauit; ſimul & fortitudinem eius ſpectare licet, qui fatiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis ex ſeipſo adminiculum ſuæ virtutis adſumpſerit. Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio, denique, primus ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, Præſulem ſuum, cui ſe crediderat, recognouit, ſtatimque, vbi etiam ceteros ſeruulos ſuos, vel ipſe liberauit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amiſſa deſiderans, DEI Eccleſiam requiſiuit, vt ageret gratias liberatus, & Myſteria æterna cognoſceret, pronuncians, nullum referendæ gratiæ mauis eſſe officium. Quod ſi homini non referre ſimile homicidio iudicatum eſt, quantum crimen eſt, non referre DEO?

NEQVE hoc ſilendum fuit, inquit D. Gregorius, quod omnipotens DEVS ſuper MAXIMIANVM famulum ſuum nunc Syracuſanum Epiſcopum; tunc autem mei Monaſterij Patrē, dignatus eſt monſtrare miraculum.(a) Nam dum iuſſione Pontificis mei Conſtantinopolitanæ vrbis palatio reſponſis Eccleſiaſticis deſeruirem, illuc ad me idem venerabilis Maximianus caritate exigente cum fratribus venit. Qui cum ad Monaſterium meum Romam veniret, in mari Adriatico nimiâ

(a) S. Gregor. lib. 3. Dialog. Cap. 36.

miâ *Tempeſtate* deprehenſus, (a) inæſtimabili ordine, atque inuſitato miraculo erga ſe, cunctoſque ventorum nimietatibus eleuati fluctus ſæuirent, ex naui clauis perditis arbor abſciſſa eſt: vela in vndas proiecta, totumque vas nauis quaſſatum nimijs fluctibus ab omni fuerat ſua compage diſſolutum. Rimis itaque patentibus intrare mare, atque vſque ad ſuperiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam *Nauis* intra vndas, quàm vndæ iam intra *Nauem* eſſe viderentur. Tunc in eadem *Naui* reſidentes, non iam ex morte vicina, ſed ex ipſa eius præſentia, ac viſione turbati omnes, ſibimet pacem dederunt, Corpus & Sangvinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes; vt eorum animas benignè ſuſciperet, quorum corpora in tam pauida morte tradiderat. Sed Omnipotens Devs, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabilius ſeruauit. Nam diebus octo nauis eadem vſque ad ſuperiores tabulas aquis plena iter proprium peragens enatauit: nono autem die in Cothronenſis Caſtri portum deducta eſt, ex quâ exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro *Maximiano* nauigabant. Cumque poſt eos, ipſe quoque eſſet egreſſus, mox in eiuſdem portus profundum *Nauis* demerſa eſt: ac ſi illis egredientibus, præpondere ſubleuatione caruiſſet, & plena hominibus, quæ plena hominibus in pelago aquas portauerat, atque natauerat: *Maximiano* cum ſuis fratribus recedente, aquas ſine hominibus in portu non valuit portare: vt hinc omnipotens Devs oſtenderet, quia hanc onuſtam ſuâ manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua & derelicta ſuper aquas non potuit manere.

Magis admirandum eſt, quod narrat Hiſtoria Anglicana de S. Byrino viro Apoſtolico. (b) Is ad littus freti Britannici aſcenſurus *Nauem*, poſtquam Diuina celebraſſet Myſteria, ſuis ſibique viaticum parans ſalutaris Hoſtiæ pia libamina Deo obtulit. Vrgente verò nauigationis articulo, ad *Nauem* feſtinans fuit introductus; & inſurgente vento, dum alta ſulcarent pelagi, reminiſcitur Byrinus, ſe rem præcipuè caram amiſiſſe, & nautis vrgentibus impeditum in littore, vnde abſceſſerat, reliquiſſe. Dederat enim ei Honorius Papa pallam, ſuper quam Corpus Chriſti conſecrabat, & in qua Corpus Dominicum inuolutum, & ad collum ſuſpenſum ſemper ſecum ferebat: atque inter ſacranda ſacroſancta Myſteria ſuper ſanctum Altare ponere conſueuerat. Fide igitur armatus in mare deſcendit: Devm auctorem habens, per mare ſecurus incedit; & recepto quod reliquerat, ad *Nauem* regreditur: offendit autem illam quaſi immobilem ſtantem, cùm paullò ante per vndas maris velociter currentem reliquiſſet. Vt autem in eam ingreſſus eſt, nec vna quidem in eius veſtimento aquæ gutta deprehenſa eſt. Id nautæ videntes, flexis genibus, tanquam Devm, eum adorauerunt, & complures ex eis ad fidē Chriſti, prædicante illo Regnum, Verbumque Dei conuerſi ſunt.

Hæc ad annum Chriſti DCXXXV. referens Cæſar Baronius, adiungit: *Vides perſeueraſſe hactenus apud fideles valdè pios priſtinum iſtum morem, qui à S. Ambroſio deſcribi-*

Nn 2

(a) *Tempeſtatem patitur.* (b) *Beda Hiſt. Angl. lib. 3. cap. 7. Sur. 3. Decemb.*

ſcribitur in funere Satyri fratris, portandi ſcilicet in itinere terrâ mariquè Sacro-Sanctam Euchariſtiam *ſudario inuolutam*. Monet autem idem: piam illam conſuetudinem ſicut feruens religio introduxit, ita & religionem æquè ſanctam ſubduxiſſe. *Suadebat illud tunc fides, quod poſtea reuerentia diſſuaſit. Vtrobique commendandi fideles, ſicut in vtroque apparet Apoſtolorum prædicata fiducia, & commendata modeſtia: ſiue cùm nolunt ad momentum carere Chriſti* præſentia Ioannis VI. ſiue, vt fecit Petrus, repellendo eum à ſe, cùm dixit: *Exi à me quia homo peccator ſum Domine*, Lucæ V.

VERVM quamuis reuerentia erga Chriſti Domini Corpus, exigat, vt non deportetur ad collum, vel de ceruice ad pectus; neque conſecretur in *Naui* ob periculum effuſionis ſpecierum Sacramentalium, & *Sanguinis Dominici* propter fluctuationem, ideoque contra *Tempeſtatem* exteriorem non ſemper poſſit eſſe vſus *Præſentiæ realis Chriſti*, quoad Humanitatem; tamen in nauigatione metaphoricâ, de qua nobis eſt ſermo, dum vitæ mortalis pelagus ſulcant *Naues animatæ*, homines, & inſurgit *Tempeſtas* perſequutionis ac tentationis, contra DEI vocationem, contra vitæ morumque emendationem, contra religioſæ diſciplinæ perfectionem, conandum eſt, vt in *Naui animatâ* non deſit opportunis temporibus *Corpus Dominicum*, per realem ſumptionem, quâ in pectore recondatur, ibique per memoriam viuam iugiter conſeruetur. Quocirca, cùm de Status mutatione agitur, & *Tentationes* inſurgunt graues, à Satana, Carne, & Sanguine, à Sociorum blanditijs, à Mundi illecebris, à prauâ, & inueteratâ conſuetudine, optimum remedium eſt ad diſſipandas, aut ſopiendas *Tempeſtates*, Realis Domini Præſentia, per Sacram Communionem; cuius tempore potiſſimùm Adoleſcentes dum varijs agitantur contra perfectionem cogitationibus: commendent ſe feruenter *Præſenti* ſibi *Domino*, per ſuauiſſimas aſpirationes, dulciſſimas colloquutiones, incitatiſſimas, & humillimas ſupplicationes, nec magnoperè ambigant de ſedanda *Tempeſtate*, & ambulatione ſuper fluctus tumultuantes ſicco veſtigio.

MEMBRVM IX.

RELIQVIÆ SANCTORVM

Tempeſtates in mari ſedant.

HOc quoque remedium offert Chriſtiana Pietas, quod exemplis facilius ſtabilitur & efficacius, quàm multiplicatis rationibus: recentiâ aliquot accipite, id eſt, vnius ſeculi. (a) Primum ſit domeſticum, à Patrona Colonienſium, Martyre Colonienſi VRSVLA, Principe Vndecim millium Virginum. ANNO M. D. XLVIII. cùm ſtrenuè laborarent Patres Societatis apud Indos, ad conuertendas, &, quò tendunt omnia ſtudia noſtra, ad ſaluandas animas fidelium ac infideliũ, quia penuria erat operariorum pro vinea Domini, quæ pluribus indi-

(a) *Nicolaus Orlandinus lib. 8. hiſt. à num. 119.*

indigebat ad culturam, ecce tibi, ad ſeptimum Idus Octobris *Nauis* appellit, Sociorum vehens ſubſidiarias copias, præter ſpem omnem, nec ſine prodigio. Deferebat ea ſecum vnius Virginis *Caput* ex ſancto VRSVLÆ comitatu, cuius præſentiſſimam vectores opem in ſuis perſpicuò periculis ſunt experti. Cùm enim ventorum impulſu in arenam & Syrtes propè Mozambicum inuecta *Nauis* eſſet, excuſſoque gubernaculo, omnem ſpem ſalutis abijcerent, ea, quam dixi, *Virgine* perpetuis gemitibus imploratâ, incolumes ex illis Syrtibus emerſerũt. Verùm, quùm in repoñendo, clauo, qui reuulſus erat, diu multùmque nautæ deſudaſſent, & ad extremum, vnà cum perficiendi ſpe, conandi quoque animum abieciſſent, cunctis alto mærore proſtratis, Sacrum *Caput* proferens Sacerdos: Tentate, inquit, idipſum denuo in huius Sæ. Virginis & Martyris nomine, & pro comperto habete, eam vobis alterum de duobus impetraturam, vt vel ſuo loco gubernaculum collocetur, vel ſine clauo proueha-mur in portum. Mira res, nautæ cùm paruiſſent, ſtatim ſuo loco gubernaculum collocarunt. Id poſtea *Cranium* à Prætore, & Epiſcopo, ceteraque nobilitate ingenti pompâ religionis exceptum ad Societatis IESV templum ipſo Sanctarum (a) Virginum natali die delatum eſt: ex eoque tempore cæpit *Vndecim Millium Virginum* nomen toto Goa celeberrimum eſſe, & dies earum natalis apparatu magnificentiſſimo, & gratulatione maxima coli. Vt ſcribit Hiſtoricus Societatis. Ex quo aliud eiuſdem generis ſubiungo.

ANNO M.D.LII. cum *Franciſcus Xauerius* ad Sinas tenderet cum Socijs, medium ferè iter Malacenſe emenſos fæda tẽpeſtas adorta eſt. Cuius horrore perſtrictos æquè nautas atq; vectores, *Xauerius* ſereno vultu, ſermoneque confirmans, & effuſos ploratus inhibens puppim ſcãdit, ſacrorum *Cinerum* thecam linea ſuſpenſam, Vnius Triniue DEI Nominibus inuocatis, eiaculatur in fluctus, ruſuſque ad preces, & ad expiandos confitentium animos ſub tabulata ſuccedit. Intereà è ſacris illius thecæ contactu tumidum mare deferbuit; ventus remiſit, & tempeſtate commutatâ, læta tranquillitas remeauit.

NON minus autem Cælitum Exuuiæ in terris relictæ ſedant Tempeſtatem, quam in animo excitat *Tentatio* ad virtutis religioniſque perfectionem tendentibus, quàm illam, quæ in mari à ventorum concertantium impetu inductam naues infeſtat. Quare hoc quoque remedium adhibendum eſſet. Ac, ne longè quæratur, auctor ſum omnibus, vt hierothecam Reliquiarum Sacrarum à collo dependentem geſtent, neque vnquam ſeponant, memores in eâ reconditum eſſe certiſſimum contra grauiſſimas tentationes ſubſidium. Et cur non Colonienſes quotieſcumque Tempeſtatem ſpiritualem contra caſtitatem aut vitæ ſacratioris inſtitutum inſurgere animaduertunt, ad *Reliquias Vrſulanas*, quas apud ſe habent tanto numero, confugiant, & Sanctiſſimis Virginibus ſuam apud DEVM vocationem commendent? cùm illas ſciant peculiari ratione maris tempeſtuoſi eſſe tranquillatrices. Multos ſanè in vtroque

(a) *Orland. lib. 14. à num. 87.*

ſexu à grauiſſimis in fluctuatione periculis, illorum patrocinio ereptos, & ſummam animorum tranquillitatem ſerenitatemque conſequutos, non dubitamus.

MEMBRVM X.

CLAVI CHRISTI CRVCIFIXI

Tempeſtates leniunt, & auertunt.

INTER Reliquias, quæ contra *Tempeſtatẽ* plurimum poſſunt, ſunt CLAVI ferrei, quibus Sacratiſſimæ Redemptoris Noſtri Manus Pedeſque ſunt transfixi. Eos, tradit Metaphraſtes *(a)* Virginem DEIPARAM, quæ filio patienti ſummâ animi, conſtantiâ ac pietate adſtiterat, manibus pedibuſque abſtractos, in ſinu abſcondiſſe, & conſeruaſſe, quàm diu licuit. Ceterùm, impietate cùm Iudæorum, qui Chriſto omnem gloriam inuidebant, tum Ethnicorum, etiam ſacra hæc Dominicæ Paſſionis Inſtrumenta in locum abſtruſum, ne vlla à Chriſtianis impenderetur veneratio, reiecta fuerunt. Sed poſt duo, & quod excurrit, ſecula, *(b)* D. Helena Conſtantini mater, poſt inuentam CRVCEM, etiam ad CLAVOS quærendos animum adiecit: *quæſiuit*, inquit Ambroſius, *& inuenit* (c). Et quidem de vno *Clauo* frenos fieri præcepit, *Alterum* diademati intexuit: vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit: miſitque filio ſuo *Conſtantino* & diadema & frenum, qui vtroque vſus eſt: (d) *Tertium* refert Gregorius Turonenſis, iuſſu Helenæ, proiectum in mare Adriaticum, quod antea vſque adeò fuerat tempeſtuoſum, vt vorago nauigantium diceretur, ob quotidiana naufragia: fuiſſe autem ſæuas fluctuum commotiones compreſſas, poſtquam hic *Clauus* iniectus fuit, idem Turonenſis affirmat. Qui de *Quarto* etiam tradit: nam *Quattuor* fuiſſe probabile eſt, & antiquæ *Crucifixi* imagines repræſentant: illum in galeâ ſtatuæ Conſtantini poſitum, aut coronæ cuius apex *Claui* protuberatione fuerit ornatus. *(e)*

O! ſi nobis vel in mari nauigantibus, vel in mundo fluctuantibus, ad manus eſſent *Claui*, quibus Dominus maris fuit confixus, non eſſet opus aliis ad placandum pelagus, aut cohibendam Tempeſtatem Reliquijs. Sed quoniam ea nobis non obtigit felicitas, affectum ſaltẽ erga *Inſtrumenta* illa *ſacra* excitemus, & eo inſurgentes in nobis tumultuantes cogitationum, & tentationum, perturbationumque procellas componamus.

(a) *Baronius Tomo* 1. *Anno* 34. (b) *Anno* 236. *Baro. to.* 3. (c) *Orat. in funere Theod.* (d) *De glor. Martyr. cap.* 6. (e) *Zonaras par.* 3. *Annal.*

Membrum XI.

AGNI DEI CEREI BENEDICTI

Tempeſtatibus opponendi.

Svmmvs Pontifex, primo ſui Pontificatus anno, & quolibet deinceps ſeptennio conſecrare ſolet ſolemni benedictione *Orbiculos* quoſdam *cereos*, quos à figurâ impreſſâ vocant Agnos Dei, adhibito ſacro chriſmate, multiſque inſignibus ceremonijs. Multa autem precatur à Deo concedi illis, qui animo deuoto hos *Orbiculos* conſecratos penes ſe habent, aut ijs vtuntur terrâ mariſque. Cuius oratio tanto maioris momenti eſſe debet, quanto eius officium eſt in Eccleſiâ ſublimius, Chriſtoque conuenientius. Vnde non raro mirabiles effectus non ſine miraculo diuino ſequuntur, maximè, vbi quis eximia fide & deuotione præditus ſummi Sacerdotis benedictionem & Dei promiſſionem, quæ oranti Eccleſiæ auxilium addixit, intuetur. Quæ autem in conſecratione petuntur ſunt plurima, ſed ad inſtitutum noſtrum hæc potiſſimum; vt valeant à piè vſurpantibus contra omnem *Tempeſtatem* maris, & terræ, contra fulmina, grandines, ventos noxios, pluuiam, contra tonitrua, malos Spiritus, qui ſunt procellarum, ceteraque in mari præſentem mortem intentantia. Itaque ſuadendum eſt omnibus, vt nunquam mare ingrediantur, ſine amuleto iſto cæleſti. Quod ſi alio modo cohiberi non poteſt Tempeſtas, quàm iactu in aquas, non cenſetur contra reuerentiam ſacris iſtis ſphærulis debitam, ſi in fluctus iactentur; ſicut neque ſi inijciantur in ignem pro incendio exſtinguendo.

Sed multo certiores effectus habent hæ conſecratæ plagulæ, dum interius in animo furit tempeſtas tentationum; dum Dæmones illuſionibus & præſtigijs pacem interiorem turbant, denique, dum *Nauis animæ* inter fluctus diſtrahentium cogitationum penè mergitur. Quocirca à teneris aſſueſcant adoleſcentes *Agno Dei cereo*, verum *Agnum* peccata mundi repræſentante munire pectus, vt nullis cedant à tentatoris tartarei excitatis in anima procellis. Atque hactenus quæ adducta ſunt in medium ſuggerit Chriſtiana Pietas, tanquam, vel neceſſaria, vel vtilia admodum contra tempeſtatem in mari magno nauigantibus, ac pugnaturis. Sunt alia ijſdem vſurpanda, quæ in ſequentibus explicabuntur.

NOTÆ.

§. I. Navigatio in mari periculoſa.] *Iuuenal. Satyr. 12.*

I nunc & ventis animum committe dolato
Confiſus ligno digitis à morte remotus
Quattuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Anacharſis cuidam roganti, vtrum arbitrare-

traretur, plures eſſe mortuos, quàm viuos. Nauigantes, inquit, in vtro numero ponis? indicans tam eſſe periculoſum nauigare, vt dubitari poſſit, an nauigantes inter riuos ſint habendi, cùm vitam vndarum & ventorum arbitrio permittant. Laërt. lib. 1. cap. 6. Hoc adſcribit Laconi cuidam Plutarchus.

Hinc deteſtatio eius qui primus nauigationem inuenit vel inſtituit apud Poëtas frequens. Horat. 1. Car. 3.

Illi robur & as triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus: nec timuit præcipitem Africum
Decertantem *Aquilonibus,*
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti. Iterum.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Nec aliter *Seneca* Med. Act. 2. & aculeatè *Claudianus* in præf. 1. de raptu Proſerp. Carmina leges in Theatro, *Ver.* Nauis. §. Artis nauigandi inuentio.

§. II. Devs inuocandus.] Deo *auctore, fautoreque nauigant Sancti, tempeſtate omnia turbante ſine remis, velis, & gubernaculo, etiam fractis nauibus. Arca* Noë, *nutu* Dei *ſine remo, velo, gubernaculo* Tempeſtate *omni fuit ſuperior. Multi Sancti à tyrannis impoſiti fractis ac dehiſcentibus nauibus, oratione fuſa,* Deo *ducente ad portum peruenerunt. Immò, aliqui* Dei *ſerui neceſſitate compulſi ſeſe naui ſine vllo inſtrumento commiſerunt, tanta illis erat in Dominum maris fiducia.*

S. Avdomarvs *Morinenſis Epiſcopus, & collega eiuſdem, cùm cœnobium extruxiſſet incommodum, vt commodior locus quæreretur, conſtituit eſſe trajciendum ſtagnum, quod maritimos æſtus imitabatur; iubenti obſequuti ſunt commilitones, nauigium que ingreſſi ſine remige, ſine vllo nauigandi perito, ſolis orandi & pſallendi opera intenti ſtagnum traiecere, & locum perопportunum,* Deo *adſpirante inuenere.* Folcardus Bertunenſis apud Surium Sept. 4.

S. Hyacinthvs *Polonus Vandalum fluuium propè Viſegradum aquis redundantem,* Devm *aduocans nullo nauigio vſus, traiecit: Socijs quoque, expanſo ſuper vndas pallio traductis. Ita ſuccinctè Breuiarium Romanum* xvi. *Auguſti. Maiorem admirationem parit, prout legitur in eius vita: Cùm Tartari Ruſſiam & Voliniam popularentur ipſe Kiouiæ agebat, & ingreſſo in templum loquuta eſt imago* B. M. V. Cur me Hyacinthe ſolam relinquis? cur ludibrio Barbarorum exponis? cur tecum me & filij mei Sacramenta non effers? *His admonitus Sacerdotis habitu indutus, alterâ manu Sacram Hoſtiam, alterâ verò prægrandem ex alabaſtro B. M. V. ſtatuam apprehendit, & nullam inueniens nauim Boriſtenis aquis ſe commiſit, ac ſicco veſtigio ingentis iconis pondere onuſtus profundiſſimum flumen traiecit, ac tandem Cracouiam peruenit incolumis, cùm prius in itinere Moſcouiæ fines Senerienſes, Lithuanos, Liuones, Samagitas, & Prutenos fidem Chriſti docuiſſet.*

Eiuſdem Ordinis ſacri, nempe PP. Prædicatorum, fuit S. Raymvndvs Pennafortius Barcinonenſis, *qui, cum eum nulli nautæ in ſuas naues recipere vellent, vnius in auxilium aduocati* Dei *ope fretus in mare deſcendit & fiducia plenus, extenſo ſuper aquas pallio, eiuſque ora, inſtar veli reducta ad baculum, quo tanquam malo vteretur, Signo* Crvcis *munitus, mari ſe commiſit, ac centum ſexaginta milliaria ſex horis confecit. Auctum miraculum, quia pallium ne quidem aquâ tinctum erat: cuius hodie contactu varij morbi ſanantur.* Ex Bulla Canonizat. à Clemente viii. facta Anno 1601, 29. April. *Maius hoc eſt,*

quàm

quam quod in Troglodytis mirata eſt antiquitas habere [illegible] meries per vaſtiſſima maria ratibus, quas neque gubernacula regant, neque remi trahant, vel impellant: quos neque ratio [illegible] aduertit, ſed omnium inſtar ſit homo & audax. Plinius lib. XII. cap. 19.

§. II. ORATIO ad repellendas tempeſtates.

A domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Pro nauigantibus.

DEVS qui tranſtuliſti Patres noſtros per mare Rubrum, & tranſuexiſti eos per aquam nimiam laudem tui nominis decantantes: Te ſuppliciter deprecamur: vt in *Naui* famulos tuos, repulſis aduerſitatibus portu ſemper optabili, curſuque tranquillo tuearis.

Benedictio nouæ Nauis.

Propitiare, Domine ſupplicationibus noſtris, & bene † dic NAVEM iſtam dextera tua ſancta, & omnes qui in ea vehentur, ſicut dignatus es benedicere *Arcam Noe* ambulantem in diluuio: porrige eis Domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti B. Petro ambulanti ſupra mare: & mitte ſanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet & cuſtodiat eam ſemper à periculis vniuerſis, cum omnibus quæ in ea erunt: & famulos tuos repulſis aduerſitatibus, portu ſemper optabili, curſuque tranquillo tuearis; tranſactiſque ac rectè perfectis negotijs omnibus, iterato tempore, ad propria cum omni gaudio reuocare digneris. Tunc

Aſpergitur aqua benedicta, quæ & ipſa contra tempeſtates valet.

§. III. PATRONI Nautarum.] *His olim ad litus aut portus erigebantur Sacella, aut templa* DEO *dicata illorum nominibus prænotabantur. Exemplum hic occurrit domeſticum* Coloniæ *vetus eſt templum* S. Cuniberti *de quo ſic ſcribit Hiſtoriographus Archiepiſcopalis* Ægidius Gelenius *Quæ nunc Sti. Cuniberti Conditoris nomine celebratur Eccleſia cum collegio, olim S. Clementis titulo gaudebat: & quidem optimâ ratione, & ex religione deprompta cauſſa. Siquidem hoc loci* Portus Romanus *&* Statio Nauium *fuit, cuius latus præſidio Sancti in mare demerſi, & anchorâ ſua nautis fidelibus venerandi communiri placuit. Et inter Reliquias eius templi eſt adhuc in veneratione Brachium S. Clementis Papæ & Martyris Patroni.* Lib. 3. de Coloniæ magnitudine Syntagmate 4.

§. IV. RELIQVIÆ SS. Gregorius Turonenſis *lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 76. Gunthramnus Rex, cum Agaunenſibus Monachis munera tranſmitteret per Presbyterum, mandauit, vt is ei rediens Sanctorum ſibi Reliquias exhiberet. Igitur cum impleta Regis præceptione cum ſacris regrederetur pignoribus, Limani laci, per quem Rhodanus influit nauigium petit. Extenditur autem lacus ille in longitudine quaſi ſtadijs quadringentis, latitudine autem ſtadijs centum quinquaginta. Ingreſſo autem nauigium cum Presbytero, ſubitò exorta* Tempeſtas *fluctus tollit, ad ſidera exurgunt vndarum montes, & nunc puppis in altum à prora dehiſcente, fertur in altum, nunc iterum demerſa puppe, prora tollitur in [illegible] verberantur nautæ, & nihil aliud niſi ſola mors in hoc periculo præſtolatur. Tunc Presbyter cum videret ſe his fluctibus obrui, & ſpumis vndarum ipſarum grauiter operiri, extractâ à collo* Capſulâ, *quæ Sanctorum pignora continebat, vndis tumentibus fidus obiecit, ac Sanctorum præſidia, clara inuocat voce, dicens:* Ne peream in his fluctibus, virtutem veſtram depre-

cor Martyres glorioſi, ſed potius, qui iugiter pereuntibus prebetis auxilium, mihi, quæſo, dexteram ſalutis porrigere dignemini: fluctus opprimite, noſque ad littus optatum veſtri adiutorij ope deducite. *Et hæc dicens, ceſſante vento, decedentibus vndis, ad littus euectus ſum.*

Greg. Turonenſis idem in hiſt. Fran. lib. 10. cap. 1. & de glor. Martyr. lib. 1. cap. 83. Baronius tomo 8. An. 590. *A Gregorio Papa Diaconus reſtor Reliquias Sanctorum attulit: deductus is ad portum cum ſuis ingreſſus eſt nauem, & erectu velis, ac per illum antennæ quæ modulum Crucis geſtat apparatum extenſis, flante vento, pelagus altum arripiunt. Cumque nauigant, vt Maſſilienſis ciuitatis portum attingant, appropinquare cœperunt ad locum quendam, de quo à littore maris lapideus mons exſurgens, ac paullatim diſcedens ſumma tenus vnda in mari diſtenditur. Cumque impellente vento carina magno impetu ferretur in præceps, vt ſcilicet ſcopulo illiſa quaſſaretur, atque nauta diſcrimen intuentes exitus vociferarentur, tunc Diaconus eleuata cum Sanctis pignoribus capſa, inuocare nomina Sanctorum, cum gemitu & voce maxima cœpit, deprecans, vt eorum virtute ab hoc periculo perituri liberarentur. Iamque appropinquabat nauis ad ſcopulum, & ſtatim in Sanctorum contemplatione Reliquiarum, ab iſto commotus cum violentia maiori ventus huic vento contrarium fluctum eliſit, ventumque ad aduerſum repulit, ac naue in pelagus profundum reuocata, cunctos à mortis periculo liberauit, ſicque gyrata mole, portum quem deſiderabant, cum Domini gratia ac Sanctorum patrocinio contigerunt.*

§. v. AGNVS DEI cereus.] *De cereis iſtis iconculis, legendus eſt* Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius *lib. 1. de Offi. Eccl.* Baronius *tom. 1. ad An. 58. num. 76.* Franciſcus Coſterus *lib. 4. Inſt. cap. 12. qui cap. 13. habet de iiſdem Carmen* Andreæ Frutij, Martinus Delrio *in Diſquiſ. Mag. lib. 6. cap. 2. ſect. 3. q. 3. vbi multis exemplis docet quantum valeant contra illuſiones Dæmonis. Laurentius Beyerlinck in Theatro,* Ver. *Amuletum. Vbi agit, 1. de antiquitate & vſu ſacro illorum. 2. de materiâ, formâ, effectibus. 3. de honore & reuerentia iis debita. 4. de miraculis à ſacris Agni* DEI *ſigillariis patrata.* Vrbanus *V. dicitur miſiſſe Agnos Dei ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, additis iſtis verſibus.*

Balſamus & cera munda cum chriſmatis unda
Conficiunt AGNVM: quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit & omne malignum.
Peccatum frangit, vt Chriſti Sanguis, & angit.
Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur.
Dona refert dignis, virtutem deſtruit ignis.
Portatur mundè, de fluctibus eripit unda.

COM-

COMMENTATIO IX.

RELIGIO ORTHODOXA

Suggerit opportuna ad ſedandam Tempeſtatem, vel ſuperandam remedia.

Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus. Matthæi XIV, 24.

MEMBRVM I.

FIDVCIA IN CHRISTVM THEANTHROPON

Cui venti & mare obediunt.

NE Tempeſtas, ſiue propria in pelago cælo tonante, & fluctibus in[illegible]neſcentibus, ſiue metaphorica in Mundo, ten[illegible]bus inſurgentibus, & perſequu[illegible] a tyranno infernali ſæuiente, te[illegible] plurimum faciat, certa in DEVM [illegible], & CHRISTVM Seruatorem, [illegible] Dominum Fiducia. Moni[illegible] Magiſtri facto confir[illegible], & vt [illegible] illud Diſcipulum [illegible] increpantis. Matthæi XIV. [illegible] IESVS diſcipulos *aſcendere in Nauiculam, & præcedere eum trans fretum. Nauicula autem,* [illegible] *in mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare: & præ timore clamauerunt.* Tunc Dominus: *Habete* FIDVCIAM: *Ego ſum, nolite timere.* Reſpondens autem Petrus dixit [illegible] Tu es, iube me venire ad Te ſuper aquas. At ipſe ait, Veni. Et deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam. *Videns autem ventum* [illegible] *timuit. Et cùm cæpiſſet* [illegible] *clamauit, dicens:* Domine ſaluum me fac. *Et continuò* IESVS *extendens manum apprehendit eum: & ait illi:* modicæ fidei, quare dubitaſti. *Et cùm aſcendiſſet in nauiculam, ceſſauit ventus.* Fiducia igitur ſed firma, conſtans, ſtabilis, dubitationem amandans opportunum eſt remedium ad tempeſtatem tollendam, vel, vt qui in ea periclitatur, euadat incolumis. Hanc autem *Fiduciam* [illegible] in modum fouet, augetque ſi menti inhæreat, ac perpendatur, DEVM eſſe, qui, vt [illegible]gemus contra hoſtes pugnaturi imperauit; ſiue proximè per ſe aperiendo ſuam voluntatem, ſiue per ſuos Vicarios. Quâ conſideratione animatos in omni *Tempeſtate* DEO caros legimus.

CELEBRIS eſt hiſtoria & gnome S. IGNATII LOIOLÆ, quam enarrat in [illegible] vita (a) Petrus Ribadeneira. Cum [illegible] eſſet Præpoſitus Generalis Ign[illegible]x-it confidenter: ſi ſummus Po[illegible]m-

(a) lib. 5. cap. [illegible]

peraret, vt ad Oſtia Tiberina ſcapham vel nauem primò obuiam, clauo, malo, velis, remis deſtitutam conſcenderem, itaque ſine commeatu mare traijcerem, id facerem animo non ſolùm æquo, ſed & libenti. Cùmque Prælatus quidam admirans regereret: quæ iſthæc eſſet prudentia? reſpondit *Loiola*: prudentia, Domine, non tam eſt parentis, quàm imperantis. Patrem ſequuta eſt optima proles S. FRANCISCVS XAVIER, (*a*) qui in Mauricas inſulas barbaras contendens, quum amici hoc iter diſſuaderent, eandem vim facerent, negarentque nauigium, reſpondit: ſe nullum periculum, nullum genus mortis, vbi DEI cultus & animarum ſalus agatur metuere, nec vllos hoſtes ducere, niſi qui diuino obſiſtant obſequio. Sibi certum eſſe in Mauricam DEVM vocantem ſequi: nec nauigium morari. Si *Nauis* deſit, DEO incumbentem vtique tranſnataturum. Nec animoſius dixit, quàm præſtitit. Quocirca in tempeſtatibus ac naufragijs *Xauier*, vt *Paulus* animo erat ſereno, & exultabat, ac rogabat DEVM, vt præſens diſcrimen, indeque crucem optatam non ademeret, niſi maius immitteret. Atque hac ſuâ in DEVM *fiduciâ*, dum *Tempeſtas* vrgeret, & deſperatum eſſet in naui, vectoribus omnibus vitam ac ſalutem inſtar Pauli, impetrauit. Alio tempore in exitium certum abreptam à naui, tempeſtatis violentia ſcapham, qua infideles vehebantur, illis ipſis in ſcapha apparens, eamque reuehens ad nauim reduxit. Quo miraculo ad fidem conuerſi ſunt. Denique Malacæ *Fiduciâ* in DEVM plenus victoriam naualem, poſt ſuperatas *Tempeſtates*, duĩ[illegible] Luſitanis contra quinque Acc[illegible] pugnaciſſimorum millia, promiſit, prædixit, & in fide nihil hæſitans, à DEO obtinuit.

FIDVCIA iſtiuſmodi verè Apoſtolicâ Paulus excelluit, ideoque omnibus tempeſtatibus, perſequutionibus, *Tentationibus* fuit ſuperior. Præclarè S. Auguſtinus (*b*). *Multi naufragauerunt cum Paulo. Amatores huius ſeculi paßi ſunt naufragium, & nudi omnes exiuerunt. Illi, & quod foris habebant, amiſerunt, & domum cordis ſui inuenerunt inanem.* Paulus *autem in corde ferebat patrimonium fidei ſuæ, quod nullis fluctibus, nullis* Tempeſtatibus *potuit auferri: nudus exijt, & diues exijt.* Nudus corpore diues animâ: nudus pecuniâ, diues *fiduciâ*, qua emerſit ex vndis incolumis. Cum Paulo in eodem genere Petrum comparat idem facundus Doctor (*c*) & imprimis animoſitatem ex *fiduciâ* erga Chriſtum miratur, quod ambulare ſuper aquas debitâ ſoli DEO poteſtate præſumpſerit, & rerum obſtante naturâ per i[illegible] maris nouas vias pendulum intulerit greſſum, & tumentia maris do[illegible] calcauerit. At Paulus naufragium paſſus eſt: *Ter naufragium feci*, inquit, *nocte & die in profundo maris fui* (*d*). Reſpondet Auguſtinus: *non timeret idenco Paulus, quem* [illegible] *lu: Naui Teſi*[illegible] *Ionam die ac nocte per maris profunda* [illegible] *abſorbuit* [illegible] *& red*[illegible]*, quaſi* [illegible] *depoſitum, violare non audens, quia ſimulatrix cum* [illegible] *illa,* [illegible] *populo* [illegible] *prædicat* [illegible] *reſeruabat.* Et te conſeruabit in medio maris *Tempeſtatibus* agitatum diuina protectio, ſi [illegible] fidens

(*a*) *Turſellin. lib. 3. cap. 2.* (*b*) *In Pſal. 132.* (*c*) *Serm. 29. de ſanctis.* (*d*) *2. Corinth. 11. 25.*

dens, ipſius voci & afflatui obedieris. Quod ſi te mergi voluerit, & fluctibus obrui, emerges inde, multo, quàm ſi naufragium non eſſes paſſus, glorioſior.

MEMBRVM II.

ANCHORIS FIRMANDA NAVIS.

IN Tempeſtate iactantur *Anchoræ*, quibus deprimitur nauis, ac demiſſius nauigat. Quomodo explicat Alphonſus Salmeron quod ſcribit Lucas in tempeſtate Paulina (a) *accingentes nauem ſubmiſſo vaſe ſic ferebantur.* Sed deinde anchoras exprimit, dicens: *Timentes, ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quattuor, optabant diem fieri.* Plures mittuntur Anchoræ, vt magis figatur nauis, ne ventorum vi proijciatur in ſcopulos, aut loca vadoſa: & ferè duæ ſunt in vſu. Quare firmitatem ac immobile ſtabilimentum rei alicuius ſignificare volentes antiqui, Anchoras duas appingebant, ſimilitudine accepta à nauibus, quæ tunc

Ventorum temnunt rabiem fluctuſque ſonantes.

cum duabus Anchoris innituntur. Sic per parœmiam dicitur duabus nixus *Anchoris* ſedere, qui firmiter, immotèque ſua conſtituit. Iacitur autem anchora, aliquando de puppi; interdum de prora. Hinc illud Poëtæ libro in Æneid.

Anchora de prorâ iacitur, ſtant littore puppes.

primum fit potiſſimùm, quando ſiſtenda eſt nauis in tempeſtate: alterum, quando iam eſt appulſa, & in portu, aut non procul à littore.

Hoc ſummoperè ſuadendum eſt omnibus, qui initio nauigationis ad virtutem, vel perfectionem tempeſtatem in ſe concitari ſentiunt, aut eâ inuoluuntur, vt *Anchoram*, tum de puppi, tum de prorâ iaciant. Per proram verò & puppim, rectè, principium & finem; intentionis caput & calcem operis, exordium & epilogum loquutionis; proſpera & aduerſa euentuum; ſummum ac imum cogitatuum, denique, cardinem negociorum intelligo. Omnia illa ſunt firmanda per *Anchoram.* ANCHORA autem eſt imprimis *Spes*, nomenclatore Apoſtolo, qui toties tempeſtate iactatus eius vim expertus fuerat. Quare monet, vt confugiamus ad tenendam propoſitam *Spem*, ſicut nautæ in tempeſtate ad *Anchoram.* Illam enim, inquit, *ſicut* Anchoram *habemus animæ tutam & firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis.* (b) Quæ ſignificant quidem ſecundum corticem litterarium, adyta templi Salomonici. nempe, intimam & auguſtiſſimam illius partem, quæ *Sancta-Sanctarum* dicebatur, ſed nobis indicant cæleſte domicilium quo *Spes* Chriſtianorum pertingit. Vt enim ſcribit D. Ambroſius: *Spes penetrat interiora velaminis, dum cæleſtia abſque vllâ dubitatione credit, ſperat, & amat, operibuſque oſtendit: vt pote, quæ credit, quod ſperat.* Profectò, ſicut *Anchora* naues ne fluctibus huc illuc rapiátur, aut ventorum impetu propellantur, retinere ſolet ac firmare; ita Spes patriæ cæleſtis, & bonorum vitæ alterius animam confirmat, ne vllis malorum tempeſtatibus, in hanc, vel illam partem, per exceſſum, aut defectum abripiatur, aut rebus aduerſis cedat.

(a) *Ad Actus* 27.

(b) *Ad Hebræ.* 6.19.

dat. *Spes* igitur, vt *Anchora* iacienda eſt, de prora & de puppi, vt inter ſeculi huius agitationes, quibus in hac vita fideles quaſi nauigantes iactantur, & nunc proſperis eleuantur, nunc aduerſis deprimuntur, propoſitum optimè viuendi firmet ac corroboret, vt mens ſolida, conſtans, immobilis, in ſtudio virtutum Chriſtianarum, ac perfectionis conſiſtat. Si placet in *Spe* duplicem *Anchoram* conſiderare, habebis illam profectò, ſi poſſis obiectum illius diuidere, aut duos illius modos ſecare: nam eadem vno modo verſatur circa cæleſtia; altero circa terrena, quæ nos ad ſuperiora illa conducunt. Nimirum aus dicere, hos eſſe vel uti duos vncos, quibus ferreum illud inſtrumentum, quo naues detinentur, à duabus ſibi oppoſitis partibus munitur quorum vterque per vices in littore altè defigitur, vt firmius tenaciusque hæreat & nauem inconcuſſam ſeruet. Vtrumque *Spes* Chriſtiana præſtat.

EST præterea *Anchora, Timor Domini*, vt Papa Gregorius commentatur, qui Cor anſ quam *Nauem* concipit, *Anchora* autem *cordis*, inquit, *eſt pondus timoris. Quod plerumque fluctibus cogitationum quatitur, ſed per diſciplinæ ſuæ vincula retinetur. Neque hoc tempeſtas ſuæ inquietudinis ad naufragium pertrahit, quia in diuini amoris littore perfecta Caritas adſtringit*, Lib. VI. Mor. cap. 27. Vbi breuiter inſinuat, *Caritatem perfectam* eſſe quoque *Anchoram*: & bene; nam hæc ſi vſque ad diuini amoris littus proijciatur, & in illo defigatur, non minus, quàm *Timor* aut *Spes* nauem animatam, ne fluctuet, firmiter detinet. *Timor* animum retinet, quaſi Anchora, ne efferatur, & in ſublime, tollatur, ac quaſi nauis ſalo iactata fluctibus hauriatur. *Spes* haud aliter, atque *Anchora*, nauem ſtabilit, ne ad deſperationis ſcopulos allisa naufragium faciat. *Caritas*, velut *Anchora*, voluntatem cohibet, ne in aſpera loca perturbationum contra DEVM ac proximum incidat.

ET quoniam *Timor* plerumque, cùm de æternis agitur, *Tremorem* habet comitem, nihil vetat, hunc etiam *Anchoram* dicere: cum moneat Apoſtolus, *vt cum Timore & Tremore noſtram ſalutem operemur*, Ad Philip. 2. 12. id eſt, nauigemus in hoc mundi ſalo inſtructi duabus illis *Anchoris*, ne in breuia voluptatum abripiamur. Neque hæ firmitati aut certitudini *Spei* aduerſantur. Nam vt ingenioſe obſeruat S. Chryſoſtomus, Paulus Apoſtolus, *Spem* non comparat fundamento, quale eſt *Fides*, ſed *Anchoræ*: quoniam illa licet vim habeat retinendi nauem ne à ventis tentationum circumferatur, non tamen adeò eſt ſtabilis ac firma, vt *Fides*, ſeu fundamentum ædificij. Habet enim *Spes* dubitationem aliquam, immò, non nihil difficultatis, vt Theologi docent; atque idcirco, vndecumque id oriatur, fieri poteſt, vt quis ſpe ſua excidat: quæ cauſſa eſt, vt *Timoris Tremoriſque* anchoras, cum illa, quæ Spes eſt, copulare debeamus.

DENIQVE, DEVS ipſe principaliter eſt *Anchora*, quæ hominem ad virtutem, perfectionem, & ad Statum religioſum denique, ad Cælum nauigare incipientem, & in medio mari fluctuantem, ne aut perſequutionum, aut tentationum ventis alio abripiatur, vel fluctibus deſperationis mergatur, firmat, roborat, ſolidatque: ille in medijs vndis animo facit eſſe ſecuro ac ſereno: ille quo maius eſt periculum

en facit magis immobilem in propoſito, vt exclamet cum Pſalte: (a) *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium in hoc ego ſperabo. Etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo,* (b) DEVS eſt *Anchora*. Anchora in Sapientia hieroglyphica *Tutelam, Refugiumque* ſignificat. Quocirca hominem, qui rebus ſuis tutelam præſidiumque parauerit, per *Nauem* & *Anchoram* deſignat. Quod ſi ſola *Anchora* manu prætenta ſiguretur, refugium denotat. Quâ picturâ innuitur, ſi aduerſa ingruerit Tempeſtas, reſque fluctuare cœperint, paratum eſſe *Refugium*, quod tutiſſimum eſt DEVS, cui ſi fides, cantare ſemper potes:

—— medijs tranquillus in vndis
Anchora iacta mihi eſt ——

ANCHORA DEVS eſt, & quidem *Sacra*. Quoniam nautæ tempeſtate iactati, quando feliciter nauigandi nulla ſpes ſupereſt, ad Anchoram confugiunt, quæ eiecta nauem eodem in loco retinent, donec facilius nauigandi ſe offerat occaſio, hinc κατὰ παρϐίωσιν *Sacram Anchoram* ſumimus pro extremo *Refugio*, quod eſt DEVS: qui cùm deſperata videntur omnia, ſolus ipſe ſuccurrit. Vt rectè hic quoque vſurpes illud, *Præuertis Anchora iactum* DEVS. Quod licet nautæ in malam partem capiant, & vſurpent quando conantur *Anchoram* iacere in portum appulſuri, ſed repelluntur à ventis, & in mediam tempeſtatem reijciuntur, veriſſimum tamen etiam tunc eſt, cùm ex infauſta nauigatione, antequàm adhiberi poſſit humanum vllum remedium, DEVS præueniente ſuâ gratiâ, eripit, aut tempeſtatem ſedat. Quocirca, DEVS in qualibet procellâ eſt inuocandus, DEVS eſt reſpiciendus, DEO *veluti Sacra Anchora*, eſt firmanda animæ nauis. Quod quantoperè conducat ad perſeuerantiam in bono, dum in huius mundi pelago nauigamus egregiè expreſſit S. Cyprianus, cuius hæc eſt oratio: (c) *Vna placida & fida tranquillitas, vna ſolida & firma & perpetua ſecuritas eſt, ſi quis ab his inquietantis Seculi turbinibus extractus, & in ſalutaris portus ſtatione fundatus, ad cælum oculos attollat; & ad Domini munus admiſſus, ac* DEO *ſuo mente iam proximus, quicquid apud ceteros in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, intra ſuam iacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de* Seculo *poteſt, qui* Seculo *maior eſt. Quam ſtabilis, quam inconcuſſa tutela eſt, quam perennibus bonis affluens cæleſte præſidium, implicantibus Mundi laqueis ſolui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari?* Ita firmat animum, & fluctibus, quamuis verberatum, inconcuſſum tamen facit, *Fiducia* in Chriſtum Seruatorem, *Spes* bonorum cæleſtium, *Timor Domini*, *Tremor* ob rigorem iudicij diuini, ſed præ omnibus potentius & efficacius *Sacra Anchora* DEVS.

(a) *Pſalmo* XXVIII. (b) *Iob* XIII. (c) *Epiſt.* 2. *ad Donat.*

MEM-

MEMBRVM III.

SABVRRANDA EST NAVIS.

ALIQVOD aduerſus *Tempeſtates* remedium, nautæ eſſe dicunt, *Saburrare Nauem*, hoc eſt, ſaburrâ onerare, aduerſus vim ventorum. Eſt autem *ſaburra* ſabulum vilius ac craſſius, quo vtuntur periti, implentque nauigium ad certam menſuram, vt ſtabilius curſum teneat, vel ſubſiſtat. Sic refert Liuius in ſeptimo belli Punici: Præfectum in animo habuiſſe, tota claſſe Epheſum petere, & onerarias ducere multa ſaburrâ grauatas, atque eas in faucibus portus ſæpè primere. Hinc *Naues Saburratæ*. Sed nulla *Saburra* ita naues ſtabilit, & contra Tempeſtatem tutatur, ac *Humilitas Chriſtiana* animum ad pietatem, perfectionem, cælum nauigantium: ideoque humilitate ſtabiliendum eſt cor, ne in tentatione nutet, fluctuet, tandemque pereat. Humilia te in omnibus, & ſecurus ad portum ſalutis peruenies.

MEMBRVM IV.

ANTENNA CVM VELO SVBMITTENDA.

AD extremum, in Tempeſtate ſubmittitur *Antenna* cum velo. Hoc videntur feciſſe nautæ in celebri illa *Tempeſtate*, cuius frequenter facta eſt mentio ex Actuum Apoſtolicorum XXVII. Cap. vbi Lucas ſcribit, *ſubmiſſo vaſe, ſic ferebantur*: Syrus legit, *Submiſimus* Antennam, *& ita perreximus*. Beda, *Laxantes* Antennas *ferebantur*. Interpres S. Chryſoſtomi *velum* nominat, indicans, vt notat Ioannes Lorinus, *Antennam* cum velo: nam *Antenna* eſt lignum tranſuerſum in naui ad malum, cui velum alligatur. *Antennam* cum velo ſubmittere, eſt omnes occaſiones, quæ inflare poſſunt deuitare, ſibique ſubducere: nam ſubmiſſa *Antenna* cum velo, ventus hoc non implet, ideoque nec inflare poteſt. Fuge quicquid arrogantiæ materiam ſuppeditat, quicquid faſtum fouet, quicquid in ſuperbiam eleuat, & vento inanis gloriæ, aut tempeſtate tentationis ab arrogantiâ, tuique complacentia non abripieris.

ANTENNAM cum velo ſubmittebat *Franciſcus* pauper & humilis, qui cum ab alijs haberetur *Sanctus*, ipſe dicebat ſe maximum peccatorem. Idem faciebat *Elizabetha* Regis Pannoniæ filia, & deinde Thuringiæ Langrauia, quæ viliſſimo vtebatur amictu, totamque ſe ad paupercularum morem componebat. Idem, *Ludouicus Sanctus* Francorum Rex ad pauperum pedes ſeſe abijciens. Idem *Eduardus Rex Anglorum Sanctus*, humeros ad portandum mendicum ſupponens. Idem, tot alij nobiles, magnates, Principes, Reges, Imperatores, qui faſtum omnem calcarunt, laudes ſuas audire noluerunt, honores ægrè admiſerunt, omnibus ſe minores æſtimarunt, &, vt tales haberentur, optarunt. Hoc eſt *Antennam* cum velo ſubmittere.

MEM-

MEMBRVM V.

EVERBERANDVM MARE.

PECVLIARE fuit illud in ſumma *Tempeſtate* remedium, *(a)* quod refert Curtius hiſtoricus:*(b)* Cùm periclitaretur Claſſis Alexandri ad Tyrum, remis pertinacius euerberatum à Claſſiarijs fuiſſe mare, perinde quaſi ſentiret remorum ictus: tunc veluti eripientibus nauigia remigibus, ceſſiſſe. Euerberandum ſpiritualiter eſt *Mundi* mare magnum, quod nauigamus, contemptu rerum omnium, quæ in mundo ſunt, ſeculi fuga, auſteritate ſatisfactionis, penitentiæ operibus, flagellis, cilicijs, humicubationibus, aridis, inſipidisque cibis, fame, ſiti, vigilijs. Quod ſi piè fortiterque feceris, perinde, ac ſi ſentiret corpus tuum, & per illud Mare Mundi ictus, nauigium tuum ſaluum & incolume, fluctibus, quibus penè mergitur, eripies. Ita exemplo docuit Paulus in naumachia iſtiuſmodi exercitatiſſimus, qui, *ſic pugno*, inquit, *(c) non quaſi aërem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* Tu fac ſimiliter & eripies vi verberum nauiculam tuam è tentationum fluctibus.

* * *

(a) Claſſis Alexandrii. (b) lib. iv. cap. 9. (c) 1. Corinth. ix.

MEMBRVM VI.

DEO AGENDÆ GRATIÆ

Poſt Tempeſtatem deuictam.

TEMPESTATE vnà feliciter ſuperatâ, DEO Diuisque Tutelaribus gratiæ ſunt agendæ, illorumque porro auxilium ſacrificijs ac precum repetitione promerendum. Non debet Chriſtianorum pietas cedere in hac re Gentilium diligentiæ, qui errore quidem ducebantur, dum fœdiſſima Numina ac fictitios Deos inuocabant; ſed hac falſitate ſepoſitâ, quid faciendum, naturæ inſtinctu, ac lumine, facto demonſtrabant. Sic Alexander M. cùm *Tempeſtati* ſæuiſſimæ ereptus eſſet, Præſidibus maris, & locorum Dijs ſacrificium fecit, vt ſcribit eius hiſtoricus, Neptuno imprimis, maris Regi, vt credebant. Sic enim de eadem reſcribit Arrianus. *Ibi tauros Neptuno cæſos in mare proiecit, libationeque ſacrificio ſuperaddita, phialam auream, & crateras aureos, gratias agens in vndas immiſit.* Et Diodorus Siculus:*(a) Tunc cum familiaribus ad Oceanum prouectus, duabus illic inſulis repertis, magnifico DEOS ſacrificio veneratur, aureaque pocula non parua nec pondere exigua, vnà cum libamentis in mare proiecit. Tandem excitauit etiam in Thetyos & Oceani honore aras.* Huiuſmodi quoque rituum mentionem facit Virgilius, ſacrificatum ſupplicatumque inſinuans lib. 4. Georg. & lib. III.

(a) Lib. xvii.

Glauco & Panopeæ, & Inoo Melicertæ
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Chriſtiano alius eſt maris Dominus, DEVS verus, cui ſoli ſacrificium euchariſticum offert pro acceptis in nauigatione beneficijs. Alij ſunt tutelares Diui, non Deaſtri, ſed cum DEO regnantes in cælo Sancti, quibus gratâ mente & anathematis appenſis ſe gratos exhibent poſt tempeſtatem. Alia eſt procellarum auerruncatrix, non fictitia aliqua Nympha, ſed DEIPARA, quam periculis ſubducti venerantur: vt tot per orbem vniuerſum templa, ſacraria, oratoria, ſunt documento.

COMMENTATIO X.

INDVSTRIA, ET EXPERIENTIA

Varia ſuggerit contra Tempeſtatem remedia.

Facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri Ionæ I. 14.

Compulit* IESVS *Diſcipulos aſcendere in nauiculam. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus, Matth. XIV. 22. 24.

MEMBRVM I.

MANVS OPERI ADMOVEANTVR.

POST Pietatis officia contra *Tempeſtatem*, ſequatur Induſtria, quæ ſemper peruigil in mari, monet imprimis ne ſit *Ocioſus*, qui Tempeſtatem imminere animaduertit, aut ab illâ deprehenditur. Oranti, Superosque inuocanti, ſed ſimul facienti quod in ſe eſt, DEVS non denegat gratiam, inquiunt noſtrates Scholaſtici. DEVS facientes iuuat, dicebat vir pius, cum profanus oggereret: *Audentes Fortuna*. Vulgatum eſt illud de Hercule, cum non iuuiſſe bubulcum, qui lutosâ in viâ defixum plauſtrum, nihil connitendo, orabat, plorans que obteſtabatur, vt extraheret: ſed monuiſſe, vt boues ſtimularet, vt humeris plauſtrum promoueret, vt manibus ad extrahendum vteretur; tunc non defore de cælis auxilium. Idem quilibet ſibi dictum exiſtimet, & dum Tempeſtas claſſem ſuam, aut nauiculam adoritur, DEVM oret, Sanctos inuocet, Stellam Maris reſpiciat, eiusque opem imploret, ſed ſimul manum remis admoueat, per tabulata ſolicitus diſcurrat, malum firmet, aut demittat, conto dextrè vtatur, antliâ ſentinam exhauriat, ſuppara velorum conſtringat, pyxidiculâ nauticâ Poli poſitum exploret, harpagone nauem fluctuantem teneat, rudentibus arborem

ad

ad proram, puppimque liget, antennarum cornua ſuo tempore adducat, ceteraque faciat ſtrenuè, quæ ars nautica claſſiarijs præſcribit, & tunc ab alto ſubſidium expectet.

* * *

MEMBRVM II.

MALORVM CONSORTIVM

Ad Nauem non admittatur: Admiſſum ablegetur.

PRÆTEREA, curandum eſt ſtudioſè, ne in eadem nobiſcum *Naui* ſint, qui diuerſum à nobis habent propoſitum, qui ad virtutem ſe conferre non volunt, qui fortiter cum vitijs ac concupiſcentijs congredi detrectant, qui DEO ſunt inuiſi & hominibus bonis, impij, criminoſi, ſcelerati. Horum enim vnus interdum in eadem *Naui*, domo, contubernio, facit, vt *Tempeſtas* oriatur, aut orta incrementum ſumat, & vectores omnes in periculum adducat, multoſque ex ijs fluctibus inuoluat. Exemplum habemus in Iona, ob cuius inobedientiam immiſit Dominus furibundam tempeſtatem, vt qui in eadem cum ipſo naui vehebantur exiſtimarent ſe ſtatim facturos naufragium. Vbi obſeruat S. Hieronymus, non tantùm Ionam puniri, ſed & nautas, eo, quod illum recepiſſent, & cum illo agerent. Quod notent, qui dum fidem Catholicam amplecti cogitant, & iam tractare de conuerſione ſuâ incipiunt, manent tamen apud peſtilentiæ magiſtros. Item, qui Religioſum ſtatum ingredi conſtituunt, illorum nihilominus familiaritate, & contubernio vtuntur, qui ſunt DEO refractarij, &, non niſi mundana ſapiunt. Adhæc, qui caſtitatem colere proponunt, ab ijs tamen non ſe ſegregant, qui laſciuiæ ſunt dediti, & ad illam verbo, exemploque prouitant. Vix enim fieri poteſt, certè, non ſolet, vt tales *Tempeſtate* non abripiantur, quamuis optimi ſint animi.

AN hi meliores ac firmiores ſunt Apoſtolis Chriſti? Quos S. Ambroſius, (a) ſcribit iactatos fuiſſe tempeſtate propter Iudam Iſcariotem. *Tranquillitas*, ait, *eſt, vbi ſolus Petrus nauigat;* Tempeſtas, *vbi Iudas adiungitur. Licet eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnus igitur delicto cunctorum merita quaſſantur.* Atque hinc tam crebra naufragia adoleſcentum, quia ſunt in contubernio ſceleratorum

——— Pallas exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oïlei. (b)

——— *Vetabo*, aiebat ille, *qui Cereris ſacrum*
Vulgarit arcana ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat faſelum. Sæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum,
Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo, (c)

Nauigabat cum impijs Bias aliquando, & cùm nauis valida tempeſtate concuteretur vectoreſque DEOS inuo-

(a) *Ser. de Cathedra Petri.* (b) *1. Æneid.* (c) *Horat. lib. 3. Carmin. Ode 2.*

inuocarent: *Silete*, aiebat, *ne vos bicilli nauigare ſemiant*. Credebat S. Ambroſius, ob improbitatem Iudæ traditoris, nauem, in qua erant Condiſcipuli; *Tempeſtate* perituram fuiſſe, (a) ſi Chriſtus in tempore non ſuccurriſſet Matthæi octauo cap. Eſt etiam illa D. Chryſoſtomi præclara conſideratio, quamuis nautæ, qui Ionam vehebant, proijcerent plurima è naui, vt facilius *Tempeſtati* ſe opponerent, tamen nauem non fuiſſe alleuiatam, nec potuiſſe procellis reſiſtere, quam diu Ionas in eâ manſit, *quia nihil*, inquit, *tam oneroſum & graue quàm peccatum, & inobedientia* vnius hominis, quæ *Tempeſtatem* auget, non ſedat, ſi eſt improbus.

(a) *Matth.* 8. 26.

2.1

MEMBRVM III.

PROBI IN NAVEM ADMITTENDI.

NON eſt autem ſatis deſerere malorum ſocietatem, quæ ſemper noxia; niſi ad bonorum fiat acceſſio, vel vnus ſaltem adſciſcatur eximiè bonus, cum quo agas familiariter; cui animum tuum aperias, ad quem in tentationibus recurras, qui in *Tempeſtate* opituletur. Salutaris eſt, vel vnius, DEO de proximo cari conſuetudo, & ad euadendum procellarum impetus remedium. Hoc Adoleſcenti ſuadendum, ſi virtuti ſe tradere velit, ſi prioris vitæ noxas euitare, ti Religionis ingrediendæ conſilium perficere; vt, poſtquam egreſſus fuerit de medio nationis prauæ, coniungat ſe alicui, qui à morum honeſtate, continentiâ, pietate, ſanctitateque ſit commendatus. Sentiet illius ſæpe vultu, nonnunquam ſermone, aliquando ſolo nutu, tranquillitatem conſcientiæ induci, pulſiſque perturbationum nubibus animum ſerenari.

GRAVISSIMA *Tempeſtate* conflictabatur *Nauis*, quæ Paulum Apoſtolum deportabat in Italiam (a) quia tamen inter tot nefarios, qui ſubmergi merebantur, vnus erat Chriſti Diſcipulus DEO perquam carus, reliqui omnes cum ipſo fuerunt ſaluati. Nam dixit illis Paulus, quùm præſentem omnia mortem intentarent: *Suadeo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis*: id eſt, nullus vitam corporalem amittet. Addit Lyranus, nec ſpiritualem: quaſi omnes illæ animæ in gratiam Pauli à DEO in æternum ſaluatæ ſint. Quod innuit etiam S. Chryſoſtomus: & fauent verba Hiſtorici, qui Paulum inducit dicentem: Adſtitit enim hac nocte mihi Angelus DEI, dicens: *Ne timeas Paule: ecce donauit tibi* DEVS *omnes, qui nauigant tecum*. Itaque omnes iam perditi erant, certè, perdendi, tum curſu naturæ ob vim tempeſtatis, vt ſcribit Oecumenius, tum vltione DEI ob illorũ ſcelera. Quocirca S. Chryſoſtomus in hunc modũ exponen-

(a) *Actuum Apoſtolicorum* XXVII.

ponendo legit: *Digni quidem erant, qui perirent, quoniam inobedientes fuerant: verumtamen in tui gratiam ſeruabo eos.* Addit idē Orator ad rem noſtram accommodatè. *Si nauigantes periclitantes, & naufragium ſuſtinentes, ſi & vincti per* Paulū *ſeruati ſunt, cogita, quid eſt eſſe virum ſanctum in domo. Multa enim* Tempeſtates *nobis incumbunt, his multo grauiores, ſed poteſt* DEVS *nos donare, modò credamus Sanctis, ſicut illi, & faciamus, quæ præcipiunt. Non enim ſimpliciter ſeruantur, ſed etiam ipſi fidem attulerunt. Licet vinctus eſſet* Sanctus, *tamen quæ ſalutis, & liberationis erant, operabatur. Et conſidera quomodo hoc ſit factum. Solutus centurio vincto illo habebat opus: gubernator peritus non gubernante egebat. Non enim Paulus ſcapham gubernabat, ſed Orbis Eccleſiam, qui didicerat ab illo maris Domino, non humana arte, ſed ſpirituali ſcientia, in naui illa multa naufragia, multas procellas, ſpiritus malitiæ, intus pugnas, foris timores. Atque his ita reuera gubernator erat.*

PLVRA ad idem inſtitutum accumulat aureum illud Os Eccleſiæ. Iſtud etiam ſubdit: Noſtram *Vitam* eſſe quaſi continuam *Tempeſtatem*: proindeque nos pariter indigere *Paulo*, & ideò nos eius nobis opem conciliare debere credendo, & obediendo eius Epiſtolis, ac præceptis. Tandem verò concludit. *Retineamus apud nos Sanctos: nec erit tempeſtas: immò, etiamſi fuerit* Tempeſtas, *erit ſerenitas, ac tranquillitas, & à periculis liberatio. Quoniam vidua in libris Regum Prophetam Sanctum hoſpitio excipiebat, etiam mors filij ſoluta eſt, & rediuiuum accepit puerum* (a) *Vbi pedes Sanctorum ingrediuntur, nihil erit, quod contriſtet: quod ſi quid fiat, id ad probationem maioremque* DEI *gloriam pertinet. Aſſueſce igitur, vt pauimenta domus tua à talibus calcentur pedibus, & non calcabit ea Damon. Et valdè merito. Nam ſicut vbi fragrantia eſt, ibi non habet locum graueolentia, ita vbi ſanctum eſt vnguentum, ibi ſuffocatur Dæmon, lætificat ſimul agentes, animum recreat, odorem diffundit. Vbi ſpina, ibi beſtia: vbi hoſpitalitas, ibi non ſunt ſpinæ. Miſericordia ingrediens quauis falce melius, ſentes exſecat, quouis igne violentius exurit. Ne timeas beſtias infernales, verentur Sanctorum veſtigia, ſicut leonem vulpes. Iuſtus enim vt Leo confidit. Introducamus hos leones in domum, & omnes exigentur beſtiæ, non clamantibus, ſed ſimpliciter loquentibus illis. Non enim leonis rugitus beſtias ſic fugat, vt iuſti oratio Dæmones. Si loquatur ſolùm, deuolant.* Eodem Pauli Apoſtoli exemplo, præſentia ſuâ à naufragio in tempeſtate liberantis vectores B. Ephrem docet magni faciendos viros ſtudioſos atque ſpirituales, & illorum conuictum.

ALIBI S. Chryſoſtomus, (b) expendens filios & nurus *Noë* propter huius iuſtitiam ereptos diluuio, ait conſuetudinem DEI miſericordis eſſe, honorem hunc date ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur & alij, vt videre eſt in S. Paulo, ſed non illo ſolo. Antiquiora conſulamus. In Sodomis ſi vel decem fuiſſent iuſti, inde incendium auertiſſent, fuiſſentque ſeruati cum ijs Sodomitæ, Geneſis XVIII. Si Loth manſiſſet in ciuitate hominum peſſimorum, non luiſſet pœnam infamis illa ciuitas, ſed egreſſus eſt, & ignis illam abſumpſit, Geneſis XIX. Propter Iacob benedixit DEVS Labano, Geneſis XXX. Propter Ioſephum, benedictionem accepit domus Putifaris, quæ meruerat maledictionem, Geneſis XXXIX. Propter eundem Iuſtum reſpexit DEVS Ægyptum, & locupletauit

(a) *Lib. IV Regum cap. 8.*

(b) *Homil. XXIV. in Geneſin.*

præ omnibus regionibus orbis totius Geneſis xli. Intuitu Moſis inter ſceleratiſſimos murmuratores, & idololatras agentis, pepercit populo Devs Exodi xxxii.

Et vt profana aliqua miſceamus ſacris, Cæſar nauigans, oborta tempeſtate cùm priùs perſonam texiſſet, prodens ſe nauarcho dicebat, vt erigeret deſperatione penè proſtratum: Ne timeas, fortuna te Cæſaris comitatur: Cæſarem vehens eiuſque Fortunam, perge contra tempeſtatem forti animo, vt referunt Appianus, (a) Lucanus, (b) Plutarchus (c). Multo magis animat & ſalutem ſperare iubet præſentia hominis iuſti, Deoque cari. (d) *Magnus patriæ murus eſt vir iuſtus*, inquit D. Ambroſius (e). *Illius nos fides ſeruat: iuſtitia ab excidio defendit.*

Et Philo Hebræus, Sapientem, ſiue Iuſtum vocat ingenioſè ſtulti redemptionem, ac mercedem (f) Quod ſi ipſe bonum aliquem virum habitantē in domo quapiam videret, aut in vrbe commorari, eam ipſe & vrbem & domum prædicabat beatam, & rebatur tam præſentem felicitatem ei manſuram perpetuò, quam abſentem expectandam vberiorem, Deo vltra modum menſuramque diuitias ſuas in gratiam dignorum etiam in indignos effundere ſolito. Iſtiuſmodi viro vitam ſe precari longiſſimam decebat: eius audita morte, ingenti dolore ac triſtitia confici, non tam illius dolendo ſortem, quàm ſuperſtitum calamitatem. Idem feciſſe S. Ambroſium ſcribit in eius vita Paulinus.

Avgvstvs, capta Alexandria, (g) cunctis timore examinatis, omnium iniuriarum, & offenſarum, ſe gratiam facere pronunciauit è ſublimi ſuggeſtu, propter vnum Arium, eius vrbis Philoſophum, quem doctrina illi virtuſque arctiſſimè conciliauerat. Quid ni, inquit Auctor præclarus (h) Devs gratificaretur Paulo, Vaſi electionis, *Tempeſtate* in maris iactato, vt vas nauticum tametſi periret, nullus eo vaſe contentorum iacturam vitæ pateretur? Leo Bizantius à Bizantij obſidione Regem Philippum, Crates Thebanus à patriæ ſuæ inuaſione Demetrium Poliorcetem (i) remouit, & eadem non ſit iuſto alicui Deo coniunctiſſimo poteſtas, ſæuiente licet in Eccleſiæ, aut Reipublicæ nauem pro Tempeſtate? Eſt ſanè, experta Italia in Leone Magno Pontifice (k) Maximo, qui Attilam Hunnorum Regem dira omnia minitantem, iuſſit, vnde venerat, iter flectere. Vidit Roma, quando idem Pontifex, inuadenti vrbem Genſerico, Sanctitatis opinione obſtitit, ac eius virtute effecit, vt ab incendio, ignominijs, & cædibus abſtineret. Senſit Monaſterium S. Benedicti, quod cum inuaderet ſpoliarentque Longobardi, præcepit, ne vllum hominem caperent, vel necarent: quod factum. Eis ergo Devs res tradidit, inquit S. Gregorius, animas cuſtodiuit: ſicut Pauli nauis perijt, ſeruatæ fuerunt animæ. Tanti eſt vel iuſtum vnum eſſe, vbi Tempeſtas dominari incipit. Vnus Agamemnoni Neſtor inſtar omnium fuit: Chiroſopho Spartiano Xenophon: Ciceroni Cneius Pompeius; Dario Zophyrus, quem pluris æſtimabat

inte-

(a) *lib. 2. de bell. ciu* (b) *lib. 5.* (c) *vita Cæſ.* (d) *lib. 1. de Abrah. cap. 6.* (e) *lib. 5. in Luc. initio.* (f) *lib. de ſacrif. Cain. & Abel* (g) *Plutar in vita Anton.* (h) *Lorinus Act. 27.* (i) *Philoſtra. Plutar. in Demet.* (k) *in vita S. Leonis.*

integrum ſanumque habere, quam decem vrbibus populoſiſſimis potiri: Eidem gratius erat tot, quot in malo punico grana eſſent, Magabyzos, quàm Græciam totam ſubditam habere. Quæ quamuis per exaggerationem dicta videri poſſint inter homines, id tamen certiſſimum eſt, Deo gratiorem eſſe iuſtum vnum, quàm decem millia, immò myriadas aliquot deterioris ſortis hominum, & in vnius, qualis fuit *Paulus*, gratiam, integras conſeruare non familias tantùm, ſed vrbes quoque regionesque ampliſſimas.

Nec illud omittendum, quod opportunè monet S. Hyeronymus, contra Vigilantium, & hagiomachos. Si *Paulus* in hac vitâ nauigantibus ſecum in *Tempeſtate* opitulatus eſt, & cclxxvi. animabus (tot enim erant in eadem naui) ſalutem obtinuit, omninò eſſe exiſtimandum, quod plura poſſit nunc Chriſto in cælis proximus. Pavlvs *Apoſtolus*, inquit, *ducentas ſeptuaginta ſex animas ſibi dicit in* Naui *condonatas, & poſtquam reſolutus, eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro ijs, qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderunt mutire non poterit?* Latius id deducit vehemens ille contra hæreſiarcham diſputator, ac efficaciter conuincit ex comparatione minorum ac maiorum: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Simili vtuntur argumento in eadem materia Sancti, Chryſoſtomus (*a*) & Bernardus. (*b*)

Visvm eſt quidpiam in hoc genere admirandum ſuperiori ſeculo, quando firmiſſima nauis, quâ non recipiebatur S. *Ignatius Loiola* naufragium fecit, infirma, qua recipiebatur, portum tenuit (*c*) Redierat ex Palæſtina *Ignatius*, vbi loca ſacra peregrinus inuiſerat, & expectabat in Cypro commoditatem nauigandi in Italiam. Stabant in portu tria nauigia, mox in Italiam ſolutura: Turcicum vnum, alterum Venetum firmum ac magnum prædiuitis mercatoris, tertium puſillum, vetuſtate carieque fatiſcens. Cùm autem inſtarent peregrinorum quidam apud robuſti illius nauarchum, vt *Ignatium* ſuſciperet, Sanctum eſſe hominem memorantes, is, cognito, pauperem eſſe, Sanctis nauigio opus non eſſe reſpondit. Sed breui didicit cauillator ineptus, re ipſa non ita; Sanctos viros nauigijs, quàm nauigia Sanctis opus habere. Siquidem, cùm tres illæ onerariæ pariter vela ſecundo vento feciſſent, ſub veſperam grauiſſima *Tempeſtate* ſuborta, Turcica omninò perijt; Veneta propè Cyprum alliſa in ſcopulos naufragium fecit: paruula & malè cohærens, in quam gratis *Ignatio* facilèque aſcenſus patuerat, quamuis multum iactata, curſum tamen incolumis tenuit. Tanti intereſt in hominum Deo acceptorum comitatu verſari. Tantum habet fænus in minimos Chriſti deprompta benignitas, inquit Hiſtoricus Societatis Iesv.

(*a*) *Homil. vlt. in epiſt. ad Roma.* (*b*) *Serm. de SS. Petro & Paulo.* (*c*) *Nicol. Orland. Hiſt. Societ. lib. 1. num. 41.*

MEMBRVM IV.

NAVIS EXONERANDA.

POSTQVAM improbi fuerint amoti, & adſciti eorum loco egregiè probi, faciendum eſt peruigili induſtriâ, quod prudens ratio ſuadet, & eſt in vſu apud nautas, qui *Nauem*, dum *Tempeſtate* iactatur, exonerant. Sic Ionæ primo cap. poſtquam clamaſſent vectores ad DEVM ſuum, *miſerunt Vaſa*, nempe, vtenſilia, merces, onera, *in mare*, ad nauem alleuiandum. Hoc nautica phraſi ſignificat, *iactum facere*. Eleganter Poëta:

Decidere iactu capit cum ventis.

Quo remedio vſi quoque ſunt, qui iactabantur cum Paulo Apoſtolo (a): *Valida nobis tempeſtate iactatis*, inquit hiſtoricus, *ſequenti die iactum fecerunt*. Syrus legit: *proiecerunt vaſa noſtra in mare*: vel ſuppellectilia noſtra in mare proiecimus. Complectuntur hæc merces ac ſarcinas, tum mercatorum, tum vectorum. Cùm autem non ceſſaret *Tempeſtas*, tertia die ſuis manibus, proiecerunt armamenta nauis, ſcilicet, inſtrumenta nautica, trabes, funes, vela; immò, tandem etiam, vt alleuiarent magis nauem, *poſtquam ſatiati fuerunt*, id eſt, cibo ſe refecerunt, iactarunt in mare triticum. Græcè eſt σῖτον, quod nomen quemlibet etiam cibum nonnunquam ſignificat, præſertim panem. Fortaſſe erat ibi, vt merx, triticum; nam ex tritico, alióue grano panis in naui non ſolet confici, ſed in illam inferri: immò, alicubi cautum reperio, ne permittatur vectori piſcem in naui frigere, vel lignum findere.

ITAQVE priuant ſe in *Tempeſtate* nautæ omnibus imprimis ſuperfluis, tum etiam neceſſarijs quibuſdam. Nimirum, pellem pro pelle (vt dicitur apud Iobum, (b) *& cuncta quæ habet homo, dabit, pro anima ſua*, id eſt, pro vita temporali. Quanto magis pro vita æternâ obtinenda: (c) *renunciabit omnibus quæ poßidet*, & arbitrabitur, vt *detrimentum ac ſtercora* (d). Quam dabit homo commutationem, & quam non daret commutationem, pro anima ſuâ (e)? Incepiſti nauigare ad Virtutis & Diſciplinæ Chriſtianæ perfectionem. Vis vtà *Tempeſtate* tentationum ſit nauis libera? quicquid in illâ eſt alicuius ponderis, eijce. Et PRIMO quidem, quod eſt ponderoſiſſimum, *Peccatum*. Eo non eiecto, anima mergitur. Cùm *Ionas* eſſet in *Naui*, nautæ, inquit Chryſoſtomus (f) iactum fecerunt, *Nauis* verò nequaquam alleuiabatur. quare? quia nihil tam graue, & oneroſum, quàm *Peccatum*. Et ſæpe non ſolùm animæ nauicula mergitur in profundum, verum etiam *Nauis* propria cui ſe peccator committit. Quare vetus fuit fidelium conſuetudo, vt conſcenſuri nauim, de peccatis confiterentur. Quâ præparatione, & ſe exonerabãt, & mortis pericula ſe euaſuros ſperabant; vel ſe ad mortem, ſi DEO ſic viſum, ſuſtinendam fortiter componebant. SECVNDO. *Armamenta nauis* proijcienda ſunt: videlicet,

Occa-

(a) *Actuum* 27.18. (b) *Iob* 2 (c) *Luc*.14. (d) *Ad Philip*.3. (e) *Matth*.16.
(f) *homil*.1.*de Pænit*.

O[illegible] euadendi, per[illegible] a-[illegible]ſtantis decretum. Nondum tamen omnino tutus eris, niſi TERTIO, per *Abrenunciationem omnimodam*, panem ac t[illegible]ceris, poſtquam ſatiatus fueris, id eſt, cibo neceſſario te refeceris; nimirum, quicquid eſt *ſuperfluum*, ſuperuacaneum, voluptuarium: vt non ponatur affectus in re vllâ corporeâ, terrenâ, temp[or]alicâ. Siquidem, vt præclarè diſſerit S. BASILIVS, *Perfecta* Renuntiatio *in eo cōſiſtit, vt id aſſequamur, ne ad ipſius etiam vitæ affectionem propenſi ſimus, & reſponſum mortis habeamus, vt non ſimus fidentes in nobis ipſis. Huiuſmodi autem Renuntiatio initium ſumit ab* Alienatione *rerum externarum, veluti à poſſeſſionibus, ab inani gloria, à viuendi conſuetudine, à rerum inutilium amore. Quemadmodum ſuo exemplo nobis oſtenderunt ſancti Domini Noſtri Diſcipuli.* Quibus Magiſter [illegible] illarum frequenter [illegible]abant: (b) *Quicumque ex vobis non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, &c. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & tunc ſequere.* Eſt igitur Renuntiatio *vinculorum terreſtris vitæ, & temporalis vitæ ſolutio, atque ab humanis negotijs liberatio, per quam ad ineundam viam, quæ ad* DEVM *peruenitur aptiores & promptiores efficimur: & expedita ratio ad acquiſitionem vtriuſque rerum, quæ ſuper aurum & lapidem precioſum multum longè ſunt precioſiores.* Denique, *eſt cordis humani ad cæleſtem conuerſationem* Translatio; *ita vt dicere liceat: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Maximum autem omnium eſt quod ſit initium ad Chriſti ſimilitudinem: euadendi, qui cum diues eſſet propter nos pauper factus eſt.*

VT alium, per iactum, *Exſpoliationem*, aut *Euacuationem Nauis animatæ!* Oritur *Tempeſtas* à carne ad carnem: æſtuas libidine, quæ nauem in omnem partem rapit; ſpirat tentationis Africus, acris ſenſualitate: tentat Aſmodæus laſciuiæ procurator. Pater, exclamas, rapior, neſcis quomodo crucier in hac flammâ. quod remedium præſcribas, quæſo, aliquod; non recuſabo, quamuis amarum, difficile, acerbum: rogo Te, Pater, per omnes Cælites, eripe me ex hac *Tempeſtate*. Quæris ne hoc ſerio? ita Pater. Serio, ſerio. audi igitur. Fac quod nautæ: alleuia *Nauem*, iacta à te quod onerat, vel te iacta. Exſpolia te veſte: nudum corpus in ſpinas vel vrticas conijce, ſi eſt æſtas, cum *Benedicto* caſtiſſimo iuuene, & verſa te in omnem partem, ſemel, bis, ter. Si eſt hiems, ne te excuſes ob vrticarum penuriam, iacta te in niuem cum *Franciſco*, adoleſcente ſanctiſſimo. in ea te volue, & reuolue, gyra & regyra, agita, & reagita ad defatigationem, & nimis calefactionem, [illegible]que refrigerationem. Fac tibi, vt fecit ille *Sanctus Franciſcus*, ex cādidâ illa maſſa ſtatuas aliquot, tanquam ſororculas, illas contemplare, illas amplectere, illas nudo pectori admoue: denique, in niueâ culcitrâ aliquandiu per molliter cubans, corpus tuum, tanquam inter plumas ſepeli. Si *Tempeſtatem* illam tæterrimam à luxuriâ concitatam [illegible] ſic pugnando non ſuperes, nunquam amplius pollicenti fidem adhibe, & dic me eſſe, quem eſſe nollem, ſponſorem vanum.

AT neque habeo, inquis, vrticas in cubiculo, neque niuem in horto domeſtico, quod igitur [illegible] breue, fa-

(a) *Regul. fuſius explic. interrog.* VIII. (b) *Chriſti ſequela.*

cile, expeditum, lectus. Spolia te thorace detrahe tibi ſubuculam, exue induſium, nuda tergum, tacta à te non cutem, quod Bartholomæus facere potuit cum amore æſtuaret, ſed integumentum: arripe aculeatum flagellum; ad numeros, decies vel duodecies, aut, ſi hoc nimium, quinquies, ad honorem *Quinque Chriſti vulnerum*; ſepties ad memoriam *Septem* Dolorum DEIPARÆ; nouies venerationi Angelorum rade ac percurre æquor illud dorſuale, donec rubeſcat, & ſanguineis ſtillis, vt totidē roſeis corallis veſtietur, promitto, te omni tentatione fore ſuperiorem. Multa tu quidem promittis, Pater, audio ſubmurmurare aliquem. Meum eſt promittere, tuum experiri: effectum ſi non ſortiatur quod addico, vanitatis me argue. At durum eſt, Pater, quod proponis. Durius eſt, mihi crede, merces, vtenſilia, armamenta, veſtes, triticum, panem in mare iactare, vt è Tempeſtate enauiges, quod tamen nautæ vt ſe periculo ſubducant, faciunt promptiſſimè. Tu fac ſimiliter, quod propono, & caſtus viues.

MEMBRVM V.

NAVIS SVCCINGENDA.

EVACVATA Naui, aliud adhuc ſuadent nautæ, nempe, vt leuior facta ſuccingatur. Quod factum animaduerto Actuum Apoſtolicorum XVII. cum inſtaret naufragium à *Tempeſtate*. Nam, vt ſcribit Lucas *adiutorijs vtebantur*, id eſt, militum & vectorum operâ, *accingentes nauem, timentes, ne in Syrtim inciderent, ſubmiſſo vaſe ſic ferebantur*. Quod exponens Caietanus, ſcribit, vaſa, ſiue dolia vacua non pauca fuiſſe hinc inde demiſſa, ſicque *Succinctam Nauem*, vt ſi incidiſſet in Syrtim, hoc eſt, in mare arenoſum, quod periculo pleniſſimum eſt, dolijs nauim ſuſtinentibus in arena ex vtroque latere, ad neutrum latus deflecteret. Verius videtur, quod Venerabilis Beda arbitratur, *Nauim funibus ſuccinctam* fuiſſe. His enim, inquit, à medio latere nauis vtrimq; circumcirca eam anteriora demiſſis, anchoris his, quæ trahebentur adiunxerūt. Quemadmodum in mari Britannico refrenandæ naui, poſt tergum molaria ſaxa ſubiungere ſolent. Hæc ſanè ad retardandum nauigium faciebant, ne proſpero incurſu in Syrtes inciderent, ſolo etiam auditu terribiles, quod omnia ad ſe rapiant. Vnde nomen à tractu illis impoſitum quidam opinantur.

IN *Tentationum Tempeſtate* iuuat plurimum nauim ſuam ſuccingere, ac ſtringere funibus, ne diſſoluantur aſſeres, aut diſtringātur ſi in ſaxa vel loca arenoſa incidant. Succingitur Anima humana, *Nauis animata*, cuius aſſeres, tabulata, partes, armamenta ſunt facultates internæ, bonaque deſideria, repetitis heroicarum virtutum actibus, tanquam funibus. Deinde, ſuo tempore, votis ritè nuncupatis. Qua erga DEVM liberalitate cont[illegible] frequenter, vt ſedetur tempeſtuoſum mare, ac ſequatur tranquillitas magna. Vel, vt Mens, quamuis in grauiſſima mala, tanquam in breuia incidat, nulla in

parte lædatur. Quod ego Vobis omnibus precor: præſtare poteſt, qui ſolus omnia, DEVS PATER, FILIVS, & SPIRITVS-SANCTVS,

Amen.

COMMENTATIO XI.

ARCANVM PROVIDENTIÆ DIVINÆ

In varijs Tempeſtatum euentibus.

MEMBRVM I.

REMEDIA HVMANA FALLIBILIA.

Certè, non ſunt æque infallibilia, quæ adhibentur contra Tempeſtates Remedia.

SI omnia, quæ præſcripſiſti *Pater Reuerende*, præſtitero, inquit fortaſſe quiſpiam, ero-ne certus me *Tempeſtatem* euaſurum? & in portum ſalutis inuehendum incolumem? Quæ hactenus à me allata ſunt, *Auditores*, vobiſque commendata, ſæpe hominem, tametſi iuſtum, & DEO carum, à naufragio corporis in Mari, quod *Tempeſtas* cauſſat, non liberant; ſed permittit aliquando Maris, Terræ, Cælique Dominus, cuius iudicia ſunt occulta, & iuſta, talem tempeſtate obrui, mergi, emori, vel in pelago, vel in portu, miſerabili ſpectaculo. Ita S. *Franciſcum Xauerium* iam Chinenſis Imperij conuerſionem magno animo molientē, poſt longam periculoſamque peregrinationem in mari, poſt tot ſuperatas tempeſtates, poſt tot fluctuum impetus repulſos, in inſula deſerta, ab omnibus derelictum animam efflare voluit. Ita *Ignatium Azebedium* Societatis IESV Presbyterum, virum Apoſtolicum, cum xl. Socijs Braſiliam Euangelij cauſſa petentem à Caluiniſtica Tempeſtate circumuentum, in mari trucidari ſuſtinuit(*a*). Ita nonnullos alios è Societate IESV nauigantes ad Indos, tempeſtate naufragium inducente perire permiſit. Memorabile eſt recens exemplum, Patrum aliquot Luſitanorū, qui naui ad ſcopulum alliſa, cum nauarchus eis ſcapham offerret, qua ad littus euaderent, reſpuerunt, malentes vectorum turbæ in ſcopulo miſceri, vt illi famę morituræ, in extremo agone aſſiſterent, & animarent, tandemque commorerentur quàm ijs derelictis viuere. Quod ſanè eſt genus Martyrij, ac heroicæ caritatis, qua quis pro fratribus cum Chriſto animam ponere non dubitat. B. *Iordanes*, qui S. Dominico in Generalatu Ordinis ſucceſſit, fuitque eximiæ ſanctitatis, cum in *Terram Sanctam* trajceret, naufragium iuxta Aconem eſt paſſus, merſuſque interijt. Cùm autem multi non tam tanti viri mortē, quàm genus mortis deplorarent; ac penè quidam contra DEVM, quod Patrem Sanctū fluctibus hauriri permiſiſſet, mur-

Qq 2

(*a*) *Anno M.D.XL.*

murmurarent, Iordanes ipſe videndum ſe dedit, miro lumine coruſcans, dixitque: *Ego ſum Iordanes. Exiuiex hoc ſeculo ad gloriam Beatorum, & inter Apoſtolorum & Prophetarum coetus ſum, miſſuſque vt vos conſolarer. Hoc [illegible] tenete, nec dubitate, quia ſaluus erit omnis, qui vſque in finem Domino N. IESV Chriſto ſeruierit.* Surius Februarij XIII.

RECTE varia mortis genera perpendens Auguſtinus (*a*) dicebat: *Quid intereſt, febris aut ferrum de corpore ſoluerit: Non quâ occaſione exeant, ſed quales ad ſe exeant*, DEVS attendit in ſeruis ſuis. *Miſere vixit, mortuus & ſepultus eſt Lazarus; [illegible] lidè Diues Epulo: ſed hic deſcendit in gehennam, ille ab Angelis ſublatus eſt in ſinum Abrahe.* Iterum S. Auguſtinus (*c*) *Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit. Neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. Non itaque multum curandum eſt, eis, qui neceſſario morituri ſunt, quid accidat, vt moriantur, ſed moriendo, quò ire cogantur. Cum igitur Chriſtiani nouerint longè meliorem fuiſſe [illegible] pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impij diuitis in purpura & byſſo: Horrenda illa genera mortuum, quid mortuis obfuerunt, qui benè vixerunt?* Iuſtus igitur ad omne genus mortis æquè eſt paratus, ſciens, certè, ſperans, quod *quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*d*). Illius ſunt voces plenæ conſolationis, quamuis in medio mari cum vndis luctantis. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* (*e*) *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Pſalmo XV. Eia Socij, *Siue viuimus, Domino viuimus. Siue morimur, Dominus dedit, Domino morimur. Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomẽ Domini benedictũ.* Itaq; nõ ſemper remedia, ad *Tempeſtatẽ* in mari à nautis euitandam adhiberi ſolita, corpus à naufragio liberant. Securos tamen vos facere poſſum, ſi, quæ præſcripſi remedia diligenter adhibueritis ad *Tentationum Tempeſtates* euadendas, fore, vt cum diuina gratia *Naues* animarum veſtrarum, nullis virtutum armamentis amiſſis, in ſalutis portum, ſaluis meritorum mercibus, inuehatis.

(*a*) *Epiſt.* 121. *Lege in pſal.* 33. (b) *Luca* 16. (*c*) *lib.* 1. *de Ciuit cap.* 11. (d) *Sap.* 4. (e) *Pſal.* 15. 8.

MEMBRVM II.

EXEMPLVM FIDVCIÆ IN DEVM

In Nauigatione & Tempeſtatibus.

QVANTVM poſſit in DEVM *Fiducia*, dum præſens eſt naufragij periculũ, nec vllum ab ope humanâ remediũ docuit ſuperioris ſeculi exemplum commemoratione digniſſimum, ad ſpem in miſericordia diuina concipiendã fouendamque (*a*) ANNO M.D. LV. cùm Patres aliquot Societatis IESV nauigarent ex Luſitania in Indiam à Mozambico, dum vaſtum præciderent Oceanum, abducta à ceteris ũ cõſpectu oneraria vna, *Conceptionẽ* vocabãt, qua ducenta quadraginta capita vehebantur, & in ijs, de Societate

(*a*) *Nicolaus Orlandinus lib.* 15. *hiſtor. Societ. ad ann.* 125.

[illegible]tate tres, *Andreas Conſaluius, Paſchalis Catalanus*, & *Alfonſus Lopius*, x[illegible] K[illegible] Septemb. per tenebras noctis in Syrtes impacta hæſit, trecentis, vel quingentis circiter à Goa leucis. Fit gemitus & comploratio: & nox inſomnis in confuſa querimonia, fletuque traducitur. Vbi primum diluxit, auidè circumſpectantibus, aridi quiddam non procul apparet. Aceruus arenæ potius, quàm inſula erat, trecentos ambitu paſſus haud plus colligens: nudum ſolum, & ab omni humano cultu deſertum. Fontem aquæ non importunum habebat. Huc tranſuecti omnes lembo & ſcaphâ: & quicquid ex communi [illegible] potuit comportatum. Nauarchus re conſultâ cum ſuis, neceſſario commeatu, & copijs regijs in lembum impoſitis, propè furtim, ad concertationes [illegible], ex mijs cum viris [illegible], pleniſque mari aſſuetis Goam contendit: ijs, quod dictitabat, ſi ſaluus appelleret, auxilium [illegible]. Eo digreſſo, relicta turba, quo [illegible] a [illegible] aliquo regeretur ordine, Principem ſibi conſtituit Aluarum Tauium Comitis Caſtaneriæ nepotem duodeuiginti annorum adoleſcentem, addito à conſilijs viro æui maturo, caſibusque grauiſſimis terra marique in Europâ, & India erudito. Qui aliquamdiu nauarchi reditu expectato, ne, quod futurum metuebant, incertâ ſpe, atque expectatione ſuſpenſi inediâ contabeſcerent, è naufragij reliquijs concinnata rate, cui MISERICORDIA DEI nomen fecêre, quod planè niſi ſingulari DEI *Miſericordiâ* tam fragili incompoſitoque machinamento, per tantam Oceani vaſtitatem ſalui eſſe non poſſent, cum alijsquaſi [illegible] tribus, DEI ſe *Miſericordiæ* crediderunt, haud ſanè irrita FIDVCIA. Per innumerabilia diſcrimina, ac potius continuam mortem, admirabilia vbique ſuccurrentis DEI documenta experti, Cocinum incolumes tenuerunt, vulgo eos tanquam bis natos homines ſpectatum concurrente. Reſtabant in deſerto illo puſilloque arenæ tumulo centum fermè ac ſeptuaginta, cumque ijs tres illi de Societate Patres, qui ſuam in ratem ab antecedentibus inuitati, præcipuam conditionem in communi diſcrimine recuſarunt, ne tot animas afflictas periclitantesque, ſuis quoque deſtitutas officijs (quo erant caritatis ardore) deſererent.

MEMBRVM III.

SPECTACVLVM MISERABILE

Tempeſtate vna, & communi naufragio pereuntium multorum, nullo bonorum malorumue diſcrimine.

ERANT in illa turba omnis generis homines, & quidem è Societate tres Patres, quorum verſabatur ante oculos Diuinum illud Euangeliſtæ Ioannis præceptum: *DEVS animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Paruerunt præcepto, poſuerunt animam ſuam pro multis fratribus, nec eorum paſſi ſunt animos diuini verbi pabulo fraudari, quorum iam deerant ſua alimenta corporibus. Itaque Patres, ſpe vitæ futuræ patriæque cæleſtis naufrage

illos fame rentes erigere [illegible], quos ſpes defecerat vitæ præſentis, hortari ad tolerandos inediæ cruciatus, admonere ſuæ quemque ſalutis, excipere pro viribus confeſſiones, diem ſanctè fallere, ſupplicationes inſtituere, & Cælitum nominatim patrocinia poſcere: nullum non genus adhibere ſolatij. Sed cùm fames acueretur in horas, & languida membra depaſceret, exiſtimari poteſt, quâ miſericordia Patrum viſcera tangerentur, qui non minus alienis, quàm ſuis commouebantur angoribus. Quæ tum illis mens, qui ſenſus, cum ex ijs quoſdam cernerent defatigari quærendo, numquid vſpiam reperirent eſcarum: alios aciem in ſpeculis perdere, num rediret cum commeatu Nauarchus, aut afferretur aliquid alicunde ſubſidij? Nonnullos Deo ac Cælitibus vota facere, vt extremum illud tempus, ac diſcrimen euaderent. Nonnullos execrari diem & horam, quâ caput ſuum pelago commiſiſſent, lucri commoda deteſtari, tanto vitæ quæſita diſpendio. At cōtrà, Patres, ſi Devs, aiebant, ſolicitus eſt noſtri, nec humana negligit, quod diffiteri ſine ſcelere nemo audet, ſi nullo negotio poteſt his cibaria parare corporibus, qui volucres cæli paſcit, nec tamen extremæ fortunæ occurrit, documento eſſe poteſt, noſtris id animis non conducere. Quod in nobis eſt, iam præſtitimus, functi ſumus officio: non defuit quærendi labor, non precandi ſtudium, non expectandi patientia.

Qvid igitur reliquum eſt, aut quid à nobis aliud exigat Devs, niſi [illegible] conijciamus has [illegible] quarum vnus ipſe laborem dolorémque conſiderat? Nouit ipſe quid animarum ſaluti conducat, & apud eum eſt iam inde ab æternitate decretum, quo tandem nobis ad eum ſit itinere reuertendum. Si denegandis vitæ ſubſidijs, morti nos deſtinat, cur recuſemus mori? Semel eſt omnibus occumbendum, ſerius, ocius: non magni intereſt, hic alibiue; hoc vel illo lethi genere quis occumbat, ſi ſit iter ad vitam. Vndique tantundem ſpacij ad cælum eſt. Tutius fames enecat, quam *Tempeſtas*. Muneris diuini fuit ex teterrimo naufragio in hanc inſulam euaſiſſe, quo tranquillius paratiusque diem vltimum claudamus. Si moriendum eſt, integris ſenſibus præſtat emori, non morbo obſtupefactis: pacatis animis, non turbulentis: in ſolo conſtanti, non inter fluctus & vndas. Tutior hæc mortis ratio, quamuis longior: palmæ & coronæ maioris, quamuis fortaſſe moleſtior. Dat pænitendi locum, non ſubitò ad Iudicem rapit: dat componendi animi ſpacium, non occupat ex inſidijs: dat conciliandi, placandique ſibi Dei facultatem, non importunè raptat ad tribunal. Similia his monebant optimi Dei famuli famem corporum, vt [illegible], pabulo mentium lenientes. Præſto fuit ad producendam Patrum aliorumque diu vitam magna vis maritimarum auium, quæ facilè vel manu capiebantur: aliquid etiam piſcium trahebant. Sed cùm iam menſis nonus fluxiſſet, planè mors erat in limine, & res iam in extremum adducta diſcrimen. Iam color miſeris, vita ſe ipſam abſumente, defluxerat: iam introrſus ſe condiderant oculi, obturatique receſſerat, iam aridæ fluebant buccæ miſerabili oſcitatione hiantes, genua ſuccidebant, artus languore labahant, & cùm hærere veſtigio membra non poſſent, abijcie-

ijcie-

ijciebantur, & ſternebantur in terram.

QVID non tentatum credimus ad vitam in expectationem ſubſidij diem prorogandam? vnde non quæſita neceſſitati leuamenta? In ſumma, vt eſt pertinax vitæ amor, cùm [illegible] adhuc quædam fractæ Naui reſtarent, quæ æſtus & fluctus ad inſulam compulerant, ratem aliam moliuntur, haud quidem ſpe Indiam attingendi, ſed vt circa ſpecularentur, ſi quid vſquam appareret effugij. In hanc vnus & triginta viri conſcenderunt, duobus aquæ cadis, & aliquanto aridi piſcis impoſito: adeò mors vrgebat vndique. Cum his pari omnium voluntate etiam Patres abiere. Nam & qui abibant, eos optabant ad ſolatium comites; & qui manebant, ſperabant, ſi quid inueniretur opis, ſua illos caritate facturos, vt & ipſi participes fierent. Alterum iam menſem per auia Oceani turba infelix errabant; & rebus omnibus ac viribus quoque exhauſtis, præter comitum cadauera, quos imbecillitas & inedia conſumpſerat, marinis monſtris eſcam abiecerant, cùm plures numero conſpicantur inſulas. Quo aſpectu paullulum recreati curſum ad vnam dirigunt, in qua palmæ pulcherrimæ conſpiciebantur. Sed tanta fuit imbecillitas hominum, adeò inhabile nauigium, vt ſæpius conata appellere, nunquam potuerint. Conſilium ergo capiunt ad inſulam humilem & propè demerſam fluctibus eandemque omninò ſterilem leuandi nauigij gratiâ, partem vectorum exponere. Quod cum feciſſent, ac Patres quoque expoſuiſſent, ad fertilem meliore nauigio reuecti, conatique tandem appellunt. Hic verò lætiſſima rerum facies offertur, palmarum maxima vis matura cum fruge: variorum graminum vbique prompta copia. Ceterum, vt ferè fit ab longâ fame, & laſſitudine ſaturatos auidius, continuò vniuerſos grauiſſimus proſtrauit languor, tam diuque tenuit, vt cum ad comites expoſitos in maligna inſula redierunt, præter duos, qui etiam nunc ſpiritum ægrè trahebant, cum ceteros, tum illos de Societate fame conſumptos inuenerint. Hac gloria patientiæ & caritatis illuſtres tres illi fideles Chriſti imitatores exierunt è vita. Et erant ſinguli probatæ excellentiſque virtutis. Felices animæ, quæ tam decoris caritatis inſignibus, tam illuſtri purpura prodierunt obuiam Domino ſuo, penetrarunt ad Beatos, ingreſſæ ſunt cæleſte conuiuium, & nunc recumbunt in Cæna illa magna, quã DEI Filius ærumnoſo illi ieiunio præparauit. Fortunata fames, quam menſa talis excepit: quam epularum iucunditas DEI Filio miniſtro, & æternitas ſatiat. Breuis fames illa fuit, ſaturitas ſempiterna.

* * *

MEMBRVM IV.
VOLVNTAS DEI HONORANDA.

QVARE DEVS *multos ſinit Tempeſtatibus iactari, aliquos inuolui, quoſdã naufragium facere, & emergere, aliquos interire non malos tantum, ſed bonos etiam, immò, optimos?* Exclamet hic aliquis: *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & ſcientiæ* DEI! *quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* (a) *Quis cognouit ſenſum Domini? aut*

(a) *ad Rom. xi.*

ſatiabilis impellit ad nauigandum. Quoſdam homicidij aut grauioris facinoris conſcientia in naualem fugam conijcit. Hi omnes magna parte rerum diuinarum obliti, periculis admonentur, vt opem cæleſtem implorent. Qua de cauſſa vulgare illud circumfertur. Qui neſcit orare, vadat ad mare.

QVOD *vel Ethnici fecerunt, quamquam in eo decepti, quod* Caſtores *&* Polluces, *&* Tritones *& neſcio quas ligneas* Nereides *&* Glaucos *in auxilium vocarunt. Quam rem S. Spiritus ſtultitiæ conuincit, dum ait:* Alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante ſe, fragilius lignum inuocat. (*a*) *Melius fecerunt, melioremquè* DEVM *inuocauerunt illi nautæ, qui in media tempeſtate* clamauerunt ad Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vota vouerunt, Ionæ I. *Quos rectè plurimi pièque, & ſæpe ſalubriter imitantur, qui naui, & ſibi à naufragio metuentes varia vota, ſi diſcrimen euadunt,* DEO *faciunt. Et alij quidem peregrinationum ad hunc vel illum Diuum: alij verò ieiuniorum certis diebus tolerandorum; alij eleemoſynarum in egenos erogandarum; alij ædificandorum templorum; alij perpetuæ caſtitatis; alij religionis ingrediendæ. Ob hos tales effectus, an non vtiles cenſendæ ſint maris tempeſtates? Multorum contumaciam fregit in tempeſtate naufragij motus.*

A T, *multos merſit mare, fortaſſe nocentes. Quod ſi fuerint aliqui innocentes: compendium mortis habuerunt & doloris. Minor eſt cruciatus, vndis abſumi, quàm flammis. Quem non curioſitas nauibus aueheret in inſulas Fortunatis, aliasque nouas terras; quem non cupiditas habendi allicere, ſi* Tempeſtatem *non metuerent, ſi nauigantes non periclitarentur? Adde maximam virtutis laudem eſſe, diſcrimina non horrere, & ſuperaſſe, quod fuit cum periculo laborioſum. Quæ gloria fuiſſet Danao Beli filio, qui* Nauem *primus ex Ægypto in Græciam aduexit? quæ Iaſoni* & *Argonautis? quæ* Chriſtophoro Columbo, *ſi nauigatio* Tempeſtatibus *careret, & periculis?*

(a) *Sapientiæ XIV.*

LIBER VI.

NAVMACHIA CHRISTIANA

ECCLESIÆ MILITANTIS,

In quâ, poſt pugnam cum Tempeſtate, deſcribitur multiplex prælium nauale cum hoſtium claſſibus.

COMMENTATIO I.

PRIMA PARASCEVE

Ad Congreſſum hoſtilem in Mari.

In quâ exhibetur Compoſitio loci. Repræſentatio Claſſium aduerſariarum. Cohortationes Ducum oppoſitorum. Claſſicum. Et, Quæ cauenda vniuerſim initio.

Aſcendens IESVS *in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, à terrâ reducere puſillum, & ſedens docebat de nauiculâ.* Lucæ V.

MEMBRVM I.

EXHORTATIO AD CLASSIARIOS

CHRISTI AD SVOS. LVCIFERI AD SVOS.

NOn eſt ſatis ad deuincendum hoſtem, & occupandum Regnum maritimum (quod Chriſto Imperatori Supremo in animo ſemper fuiſſe, cùm Mundum per Apoſtolos ſubigere ſtatuiſſet, in ſuperioribus eſt demonſtratum) non eſt, inquam, ſatis, inſtruxiſſe *Claſſem*: nec ſufficit euitaſſe, aut ſuperaſſe *Tempeſtatem*; ſed præterea neceſſe eſt, pugnâ nauali inimicas *Naues* inceſſere, aggredi, profligare: aut mergere. De prioribus actum eſt in præcedentibus: poſteriora nunc pertractanda ſunt. Quod vt fiat cum fructu, poſtulat Auditores animi generoſi ac militaris, quia Eccleſiæ Militantis fideles filios: attentos, non magis auribus, quàm animis; præſentes, non magis corpore, quàm ſpiritu; beneuolos, non tam fabulis, ac ſibilis, quàm taciturnitate: quales fore meos haud ambigo. Eia igitur ad Oceanum omnes mecum pergite, aut, ſi in eo eſtis, ſuo quilibet loco conſiſtite. Nam iam tandem tempus aduenit, quo inſtructis in mari claſſibus, oſtendã vobis, quomodo certamine nauali ſit cum hoſte cõgrediendum. Quod, vt fiat iucundius, & penè ad oculum, quod dicitur, monſtretur,

tur,concipite Aulam hanc Academicam, tanquam *Oceanum*, in eaque *Orientem* antrorſum; *Occidentem* retrorſum; *Meridiem* dextrorſum, *Septentrionem* ſiniſtrorſum. Sit in Oriente portus Calecutanus, in quo expedita ſtet ad nauigandum *Claſſis* Archithalaſſi Cacodæmonis *Luciferi*. In Occidente portus Vlyſipponenſis, in quo conſiſtat parata ad excurrendum, expanſis iam velis, *Claſſis Chriſti*, ſuos ad fortiter pugnandum hortatiunculâ militari animantis. Cogitate Vos audire dicentem.

Agite ſultis, Commilitones promptiſſimi, ingreſſi ſumus mare: non egrediamur niſi victores. Pugnate fortiter, hoſtem alacriter inuadite, profligate, internecione delete: naues illius perforate, incendite, ſubmergite: Mare liberum à nefarijs iſtis prædonibus, nauigationi noſtræ ad auriferas Patriæ, quò tendimus, regiones infeſtiſſimis. Poteſtis, ſi vultis. Ego me Vobis præſentem in *Prætoriâ*, cuius nomen, *Eccleſia*, Vexillum, Crux purpurea, Quinque notulis coccineis, vt totidem Stellulis ſignata, omnibusque conſpicua, exhibebo ſemper. *Vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi.* non dubitate. Meis tantùm mandatis aurem animumque accommodate. Cauete à præuaricatione. Quod me videritis facere, hoc facite. quid facilius? vitam potius, quàm arma ſemel vobis à me tradita, ponite. Obedite Nauarchis veſtris. In omnem benè gerendi occaſionem intenti, nihil, quod ad glorioſam victoriam ſpectat, omittite. Tandem, Deo fidite. pluribus haud opus. Expandite vela, remis incumbite: canetur claſſicum, perſonent tubæ: audiatur carmen breuiſſimum, quod ſonora omnes voce ingeminent: Deo & Virtvti, procurrite, aut, ſi mauultis, volate. Iam nauigantes videtis animo internis haud dubiè Chriſti claſſiarios, mox prælianteſ ſpectabitis.

In alterâ claſſe horrida fuit ac truculenta Imperatoris Tartarei cohortatio. Infernales furiæ, Superis inuiſæ cohortes, fœdiſſima Erebi agmina: falſi Prophetæ, ouillâ pelle induti rapaces Lupi, per Acheronta ego iuro, & Paludem Stygiam, mens mihi eſt, Chriſti Capitalis hoſtis noſtri Claſſem opprimere, debellare gentem nobis inimicam, exſcindere ſtirpitus noſtris aduerſum conatibus populum. Quid hæretis? coniurate, frendite, fremite, blaſphemate, concurrite, contos expedite, remos concutite, ſulphur ſpirate, flammas vomite, picem & pyrobolos iacite, tempeſtatem fœdiſſimam excitate. Deinde, quod pictæ aliquando repræſentarunt tabulæ, demulcebat ſingulorum capita, quibus cæſariem, & in dorſum dependentem comam conficiebant ſerpentes & barbam ad genua demiſſam colubri. Mox ad ſingulos conuerſus. Tu ſceleratiſſime *Leuiathan* Prætoriam Chriſti inuade, Petrum piſcatorculum excute, fluctibus merge. Tu furioſiſsime *Behemoth* in Triremem Religionis incurre; illam perfora, illius puppim, proramque confringe. Tu libidinoſiſſime *Aſmodæe*, Tu propudioſiſsime *Beelzebub*, Tu petulantiſsime *Belial*, Vos reliqui Dracones, Struthiones, Lamiæ, Baſilici, ſcelerum irritatores & architecti, turpiſsima monſtra, vim omnem exerite, buccinas inflare,

flate, clangite, vlulate: vnum audiatur acroama: LVCIFERO & SCELERI nunc operi manum admouete.

* * *

MEMBRVM II.

PRÆVENTIONE VTENDVM.

Claſſiſque è portu, in ſpacioſum mare educenda.

Duc in altum. Lucæ v. 4.

EN ſtant in procinctu Claſſes, vt concurrant. Iam quomodo congrediendum, attendite. Imprimis ad peritiam Archithalaſſi ſpectat, cauere, ne ſua claſſis in portu concludatur, & improuiſò obruatur, dum adhuc terræ adhæret. Contrarium ſi obtineat hoſtis, victoriæ penè eſt ſecurus. Nam *Claſſis*, quæ in portu arctatur, conſtituendi, naues in acie, conuertendi, ſuccurrendi circumueniendi non habet poteſtatem. Quare animaduerto in omni pugnâ nauali primam eſſe Nauarchorum curam, vt præuentione hoſtem decipiant, & impediant, ne in apertum æquor procurrat, ſed detineatur ad terram, velut indagine cinctus in portu. Omitto vetera: recentiora magis delectant, ac ſuauius influunt, & tempenè oculis ſubijciunt.

ANNO ſuperioris ſeculi LXXI. cùm Nicoſiam Cypri vrbem Turcæ occupaſſent anno præcedenti, ac reliquæ Cypro, dudum ditionis Venetæ Inſulæ toti incubarent, Pius V. Pontifex Max. Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus, Veneti, ac Italiæ Principes ſacrum fœdus (vulgo *Sanctam Ligam* vocabant) contra Turcam inierunt, copias nauium, triremium, militum ſimul iungere parati. Pontifex M. *Antonio Columna* triremes inſignes XII. Rex Catholicus Ioanni *Auſtriaco* fratri ſuo, Caroli V. filio triremes LXXXI. ac naues magnas XX. Veneti *Sebaſtiano Venerio* triremes CVIII. & quinqueremes VI. cum duabus magnis nauibus tradiderunt. Principes reliqui pro ſuâ quiſque facultate conferebant. Fuerunt itaque cum triremibus Equitum Melitenſium ſimul omnes Chriſtianorum triremes CC. & VIII. naues magnæ XXV. Liburnicæ, ſeu celoces XL. Iis impoſiti milites Itali duodecim millia, Hiſpani octo millia, Germani tria millia, prætereà; tria millia voluntarij variarum nationum. Inter quos plurimi Belgæ, tam nobiles, quàm alij, qui tumultus Belgicos vitabant. Inſuper nautarum, ſeruorum, & mancipiorum ſufficiens numerus. ARCHITHALASSVS potentiſſimæ huius Claſſis electus fuit *Ioannes Auſtriacus*, cuius ætatem adhuc minorem gubernabat *Ludouicus Requeſenius* Commendator Maior (vt vocabatur) qui poſt Belgarum factus Gubernator, in Belgio obijt. Nauales hæ copiæ ſimul omnes congregabãtur propè Corcyrã tertio Nonas Octob. Eodem tempore Turcica Claſſis trecentarum triremiũ, nauiumque Naupacti, vulgo Lepanti, cõſidebat. Iãque Turcæ iuſſi, animatique Chriſtianos oppugnatũ veniebãt pridie nonas octob. Chriſtiani animis, dextriſque hoſtẽ con-

tra inuadere parati, Cephaloniam inſulam petebant: cùm claſſes vtriuque improuiſo, altera in alterius conſpectum veniunt, propè Echinades, vbi Cuzelaria inſula. Chriſtiani, ne includerentur, *Præuentione* vtendum prudenter rati, inſulâ citiſſimò relictâ, apertum mare petere accelerant: quod ipſis ceſſit è voto. Quid deinde actum, intelligetis in ſubſequentibus. Nunc hoc ſolum volebam: in mari pugnam aggredienti, curandum, ne cum ſuâ claſſe deprehendatur in anguſtijs, ſed *præueniat*, & in amplum pelagus quamprimum euadat.

Qvod ſi factum fuiſſet à claſſe Hiſpanica Anno M.D.XCVI, ab Anglis Hollandiſque tantum non fuiſſet paſſa. Siquidem illo anno ingens claſſis Anglicana Hollandicis nauibus aucta, triginta circiter armatorum milliâ vehens, medio Iunij Plimutha Angliæ portu ſoluit, & vigeſimo nono eiuſdem Portugalliam præternauigans, in conſpectu Gadium (vulgo *Calctum* Hiſpaniæ vocant) die eiuſdem menſis trigeſimo conſtitit. Stabat hic non exigua item claſſis Hiſpanorum. Quattuor galeones, quarum ſingulæ mille circiter pedites vehebant, & triremes viginti duæ. *Prætoria* Nauis S. *Philippi* nomine inſignita ante aciem ſtabat cum alia S. *Andreæ*. In has *Prætoria* Anglorum inuecta diu atrociſſimè pugnauit. Aduolabat deinde Archithalaſſus Hollandorum, aliæque naues, quæ omni ex parte pilis ita Hiſpanos infeſtarunt, ac lacerarunt, vt propugnatores partim cæſi ſint, partim enatarint: ipſæ autem *Naues* duæ ab hoſtibus occupatæ & incenſæ ſunt. Non tamen ſine inſigni clade Hollandorum Anglorumque, quorum tria nauigia, & aliquot minora depreſſa fuerunt. Penes ipſos tamen ſtetit victoria. Nam Hiſpanica claſſis, amiſſis S. Andreæ & S. Philippi nauibus, ſubducere in tutumque ſe recipere coacta. Anglis & Hollandis, poſtquam oppidum etiam multo ſanguine profuſo expugnaſſent, inſulam diripiendam reliquerunt. Qui incenſa quoque Gadium, ſeu Caleti vrbe crudelitatis reliquere veſtigia. Infelicis pugnæ cauſſa, fuit hoſtis ad omnem occaſionem peruigilis *Præuentio*.

Qvæ malorum omnium, quibus modò premitur, ac penè opprimitur Germania eſt cauſſa originaria? vt altiores omittamus, quæ peccatorum noſtrorum ambitu, Dei iuſti iudicis vindictam prouocantium continentur; quod Catholici non ſint vſi Præventione. Nam Politici ita inter ſuos differebant. Cùm colluuies gentium Septentrionalium, Gothi, Vandali, Lappi, Finni comparata claſſe, mare Balticum traijcere tentabāt, concludendi erant in portu, neque permittendum, vt in apertum prouecti pelagus Stralſundam vſque peruenirent; aut ibi ſaltem, antequam exſcenſionem facerent, continendi fuiſſent, curandumque, ne in fundo Imperij pedem ponerent, atque vlterius in Pomeraniam denſo agmine, & explicatis ſignis tenderent. Sed hoſtes nobis prudentiores fuêre, à quibus *præuenti* ſumus: & errorem agnoſcimus, ſed emendare non poſſumus; quia in anguſtias coacti, ſicut claſſis in portu concluſa, ab hoſtili nauium congerie circumuallamur. Cur in Eccleſiam Gallicanam, Britannicam, Germanicam, Belgicam, Bohemicam, Hungaricam, Polonicam, Danicam, Suecicam tanta eſt inducta va-

Ob hanc cauſſam S. Baſilius (*a*) admiratur Moſen legislatorem, ac in eo DEVM, qui more optimi Medici morbum prauarum cogitationum anteuerterit illo præcepto: (*b*) Attende tibi ipſi, nequando fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas. *Vt enim*, inquit, *rei medicæ experientiſsimi imbecilliora corpora multo ante morbum præmuniunt præſeruatiuis, & ſalutaribus monitis: itidem & ille prouidus, communiſque* Curator, *ac verax cum primis animarum* Medicus, *quia nos videt parte eſſe ad peccandum longè propenſiores, hanc anteuertit, vt fortiore quopiam antidoto præſeruatorio communiret*. Ab hac prouidâ ſolicitudine mirificè laudat Io. Caſſianus (*c*) Ægyptiorum Monachorum Magiſtros, quod in iuniorum curatione præcauere conarentur: Illius hæc eſt cum Baſilio comparatio. *Vt ſolent peritiſsimi Medicorum non ſolùm mederi præſentibus morbis, verùm etiam futuris ſagaci peritia occurrere, eoſque præceptis, vel poculis ſalutaribus præuenire. Ita hi quoque veriſsimi animarum* Medici *emerſuras valetudines cordium ſpiritali collatione, velut quodam cæleſti antidoto præcauent*.

(a) *Baſ. Homilia. Attende tibi.* (b) *Caſſianus in Inſtit. Monaſt.*

MEMBRVM III.

NAVES A TERRA DEDVCENDÆ.

ALIVD prætereà denotat Claſſis è portu ſubductio, & illud, *Duc in altum*. Prius dixerat ſupremus Gubernator Petro, ſuo Vicario, vt *Nauem* à terrâ ſubduceret puſillũ, tũ adiunxit, *Duc in altũ*. ubducere *Nauẽ* eſt, ſi bonos ſequamur Interpretes, à populo ſecedere, turbã relinquere, à vulgo ſeparari. Non voluit dare initium docendi, & exhortãdi Chriſtus, niſi poſtquam à terrâ aliquantulum auulſa fuit nauis. Inſinuabat, Nauiculariũm quemlibet in Claſſe Chriſtianâ, qualis eſt Paſtor, Doctorque populi, qualis etiam quilibet Sacerdos, ſanè eſſe deberet, & minimùm exemplo Doctorem agere, oportere eſſe à terrâ ac turbâ ſeparatum; ita, vt in elemento ſit altiore. Populus erat in terrâ: Chriſtus auulſus à terrâ, in aquâ. Si ſicut populus, turba, vulgus, ita ſit Paſtor, Doctor, Sacerdos, vileſcit horum perſona, nec non officium. Tunc autem Sacerdos eſt, ſicut populus, ſenſu M. Gregorij; (*a*) *quando ea agit quis, qui ſpiritualis Officio fungitur, quæ illi faciunt, qui adhuc de ſtudijs carnalibus iudicantur*. Quod Ieremias Propheta deplorat, (*b*) dicens: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium plateарũ?* Aurum obſcuratur, *cùm vita ſanctitatis terrenis actibus polluitur*, Color optimus mutatur, *cùm quorundam, qui degere religiosè credebantur, æſtimatio anteacta minuitur. Nam cùm quilibet poſt ſanctitatis habitum, terrenis ſe actibus inſerit, quaſi colore permutata, ante humanos oculos eius reuerentia deſpecta palleſcit*. Sanctuarij lapides diſperſi per plateas iacent, *cùm perſonæ Sacrorum Ordinũ voluptatũ ſuarum libidini deditæ terrenis negocijs inhærent*. Hinc in Nauiculatoribus Claſſis Chriſtianæ corruptela.

NEC caret myſterio, hoc quidem ſenſu, τὸ *Puſillum*. Poſtulat quidẽ Dominus in ſuis adminiſtris, vt à terrâ ſubitò recedant, ſed non omninò procul, nõ remotiſſimè,

(a) *Parte 1. Paſtor. cap. 7.* (b) *Threnor. 4. v. 1.*

ſimè, non extra omnium conſpectum, ita vt nec ipſi conueniri poſſint, aut conſpici, nec illos, quorum gerunt curam, conſpicere. Habeat in conſpectu ſuos claſſiarios *Nauarchus*, vt agnoſcat vultum pecoris ſui, vt inſtruat coràm, & imperet. Sit ſeparatus à terra, & in alio conſtitutus elemento, *Curio, Antiſtes, Epiſcopus*, ſed *puſillum*, non longius, quàm vbi commodè audiri poteſt, & ſpectari, vt eius ad exemplum fiant omnia. Quod pulcherrimo exemplo adumbrat idem magnus Papa, exponens illud Prophetæ Ezechielis XLIV. *Sacerdotes caput ſuum non radant, nec comam nutriant, ſed tondentes attondeant capita ſua.* Sacerdotes illi caput radunt, qui cogitationem omnem ſibi commiſſorum, amore ſolitudinis, aut ocij infructuoſi abijciunt, quique longiſſimè à ſuis ſe ſeparant. Siquidem cogitationes, & curæ capillis ſignificantur, qui ex capite oriuntur. Illi verò comam nutriunt, qui cogitationibus vanis & multiplicibus curis, ac negotijs ſecularibus onerantur, quibus oculi mentis, haud ſequiùs, ac corporei coma dependente inuoluuntur, & ſpiritualiter videndi vſum amittunt. Non radat igitur caput in Chriſtianâ Claſſe *Præfectus*, nec longam nutriat comam; nec ſuorum curam deponat, nec nimia ſollicitudine ſe oneret: non nimis ſit illis vicinus, & familiaris, non etiam nimis ab ijs remotus, ſed *puſillum* ab ijs recedat: Neruosè D. Gregorius: *Sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vitâ ſubditorum, nec à ſe funditus amputent, nec rurſus ad creſcendum nimis relaxent.* Eiuſdem ſapientiſſimi Patris eſt iſta obſeruatio: rudi popello, neque alta nimis, neque terrena eſſe prædicanda. *Eccleſiaſtes* ille, qui coram imperita plebe de ijs, quæ auditorum captum ſuperant verba facit, *Nauem* à terra in altum ſubitò ducit. Is verò, qui pro indoctæ plebis captu, accommodatè ad auditores ſuos loquitur, à terra *Nauem* reducit *puſillum*.

In quem ſenſum trahit Papa Magnus (a) illud Iobi XXVI. *Ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum*: hoc eſt, Deus in Oratoribus Eccleſiaſticis, tanquam Legatis ſuis, doctrinam ligat, ne totam tumultuariè effundant, ſed pro temporum, locorumque diuerſitate, ad captum auditorum ſermonem proferant. Per *Nauem Petri*, inquit, *quid aliud, quàm commiſſa Petro Eccleſia deſignatur. De qua, vt Dominus prædicet, eam non in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri. Profectò ſignificans, Prædicatores ſuos rudibus debere populis, neque alta nimis de cæleſtibus, neque tamen terrena prædicare.* Aqua ligatur in nubibus *quia Prædicatorum ſcientia infirmorum mentibus loquens, quantum ſentire valet, docere prohibetur.* In eundem ſenſum S. Auguſtinus: (b) *Quod*, ait, *aſcendens in nauim Dominus, quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere puſillum, ſignificat temperatè vtendum verbo ad turbas. Vt nec terrena ijs præcipiantur, nec ſic à terrenis in profundiora ſacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant.* Addit idem Doctor Hipponenſis nouam ex ingenio ſuo illius facti interpretationem, vt voluerit indicare Chriſtus, Apoſtolos prius in propinquis, poſteà in remotis regionibus Euangelium prædicaturos. Siquidem tunc à terra nauiculam reduxerunt *puſillum*, cùm in Iudæa docuerunt: tunc *in altum*

(a) *lib. XXVI. Moral.* (b) *lib. 2. qq. Euang. q. 2.*

tum duxerunt, cùm inter Ethnicos Euangelium promulgarunt. Hunc quoque ſenſum exprimit Haymo. Quaſi Chriſtus, cùm dixit, *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ*, mādauerit à terra reducere *puſillū*: quādo verò adiunxit: *Et vſque ad vltimum terræ*, vnicuiq; præceperit: *Duc in altū.*

POTEST idem duplicis membri dictū referri ad Apoſtolorum vocationem duplicem. Nam à terrâ *puſillum* nauiculas ſuas reduxerunt, quando ad Chriſti familiaritatem acceſſerunt: poſt a verò *in altum* duxerunt, quando terram, id eſt, terrena omnia voto acre deſeruerunt. Tandem, duxit *in altum* Petrus cum in altiſſimum Trinitatis atque Incarnationis pelagus procurrit. Nimirum, rogabat Dominus: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Ceteri cymbam quilibet ſuam à terra *puſillum* reducebat: Alij dicebant, Chriſtū eſſe Ioannem, alij Eliam, alij vnum ex Prophetis. At tu Petre, quem me eſſe dicis? *Duc in altum* reſponde. Domine, *Tu es Chriſtus Filius* DEI *viui.* S. Ambroſius Lucæ v. Soli Petro dicitur: *Duc in altum*: hoc eſt, *in profundum diſputationum.* Quid enim tam altum, quam altitudinem Diuinitatis videre? ſcire DEI Filium, & profeſſionem diuinæ Generationis adſumere? In hoc *altum* diſputationis *Nauis Prætoria* Claſſis Chriſtianæ à Petro ducitur, vt videat hinc reſurgentem DEI Filium, inde Spiritum-Sanctum profluentem.

MEMBRVM IV.

DOCVMENTA MILITIÆ NAVALIS

Pro Nauigantibus ad Perfectionis Chriſtianæ Statum.

QVI deſiderat nauali certamine congredi cum hoſte, in hoc *Vitæ* mortalis *Mari* magno ac ſpacioſo, deſerat quàm primum littus; ſeu, *reducat à terrâ Nauem*; auellat mentem, affectumque ſuum à rebus terrenis, temporaneis, caducis: non adhæreat cogitatione, tanquam fune alligatus diuitijs, honoribus voluptatibus: deſerat ex Chriſti mandato, vel conſilio, quicquid blanditur corpori, quicquid mentem in inferioribus detinet: quicquid illam terræ, hoc eſt, ſordibus corporeis affigit ac immergit. Portus, littus, terra, à qua quantocyus eſt reducenda *Claſſis* tua, *Corpus* & *Anima* cum omnibus ſuis membris, ſenſibus, atque potentijs, deſignant *Occaſiones peccandi*, irritamenta malorum, ſociorum blanditias, peſſimorum iuuenum contubernia, fœminarum illecebræ, opportunitates labendi, potandi, vinulandi, laſciuiendi. In hoc portu ſi conſiſtentes naues tuas reperiat aduerſarius, concludet illas facile, & manus dare cogeris. Si ſaluam eſſe velis Claſſem tuam, & commoditatem tibi dari, fortiter pugnandi cum hoſte *Duc in altū*. Fuge, quàm potes, longiſſimè à conſortio terrenorum, non niſi terram, & quæ in illa, ait ſubtus illam ſapientium: multo magis à ſocietate improborum, à Synagoga Satanæ, & familiarium ad ſcelus te quotidie proritantium. Subducte quàm primum ex hoſpitio, & familia, in qua tam frequēs eſt flagitia perpetrandi occaſio. Propera, vt ab his quam primum, quàmque remotiſſimè ab animæ blandis inſidiatoribus.

ATTENDITE, monet Chriſtus, (a) *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Quinam illi? Primò, hæretici, Lutherani, Caluiniſtæ, Sacramentarij. Deinde, ſimulatores, hypocritæ, religionis mimi, ac hiſtriones. Adhæc, pſeudopolitici, veri athei, clancularij idololatræ, manifeſti ærufcatores, ganeones, nebulones nefarij. Denique, omnes, qui ſuauibus verbis, ſub boni prætextu, ad malum alliciunt: qui ſunt cauſſa peccati & ruinæ, ſiue domeſtici, ſiue extranei: adoleſcentiæ caſtæ corruptores, iuuentutis innocuæ deceptores, candoris ac pudicitiæ maculatores. Ab his, ſimilibuſque recedendum longiſſimè; cum his nec opere communicandum, nec verbo: ab horum præſentia fugiendum quàm citiſſimè; horum nunquam calcanda veſtigia, nunquàm inuiſendæ domus, nunquam appetendum colloquium.

DVC IN ALTVM, non verborum inanium, non pollicitationum ſpecioſarum, non promiſſionum futilium, quæ ſunt pulchra folia, ſed operum bonorum, pietatis, modeſtiæ, caſtitatis, qui ſunt fructus ſapidi & boni: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ex fructibus cognoſceris, & iudicaberis. *Non qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris cæleſtis, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Eſt autem voluntas Patris cæleſtis, ſanctificatio veſtra, Perfectio veſtra: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* DVC *in altum*, relinque domũ paternam: egredere de terra, & cognatione tua, feſtina ad ſolitudinem: renuncia omnibus quæ poſſides. Veni ſequere Dominum. Nihil eſt conducibilius ad obtinendam in Mari contra hoſtem victoriã. (b) Duc *in altum*, vitæ perfectioris votiuæ continentiæ, ſtatus religioſi. *Duc in altum*, imitationis Chriſti, abnegationis tui ipſius, conſilij Euangelici. *Duc in altum*, contemptus mundi, mortificationis carnis, Crucifixionis corporis. *Duc in altum*, diffidentiæ humanæ, confidentiæ diuinæ, auxilij Angelici. *Duc in altum*, orationis eleuatæ, meditationis fructuoſæ, contemplationis aſſiduæ. *Duc in altum*, paupertatis voluntariæ, obedientiæ integræ, caſtitatis incorruptæ. *Duc in altum*, humilitatis abiectiſſimæ, caritatis inflãmatiſſimæ, fidei firmiſſimæ, ſpei tutiſſimæ. *Duc in altum*, protectionis cæleſtis, adiutorij Altiſſimi. *Duc in altum*, iudicij tremendi, extremæ ſententiæ metuendæ, damnationis nunquam terminandæ, gehennæ nunquam refrigerandæ, ignis nũquam extinguendi, carnificinæ infernalis nunquam minuendæ, Æternitatis nunquam finiendæ. *Duc in altum*, gloriæ ſemper continuandæ, lætitiæ Beatorum nunquam exhauriendæ, denique, voluptatis cæleſtis, quam omnibus ex animo precor, perpetuandæ.

(a) *Attendendum à falſis Prophetis.* (b) *Amplectenda conſilia Euangelica.*

NOTÆ.

§. 1. COMPOSITIO LOCI.] *Talis loci, ſiue compoſitio, ſiue conſtructio præſcribitur meditantibus, ſecundum methodum S. IGNATII, qui in Libello Exercitiorum, aliquot huiuſ-*

huiuſmodi effingit. Vt in Meditatione de duobus Vexillis, vno Iesv Christi *optimi noſtri Imperatoris, altero* Luciferi, *hoſtis hominum capitaliſſimi. Et in Contemplatione de Regno Chriſti.*

§. ii. Classis, & victoria Ioannis Auſtriaci.] *Legendus* Petrus Opmerus *&* *ad ſupplementum* Laurentius Beyerlinck *ad annum* 1572. *Accuratè eandem deſcripſit* Franciſcus Haræus *tomo 3. Tumult. Belgicor. Strada, & alij rerũ Belgicarũ Scriptores. Certè nunquã Chriſtiani nominis hoſtis ſimilẽ cladẽ eſt expertus. Ipſo die D. Iuſtinæ ſtabat vtraque acies in modum Lunæ ſemiplenæ, tantaqúe nauium & triremium erat congeries, vt mali & antennæ denſiores ſyluæ imaginem referrent. Tunc magna alacritate concurrerunt, initumque eſt prælium. In prætoriam à Chriſtianis imprimis eſt facta impreſſio, ipſe Alu Baſſa, qui cum ſummo imperio Turcicis triremibus præerat, glande plumbeâ fuit traiectus. Triremes, & alia nauigia quæ à Chriſtianis ſunt occupata dicuntur fuiſſe numero clxxx. Diem & annum tam inſignis victoriæ complectitur hoc Chronicon.*

Ad grates properate oMnes, res fortIter aCta eſt.
nonIs oCtobris VICtIs ad LeVCada tVrCIs.

Plura iſtiuſmodi exempla habet Theatrum Tit. *Claſſis.*

§. iii. Naves *è terrâ, vel portu abducere.*] *Nimirum, ne includantur, vt deinde mouere ſe nequeant, aut euadere. Exempla habes in Theatro, Tit. Claſſis.*

COMMENTATIO II.

SECVNDA PARASCEVE

Ad conflictum hoſtilem in Mari

In quâ deſcribitur, Nauium diſpoſitio Nauiculariorum incitatio. Velorum extenſio. Ventorum Captatio.

Annuerunt Socijs, qui erant in aliâ Naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Lucæ v.

Membrvm I.

CLASSIS IN PARTES DISTRIBVTIO.

IAm Deo Maris Domino laus & gloria, relictâ terrâ, in altum Claſſem noſtram eduximus. Quid nunc porrò neceſſarium? Vt annuatur Socijs, vt prompti ſint ad obſequendum Archithalaſſo nauicularij inferiores ſubordinati, vt aduolent, vt ſuam quiſque *Nauem* ad nutum Gubernatoris ſupremi collocat, ſicque benè diſponantur omnes quæ *Claſſis* vnius ſunt ad prælium. Hoc niſi fiat expeditè, & ſecundum diſciplinam militarem, ipſæ inter ſe colliſæ, antequam hoſtiles adueniant, ſibi ſunt exitio. Quare huius rei præcipuam ſemper rationẽ habitam à claſſium Præfectis reperio. In Expeditione maritimâ (cuius ſuperius eſt facta mẽtio) quã ſuſceperunt Principes Chriſtiani fœderati cõtra Turcã propè Echinadas, poſtquã Naues omnes, relicto littore, in amplũ æquor eduxerunt, mox eas ſunt partiti in claſſes minores, velut membra totius, quattuor.

virtutum eminentiſſima, in quâ conſiſtit vitæ ſpiritualis perfectio.

ID ipſum alijs nominibus, ſed eódē ſpectantibus declarant Sapientiæ moralis Doctores, dum monent, Virtutum *Naues* omnes in triplicem *Claſſem* eſſe partiendam, ſecundum triplicem ſtatum ad Virtutem proficiſcentium, & Cacodæmonis Claſſi ſeſe opponentium. Quarum *Prima* eſt *Incipientium*. Huius *Claſſis* præfectus eſt *Fides*: Nauarchi ſecundarij, *Timor*, *Pœnitentia*, *Dolor*; & quæcumque virtutes ad euacuationem, illuſtrationemque interiorem neceſſariæ. *Altera* eſt *Proficientium*, quam gubernat *Spes*, cui adſiſtunt per diuerſas Naues ſparſæ, *Prudentia*, *Iuſtitia*, *Temperantia*, *Fortitudo*. Tertia eſt *Perfectorum*, cui præeſt *Caritas*.

QVI Exercitia tradunt ſpiritualia, vt vocamus in Ordine noſtro, quæ in cubiculo quodam, non pinguiſſimi laridi adipe ſucculento peraguntur, vt nugari ſolent hoſtes Pietatis, & Religionis momi; ſed in conclaui ſolitudinis, diuinarum conſiderationum, indeque deliciarum ſpiritualium pinguedine adipato, perficiuntur, vt docuit vir Diuina pati ſolitus *Ignatius Loiola*, quattuor Septimanas, vt *Claſſes* totidem diſtribuunt, & in ſingulis ſuos *Claſſiarios*, pro cuiuſque aptitudine, collocant. Talis ordo niſi pugnæ initio inſtituatur, aut deinde turbetur, facillimè naues omnes ab hoſtili claſſe turbatæ confuſæque diſſipantur, atque opprimuntur.

MEMBRVM II.

SIGNVM. CLASSICVM. HORTATIO.

DISTRIBVTIS in ſuas partes *Nauibus*, datur *Signum* certaminis, quod olim apud Romanos Græcoſque fuit varium. Aliquando, vexillo ex *Prætoriâ Naui* in ſublime elato, pugnæ ſignum oſtendi cenſebatur. Interdum concuſſu veli, aut chlamydis aduentus ſignificabatur: excuſſu verò diſceſſus. Apud Athenienſes puniceo paludamento è *Prætoria* contra Lacedæmoniorum *Claſſem* pugnæ ſignum ſæpe datum inuenio. Lyſander æreo clypeo è Naui elato irruptionis ſignum dedit. Nobis non erit *Signum* aliud, ſiue pugnandum cum Cacodæmone, ſiue cum Vitijs & Concupiſcentijs, ſiue cum hoſte interno, externoque, ſiue cominus, eminuſue, quàm CRVX, aut CRVCIFIXVS in altum elatus, fronti, ori, pectori impreſſus, *Nauibus* omnibus affixus, & *Nauarchorum* manibus firmiter detentus. *Crux* eſt Signum heroicum, regium, imperiale, ſemper victorioſum: in hoc *Signo* terrâ, marique à Virtutum Sectatoribus feliciter pugnatur & vincitur.

SIGNO dato, hortantur ſuos Nauarchi, ipſeque *Archithalaſſus* circumuehitur, & acri incitatione animat, iubetque ordine progredi. Ita factum notaui in prælio antea laudato contra Turcas. Siquidem poſt ſuperiorem *Claſſium* conſtitutionem, à Militiæ Præfectis probè inſtructi fuêre milites, ab iiſdemque animati. Sed præcipuè à *Ioanne Auſtriaco*, qui celoce, nunc ad hos, nunc ad illos vectus oratione militari omnibus addebat animos. Tum ad *Triremem Prætoriam* reuerſus,

cùm Turcicas claſſes vix ad bombardæ iactum abeſſe proſpexiſſet, ſtatim ingenti tormento diſploſo, *Claſſicum* cani imperauit, vexillaque bellica erigi. Quorum vnum CHRISTI CRVCIFIXI effigiem: alterum Virginis MARIÆ: tertium Inſignia fœderatorum Principum continebat. Auſtriaci *Pratoria Naui* aderat à dextris ſuprema Pontificis *Triremis*, à ſiniſtris Venetorum, poſtea Genuenſium, in quâ Princeps Parmenſis: deinde, Sabaudorum, in qua Princeps Vrbinas. Extrema claudebant, ad dexteram quidem, *Triremis* primaria *Melitenſis*: ad ſiniſtram *Lomelina*, in qua Paulus Iordanus Vrſinus. Maximas has triremes ſubſequebantur aliæ ſubſidiariæ.

IN conflictus ſpiritualis initio, vterque etiam Archithalaſſus ſuos hortatur: vtriuſque ſermonem hortatorium ſuperius recitauimus. Vobis non deſunt alij Nauarchi, qui vos inſtruant ac animent. Quot habetis Pietatis eruditæ Magiſtros, quot conſcientiæ Præſides, quot Euangelij Præcones, quot Oratores Sacros, quot ad Religionem Manuductores, tot ſunt Claſſis Chriſtianæ Præfecti, qui quomodo ſit cum hoſte congrediendũ, quomodo pugnandum, quomodo in *Nauibus* conſiſtendum, quomodo digrediendum, edocent, & ad fortiter agendum accendunt animos. Quotidie vobis claſſicum canitur à tot millenis Chriſtianæ Militiæ buccinatoribus ac tibicinibus, qui in *Pratoria* PETRI *Naui*, hoc eſt, *Eccleſia*, diſtributi per tranſtra, in templis, monaſterijs, oratorijs, odeis, ſummo mane altiſſimâ voce intonant, alicubi etiam muſicis inſtrumentis perſonant: DEVS *in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.* Quod illi pro omnibus claſiarijs per naues omnes diſperſis pronunciant. Tum, vt prælium contra Vitia & Concupiſcentias iam inſtare, quàm primum quis è ſtrato ſurrexerit, ſignificent. Tum, vt opem diuinam contra hoſtes viriliter pugnantibus implorent. Tum, vt ſe mutuo ad animosè agendum incitent. Eodem tempore eriguntur *Vexilla* noſtræ *Militia*, CRVX & CRVCIFIXVS. Cuius ſalutare *Signum* idcirco expergefacti fronti, ori, pectori imprimimus. Neque deeſt DEI Genitricis effigies, quam in animo, tanquam Matris dulciſſimæ efformamus, vt illius nobis præſentiam demereamur, dum Imaginem in mentis tabulis circumferimus. Quotidie à Sacris Vexilliferis oſtenditur, cantaturque:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget CRVCIS myſterium.

Quid ſupereſt, niſi vt congrediamur?

* * *

MEMBRVM III.

VENTORVM OBSERVATIO ET PROCVRATIO

Ad pugnam naualem neceſſaria.

VERVM, ante conflictum, quoniam in *Mari* pugnandum eſt, in quo maximè neceſſarij ſunt *Venti*, quibus vela inflantur, naues impelluntur, fluctus concitantur, incredibilis fauoris à Superis conceſſi donum cenſetur, ſi *Ventus* ſit *propitius*. Quod agnouerunt Chriſtiani in pugnâ contra Turcam ad Echinades.

nadas. Nam *Ventus* primò Chriſtianis, poſt verò mari tranquillo, Turcis contrarius fuit. In hoc penè victoriæ conſiſtit momentum, ſi *Ventus* ſe votis Nauarchorum accommodet: hæc fortunæ ſumma. Quocirca in eo maxima cernitur Nautarum peritia, hic omnis eorum deſudat induſtria, huc collimant extremo conatu, vt ita *Claſſem* ſuã dirigant, ventus illi vt ſit cõmodus, hoſti aduerſus. Quod conſequuntur frequenter leuitate, & agilitate nauium. In quâ re excellunt hac tempeſtate Angli & Hollandi, qui magnas propterea contra hoſtes ſuos in mari aliquando obtinuerunt victorias.

In hoc artem ſuam probarunt, tum aliàs, tum ſignatè quando ingentem illam Claſſem quam Philippus II. Hiſpaniarum Rex miſerat ad ſubiugandam Angliam Anno MDLXXXVIII. diſſiparunt. (a) Venerat Claſſis Præfectus Dux Medinæ Sidoniæ ad ipſum oſtium freti, ſeu canalis Anglici, & iam XXX. die Iulij Pleymutam præter nauigabat, cùm illam inſequutæ naues Anglicæ, ventum Hiſpanicis præripuerunt, quod agilitate præpollerent, tum plurimis tormentorum ictibus inuicem ſe impetiuerunt. Poſtero die Angli adeò appropinquarunt illa ſua induſtria, vt Hiſpanos muſqueti ictu poſſent contingere. Ibi Ammiralius Anglorum creberrimis tormentorum ictibus, Vice-admiralium Hiſpanorum infeſtabat. Quare Hiſpani animaduertentes agilitatem Anglicanarum *Nauium* conglobati manſerunt paruis vtentes velis, ne aliæ alijs celerius raperentur. Variè deinde pugnatũ ab vtraque *Claſſe*, ſemper cum damno non exiguo Hiſpanorum. At verò ſecundo Auguſti cum claſſis iam eſſet ex aduerſo Portlandiæ, *Ventus* ab Aquilone flare cæpit. Quo factum eſt, vt Hiſpani *Ventum* nacti ſint fauentem ad inuadendum Anglos. Sed Angli denuò, quod minores haberent naues, & agiliores, *Venti* prærogatiuam Hiſpanis præripuerunt. Quo Hiſpani magis ad pugnam incitari, quàm antea videbantur, ſed fruſtrà, Ventorum beneficio deſtituti. Quo confirmatur, quod aiebam, plurimum referre, ſi certatura in Mari *Claſſis*, Ventum habeat fauentem; quem ſi extorquere aſtu poſſit hoſtis, magnoperè aduerſario incommodat, nec minus ſibi proſpicit. Hoc ipſum in nauali pugna cum Cacodæmone multo magis experimur. Nam in Spirituali certamine præcipuum eſt, ventum habere propitium, ſine quo nec nauis promoueri, nec in hoſtem impetus fieri, nec præclari quidpiam geri poteſt.

(a) *Haræus tomo 3. tumult Belgico. p. 414.*

MEMBRVM IV.
VENTI CVM GRATIA DEI COMPARATIO.

QVID autem eſt hic *Ventus*? eſt GRATIA DEI, quæ nullo è rebus naturalibus ſymbolo, nullo vocabulo, nulla deſcriptione commodius exprimitur, aut declaratur, quàm *Venti*. Quærunt Scholæ Theologi, & ſollicitè quærũt, ac longiſſimis quæſtionibus, rem fortaſſe non tã obſcuram inuoluunt, quidam dum euoluere conantur, quid ſit *Gratia*, quæ omnium operum bonorum ad pietatem ſpectantium eſt initium? ex omnibus eorum diſputationibus, poſt-

poſt multas ambages, & verborum, *Notabiliumque*, vt vocant, mæandros, illud tandem erumpit: GRATIA *actualis* conſiſtit in *Inſpiratione* benè temperatâ & *congruâ*, quæ duarum *Nauium*, *Intellectus* ac *Voluntatis* vela implet, vt opportunè contra hoſtem excurrant, & feliciter decertent. *Gratia habitualis*, ſeu *ſanctificans*, vel *Iuſtificans*, ſimiliter eſt *Ventus*, quo *Pratoria Nauis* in homine, & oneraria, quæ eſt ipſa Animæ ſubſtantia, ad nauigandum in meritorum Mari, & cæleſtes bonorum operum merces deuehendus, atque in hoſtilem vitiorum Claſſem fortiter incurrendum aptatur. Itaque *Gratia diuina* eſt *Ventus* ille propitius, quo maximè indigemus. Illâ, ſi vela ſingulorum, nempe, potentiarum atque operationum inſtrumenta impleantur, maximum in certamine cum hoſtibus præſidium habebimus: illius prærogatiua ſi nobis vafricie hoſtili eripiatur, facillimè ab inimica *Claſſe* circumueniemur, ac ſuperabimur. Quare curandum eſt maximoperè, vt hunc *Ventum* noſtris fauentem excurſibus retineamus; ſemper maneamus in *Gratiâ* DEI: ab illâ nunquam, noſtrâ vel improbitate, vel ſocordiâ excidamus: illam nobis familiarem, &, vt Venti ſolent eſſe, obſequentem quodammodo faciamus. Quo *Ventus* hic impellit, eò *Naues* noſtras, Animam, eiuſque facultates conuertamus. Huic *Vento* nunquam refractarij reſiſtamus. Nam fruſtrà in contrarium, aut cum exitio noſtro nitemur: ſine fructu obluctabimur. Sicut, qui in Mari, dum à validiſſimo vento in Orientem rapitur, ſi in Occidentem vellet vela conuertere.

VENTVS *Diuinæ Gratiæ* ſemper *Nauem* tuam ad Orientem Virtutis, ad timorem DEI, ad pietatem, religionem, humilitatem, patientiam, temperantiam, caſtitatem, verecundiam, caritatem impellit vehementiſſimè, vt ipſemet negare non potes. Et tu *Diuinæ Gratiæ*, ac *Inſpirationi cœleſti* ſceleratè reſiſtendo, ad Occidentem vitioſitatis, ad libertatem carnis, ad improbitatem, ſuperbiam, iracundiam, gulam, laſciuiam, impudentiam, inuidentiam, peruicaciam, impietatemque, proram velumque intendis. VENTVS *Gratiæ* niſi adſpiret, nequicquam remos virium naturalium ventilabis, nihil conto rationis proficies, fruſtra inter fluctus tentationum brachijs adiutorij humani eluctari conaberis: contrà, facillimè à claſſe hoſtili infeſtaberis, & ſubmergeris. Quocirca hoc maximè conatur Cacodæmon, vt tunc inuadat Animam, quando ſcit illam eſſe *Gratia* deſtitutam: id eſt, quando ipſi innoteſcit, quod commiſerit vnum aliquod peccatum mortale. Tunc enim imprimis tentat ad idem illud repetendum, bis, ter, quater: quod ſi impetret, inſtat, exſtimulat vrget, vt iteretur, decies, vigeſies, quinquagies. Deinde ad alia progreditur. Ab ebrietate ad laſciuiam, à mollitie ad fornicationem, ab hac ad adulterium, inceſtum, aliaque magis horrenda. A furto nummi vnius aurei ad furtum aureæ catenæ, tunc ad furtum aliquot cyathorum aureorum, donec tandem demergatur *Nauis Animæ* in malorum barathrum.

QVOD ſi hoſtis animaduertat, Animam habere *Ventum Gratiæ* propitium, nititur modis omnibus *Venti* huius prærogatiuam ſubducere, crebris tentationum aſſultibus ad vnum aliquod peccatum mortale alliciendo. Id ſi conſequatur,

tur, certaminis ſui feliciem ſucceſſum præſagit, & omnibus viribus *Claſſim* noſtram aggreditur. Quam nullo negotio tunc in poteſtatem ſuam redigit. Verùm, in hac re magnum eſt diſcrimen inter illos, qui pugnant in *Mari* elementari pugnâ viſibili, & eos, qui certant in pelago huius Mundi metaphorico, certamine inuiſibili, contra hoſtes Tartareos. Illis *Venti* commoditas eripi poteſt, aſtu, arte, violentiâ; quamuis maximè inuitis. Iſti verò, niſi ſponte in ſuum damnum conſentiant, nunquam fauentem *Ventum* amittunt: quoniam nunquam niſi liberè ac ſummâ voluntate peccantibus DEI *Gratia* aufertur. Felices vos, ſi hunc *Ventum* ſemper *propitium* habueritis, ſi nunquam eius deſtituti fauore, plenis velis, in hoſtes inuecti, ijs ſuperatis ad æternæ felicitatis portum *Claſſem* veſtram appuleritis. Quod fiet certo certius, ſi *Gratia Domini* N. IESV CHRISTI, ſit cum omnibus vobis conſtanter vſque ad finem. AMEN.

NOTÆ.

§. I. SIGNA nauium & Vexillorum.] *Bruti Naui pretoria, quo ab alijs dignoſceretur, O ſignũ habuiſſe fertur; tametſi ſingula Naues Deorum imagines ferrent ſub quorum erant tutela. Siquidem aliæ Neptunum, nonnullæ pyſtricem, tentaurum, equos, vel draconum inſignia habuere.*

Græcis Nauibus *ex Inſularum nominibus plerumque nomina fuere. Sic* Gnidargis, *ex Gnido.* Samæna, *quod ex Samo rotunda figura.* Parona *ex Paro.* Corcyrion *ex Corcyra. Legimus quoque in Lybia fuiſſe nauigia, quæ hirci & capri tulere nomina.* Sipparum *Alexandrinæ nauis propriũ fuit inſigne. Nam ſolis Alexandrinis ſuppara velorum licebat intendere: ſicut Corbes onerarijs nauibus pro ſigno ſuſpendeban tur.* M. Antonius *ſucceſſu rerum inſolens, Purpureum velum pretoriæ naui apud Actium dedit: quo abiecto, victus fugientem vxorem fuit proſequutus. Id quoque feciſſe* Alcebiades *dicitur, vt purpuream nauem cum velo purpureo haberet.* Alexander *item, cum Indum nauigaret, verſicolari velo totius claſſis inſignia variauit.*

Hoc etiam obſeruatu dignum: Lumen in Naui pretoria, quod cetera Claſſis *proſequitur ſpectatiſſimum inſigne noctu fuiſſe. Quare Scipio in Africam tranſmittens, velis in altum datis, ſingula roſtrata naui, bina oneraria,* Prætoriæ *trina luminaria dedit.*

§. II. VENTORVM obſeruatio.] *Ab hac potiſſimùm dependet in mari victoria. Pugnaturus aduerſus Xerxis innumeras copias* Themiſtocles, *non ſibi tempus, atque loci anguſtiam animaduertit, & captauit; neque prius aduerſum Barbaram aciem explicuit, quàm conſueta hora adfuit. quâ Ventus ex mari increbeſcens fluctum per fretum impelleret: cuius impetus Græcorum nauibus, compactis & humilioribus: barbaricas verò editioribus puppibus, fortiſque excelſioribus, & ob pondus male agiles retorquebat: ac Græcis acriter incurrentibus, & ad Themiſtoclis, qui maximè videret, quid è re eſſet, iuſſa intentis, tranſuerſas obijciebat. Plutar. in Themiſtoc.*

HINC *difficillimum eſt cum ijs congredi qui ventos in poteſtate habere videntur.* Ioan. Magnus. *lib.* IV. *cap.* 19. *ex Saxone libro* 5. *Contra Oddonem piratam Danum, cum*

Ericus Sueciæ & Rollerus, qui Noruegiæ Rex poſtea fuit, fratres bellum gererent, & viderent, periculoſum eſſe pugnam cum eo conſerere, qui ventos arte magica commoueret & vndas, ſtratagemate illum adorti ſunt. Plura iſtiuſmodi exempla reperies in Theatro. Tit. Claſſis.

COMMENTATIO III.

TERTIA PARASCEVE

Ad prælium nauale in Mari.

In quâ diſſeritur de Maris conditione, & eius ad prælíandum neceſſariâ notitiâ.

Qui deſcendunt Mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo. Pſal. CVI. 23.

MEMBRVM I.

MARIS, IN QVO PVGNANDVM, CONDITIO

Præfecto Claſſis inueſtiganda.

NIHIL admodum perficeretur, omni, quam hactenus explicauimus, induſtriâ, niſi Archithalaſſus notitiam haberet Maris, in quod Claſſem ſuam propellit, & in quo dimicandum. Siquidem eſt omninò neceſſarium ad felicem ſucceſſum, non ignorare Maris, in quo congredi oportet, qualitates, tum communes cuilibet pelago, tum peculiares vni ad concertationem deſtinato. Quid ſi enim pugna ſit ineunda in mari illo anguſto inter Aulidem Bæoticæ portum, & Eubæam inſulam? quod fretum *Euripus* dicitur; & non ſciat, illud vnius diei, ac noctis ſpacio ſepties recurrere, eo impetu, vt nauigia repugnantibus ventis plena ſecum rapiat: (*a*) nonne antequam concurrat cum hoſtili claſſe abſorbebitur fluctibus? Nobis aliquando autem congrediendum eſt in *Euripo*, & cum *Euripo*. Noſtis illud: Εὔριπος ἄνθρωπος, *Homo Euripus* quippe inconſtans, ac inæqualibus, vt fretum iſtud, morum mutationibus. *Mundus Euripus*, in quo res mortalium, veluti æſtu quodam ſurſum ac deorſum iactantur. *Animus humanus Euripus*. nempe, perturbationum feruore, concuti, vt turbidinibus ſolitum.

IN mari Siculo ſi Claſſis ad conflictum diſponenda eſſet, non oporteret ignorare, in eo eſſe Scyllam & Charybdin (*b*)

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obſidet. —— ——

(*a*) *Pomponius Mela.* (*b*) *Virgilius* 3. *Æneid.*

ſiue illa duo ingentia ſaxa, ſiue loca vorticoſa ſint, in quibus contrarijs fluctuum curſibus colliſio oritur, & rapta quæque abſorbentur. Perſpectum habere debebet, nauarchus vtrum vno tantùm vento agatur in vortices; an omnis tempeſtas mare illud contorqueat? Neceſſe eſſet prius gubernatorem inueſtigare, an quicquid illo f eri turbine abreptum eſt, per multa millia trahatur? Quomodo curſus eſſet dirigendus, ne euitata Charybdi, in Scyllam incideret? Quid adhibendum remedij,

Dum vomit epotas ſaua Charybdis aquas?

Ducis imperiti eſſet, explicare Claſſem in Oceano Britannico, non exploratâ prius ratione fluxus ac refluxus maris, qui in eo maximè iuxta Briſtoliam (a) eſt ſingularis & admirandus. Nam æſtus in eo quotidie tantus efficitur per acceſſum & receſſum vndarum, vt naues, quæ intra mare erant, ipſo refluxu in ſicca arena hæreant: bisque in mari rurſum ſint, ac rurſum in ſicco. De victoria actum eſſet, ſi quis in Indiâ Orientali aut Occidentali claſſe præliaturus cum hoſte, neſciret in plagâ meridionali mare æſtuans effluere ad leucas binas, id eſt, ad octo paſſuum millia; aliquando etiam longe plura, cùm qui fluctus modò ad pedes ſpectabantur, mox adeò procul refluxiſſe reperiuntur, vt vlterius conſpici non poſſint ob ſummam diſtantiam. Idque alicubi æſtuante mari ſemper contingere teſtatur Ouetanus, (b) ac Petrus Hiſpanus. (c) Itaque conatur prudens Claſſis Præfectus quàm primùm perſpectas habere conditiones maris, in quo Claſſis hoſti eſt opponenda.

QVARE imprudentiæ arguit Alexandrum M. Curtius (d) quod in Oceanum, claſſem ſuam promoueret, antequam exploratum haberet, quæ illius eſſet natura, & quomodo nauigari poſſet. Cum enim duces maris periti aufugiſſent, non repertis alijs, inquit hiſtoricus, peruicax cupido inceſſit Regem viſendi Oceanum, adeundique terminos mundi, ſine regionis peritis: flumini ignoto caput ſuum, totque fortiſſimorum virorum ſalutem permittere. Nauigabant ergo, omnium, per quæ ferebantur, ignari. quantum inde abeſſet mare, quæ gentes colerent: quam placidum amnis os: quàm patiens longarum nauium eſſet: anceps & cæca æſtimatio augurabatur. Vnum erat temeritatis ſolatium, perpetua felicitas.]

HINC factum, vt tota Claſſis, cùm ad Oceanum peruenit, vltimum diſcrimen adierit. Siquidem ob ignotam freti naturam, ſecuri ealus, qui ſuperuênit, agebant: cùm ſtata vice Oceanus exæſtuans inuehi cœpit: identidem intumeſcere mare, & in campos paullò ante ſiccos deſcendere superfuſum. Iamque leuatis nauigijs, & tota claſſe diſperſa, collidi inter ſe naues, abſtergerique inuicem remi, & alij aliorum nauigia vrgere cœperunt. Crederes non vnius exercitus claſſem vehi, ſed duorum naualis prælij certamen. Incutiebantur puppibus proræ, premebantur à ſequentibus, qui antecedentes turbauerant: iurgantium ira perueniebat etiam ad manus. Iamque æſtus totos circa flumen campos inundarat, tumulis dumtaxat eminentibus, velut inſulis paruis, in quas pleri que trepidi, o-

Tt 2 miſſis

(a) *Georg. Bruin in Briſtolia.* (b) *Sum. cap. 9.* (c) *Petr. Hiſp. par. 5 a. 1.* (d) *Lib. 9 x cap 16.*

miſſis nauigijs enare poterant. Diſperſa claſſis partim in præalta aqua ſtabat, quæ ſubſederant valles, partim in vado hærebant. Vtcumque inæquale terræ faſtigium occupauerant vndæ, cum ſubitò nouus ac priſtino maior terror incutitur: reciprocare cæpit mare, magno tractu aquis in ſuum fretum recurrentibus, reddebatque terras, paullò ante profundo ſalo merſas. Igitur deſtituta nauigia alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi ſarcinis, armis, auulſarum tabularum, remorumque fragmentis:

Arma virûm, tabulæque & Troia gaza per vndas,
canebat Poëta.

Miles nec egredi in terram, nec in mare ſubſiſtere audebat, identidem præſentibus grauiora, quæ ſequerentur, expectans. Vix quæ perpetiebantur videre ipſos credebant: in ſicco naufragia, in amni mare: quippe, æſtum paullò poſt relaturum: quo nauigia alleuarentur, ignari: famem & vltima ſibi ominabantur.]

HÆC merces eſt temeritatis. Ita excipiuntur, qui *Claſſem* mari committunt, cuius antea exploratam non habent naturam. Quamuis enim ex Græco & Ægeo mari, atque Euripis de alijs quoque maribus conijcere potuiſſent nautæ, Indici tamen Oceani ingenium ante id ætatis Europæ prorſus erat ignotum, neque coniecturà aſſequi poterant, vt reƈtè monet illuſtrator Curtij Raderus, quantum illic exæſtuaret fluƈtibus, quanto impetu ferretur, & quo tempore exundaret. Quocirca ne nobis idem contingat, quod Alexandro, in diuerſo genere, indicandum eſt, in quo *Mari* ſit congrediendum cum *Claſſe* hoſtili, & illius qualitates aliquæ ad cautelam exprimendæ.

* * *

MEMBRVM II.

QVINQVE MARIA

In qua diſtingui poſſunt, maximæ aquarum, quæ vſpiam ſunt, congregationes.

HYDROGRAPHORVM ſenſu, *Quinque* numerantur *Maria* per orbem vniuerſum ſparſa. (a) Mare *Oceanum*, mare *Mediterraneum*, mare *Rubrum*, mare *Perſicum*, mare *Caſpium*. Mare *Oceanum*, quod reliqua maria vaſtitate, & magnitudine vincit, ambitque totam terram, è Gaditano freto, & Herculis columnis, tanquam è portu ſoluens circumquaque in immenſum funditur, diuerſas mundi oras, variarum gentium littora, continentem, inſulas, promontoria flexuoſo meatu oberrans, à quibus varia ſortitur nomina. Dicitur enim *Oceanus Occiduus* ab occidente, *Eous* ab Oriente: *Æthiopicus* ab Æthiopia: *Atlanticus, Scythicus, Britannicus, Germanicus*, à monte Atlante, à Scythia, à Britannia, à Germania, atque ita indidem alijs vocabulis.

(a) NOTA.

MEMBRVM III.
TRIA MARIA
Senſu Allegorico, Spirituali, Myſtico.

NON vnum etiam eſt MARE, in quo nobis eſt depugnandum. D. Baſilius claſſis numeroſæ Præfectus, homilia, quam ſcripſit in Prouerbiorum initium, *Triplex* omninò deſignat *Mare* turbulentum, & innumeris tempeſtatibus concuti ſolitum. PRIMVM conſtituit in rebus humanis, ac fluxis quæ *Maris* inſtar, aſſiduo iactantur, & nunquam in eodem ſtatu permanent. Hoc *Mare* vocatur viſitato nomine, ***Mundus***, aut *Seculum*. SECVNDVM conſiderat in Corde humano, quod ab inſurgentibus carnis affectibus, quaſi flatibus impetitum, perpetuò concutitur, & fluctuat. In hoc plurimorum *Animi*, quaſi ingentia *Nauigia*, voluptatis, doloris, iræ, timoris, & aliarum perturbationum fluctibus obrui ſolent. Dici poteſt hoc Mare, *Cardiacum*. TERTIVM ***Mare***, inquit Baſilius, eſt via, qua tendimus in cælum. Et enim id, quaſi *via Maris*, quæ malignorum Spirituum impulſibus incitatur, & tentationum ventis procellisque exæſtuat. In hoc *Mari* contingunt illa naufragia circa fidem, de quibus Paulus Apoſtolus, monens ſuum Timotheum: habeas *Fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ*, 1. ad Timotheum, primo cap. *In hoc etiam* Mari *plurimi poſt ieiunia multa* (verba ſunt Baſilij) *poſt durum vitæ genus, poſt longas ad* DEVM *preces, poſt vberes effuſas lacrymas, miſerum fecêre naufragium. Similes mercatori diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatur, vento ſecundo* Nauem *impellente, timendas tutò proterius per mare procellas. Naufragium deinde propè portum ſuperueniens, omnium poſſeßione ſimul, & aceruatim illum exuit, & mille laboribus ſudoribuſque parta vno tantum Dæmonis impulſu amittit.*

MEMBRVM IV.
MARIS MYSTICI TRIPLICIS
Conditiones variæ.

TRIA nominaui MARIA, in quibus claſſe pugnandum nobis eſt cum hoſtibus, quibus bellum indiximus, Mundum, ſiue Seculum, Cor humanum, Viam id Cælum, quæ complectitur ſtatus omnes in Eccleſiâ Militante approbatos, in quibus viuendo ſecundum legẽ Chriſti ſalutẽ conſequi poſſumus, inter quos eſt *Eccleſiaſticus* & *Politicus*: in Eccleſiaſtico, eſt *Clericalis*que vel *Regularis*, vel *Abſolutus*, non à canone ſeu regulâ, ſed à certa regula, quâ Religioſi adſtringuntur; & *Monaſticus*; in Politico, *Cælibatus*, & *Matrimonialis*: tum, *Virginalis*, & *Vidualis*: nam

ideoque eſt *Mare* ſemper mobile, tremulum, fluctiſonum, inquietum, & maximè procelloſum. Triplicem ſinum *Cordis* agnoſcit Ariſtoteles. (a) maximum in latere dextro, minimum in ſiniſtro, medium magnitudine inter ſiniſtrum & dextrum. Triplex quoq; ſinus eſt in hominis *Animo*, vel *Mente*, tanquam in *Mari*, quos accuratè obſeruet, & diſtinguet in eo nauigaturus, ac præliaturus. *Primus* eſt ad dextrum, Amoris, qui eſt maximus. *Alter* ad ſiniſtrum, Odij paulò ſuperiore minor. *Tertius* in medio, Delectationis, ſeu Voluptatis, de vtroque participans. In hos ſi immittantur impetu cæco nauigia à nauarcho, inuoluuntur fluctibus ſubitò, nec eſt deinde emergendi vlla poteſtas. Denique, eſt quiddam COR, tanquam *Mare Glaciale*, durum, congelatum, quod perrumpi aut ſcindi non poteſt; quare ſi in eo nauis deprenſa fuerit, hoſtibus fit præda. Tale *Cor* fuit Pharaoni, quem Scriptura dicit habuiſſe *Cor induratum*, ſed multis plagis affectus, cùm non molliretur, aliò in *Mari* miſerandum in modum fuit ſubmerſus, obdurationis ſuæ pœnas luens. Sanctus quoq; Stephanus Iudæos pertinaces reprehendens, eos appellat *in circumciſis cordibus*. Eſt autem *Cor durum*, ex deſcriptione S. Bernardi, quod *nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur nec mouetur precibus, nec cedit minis*.

TERTIVM *Mare*, quod Status omnes, per quos, tanquam per viam ſalutis, ad cælum tenditur, continet, tot habet proprietates, quot ſunt ſtatuum illorum genera, quorum nullus ſuis caret ſcopulis, nullum non æſtu, ac reciprocatione fluctuum à tentationum ventis frequentiſſimè commouetur, vt ex ſuperius relatis conſtat; omnes periculoſis ſcatent amfractibus multo magis tamen *Secularis*, quàm *Religioſus*. Quare, qui cum hoſtili *Claſſe* in aliquo eorum congreſſurus eſt, operam det oportet, vt perſpectâ cuiuſque conditione, *Claſſem* ſuam ita dirigat, conſtituat, inflectat, ne vel in ſcopulos impingat, vel fluctibus obruatur, vel in voraginoſum aliquem ſinum præceps eat, & ſubmergatur.

(a) *Ariſt. lib. 1. de hiſt. animal. cap.* 17.

NOTÆ.

§. I. EVRIPVS.] *eſt propriè, ac primaria ſignificatione fretum ſeu mare anguſtum inter Aulidem, & Eubœam, de quo. Mela Figuratè notat inconſtantiam hominis, & vices fortunæ, qua res mortalium, velut æſtu quodam ſurſum ac deorſum iactat. Sunt etiam* Euripi *canales, ſeu ductus aquarum aliunde deriuatarum in ſublime ſalientium, ſi paulò minutiores ſint quos intra domos Romani per pratum ducebant: ſi autem maiuſculi, Nili dicebantur.* Cicero 1. *de Leg.*

§. II. SCYLLA, CHARYBDIS.] *Illa propriè ſaxum eſt, Siculum mare reddens importuoſum & plenum periculi, quod aſſiduis aquarum concurſionibus latratum videtur emittere. Poëta fabulantur* Scyllam Phorci *filiam mutatam in monſtrum, ſupernè in Virginem, inferné*

fernè inpiſcem, ſex caninis capitibus latrans, cùm ſe lauiſſet in f[illegible]te, quem Circe veneno infecerat. Charybdis eſt alter ſcopulus, vnde periculum maritimum in eodem mari, prope Taurominitanum littus, quod crebris aquarum vorticibus infremere, aſſiduiſque fluctuum concurſibus rapta abſorbere dicitur. Hinc dicitur metuenda, implacata, irrequieta, auida, ravax. Legendus Placidus Samperus in Iconologia B. M. V. Meſſinæ Protectricis, Italicè ſcripta, in Digreſſione erudita, & curioſa de Charybdi à pag. 105.

§. III. ALEXANDRI temeritas.] Multis nominibus nimium gloriæ ſtudium Alexandri carpit Curtius, quod eius impulſu cupidinis, ſe & ſuos fortiſſimos viros in præſentiſſimum ſalutis periculum coniecerit, dum ignotum flumen ſine ducibus regionis, & amnis peritis ingrederetur: ignarus quantum inde abeſſet: quæ ripas aſſiderent gentes: quo impetu oſtium Indi in mare præcipitaret: an mare pacatius venientem amnem velut hoſpitem placidè acciperet: an flumen ipſum largas naues admitteret. Sed omnia Rex ſuâ Felicitate metiebatur. Quæ hîc etiam nonnihil primum hærere viſa: ad extremum tamen omnes ex omnibus periculis explicauit. Matth. Raderus ad Curti. lib. 9. cap. 16.

§. IV. MARE quintuplex.] Legendi Conimbricenſes in lib. Meteor. Ariſt. cap. 2. & Simon Maiolus in Canicular. Colloq. x. cuius titulus Mare.

§. V. MVNDVS Mare fallax.] Conſule Opuſculum Sandæi inſcriptum Mundus fallax, in quo decem Commentationibus declaratur Mundi fallacia.

§. VI. COR mare.] Vide Opuſculum Sandæi de Donario Cordis in quo multas huc ſpectantes Cordis qualitates explicamus.

§. VII. MARE glaciale.] De glaciato Aquilonari Mari habet Olaus lib. 1. & 2. quod ſit tam durum, quod in eo pedibus eatur perinde ac in continenti, quod exercitus in eo dimicent, quod hoſpitia in eo extruantur haud ſecus ac in terrâ. Plura iſtiuſmodi addit Maiolus Colloquio 1. in quo adfert mira de Meteoris.

§. VIII. VIA ad Cælum.] Status religioſus & ſecularis. De conditionibus horum ſtatuum legendus Hieronymus Platus lib. 1. c. 5. quod eſt de occaſionibus peccandi in ſtatu ſeculari. Cap. 6. de malis in quolibet Secul. ſtatu. lib. 3. cap. 38. vbi ſunt plurima ad hanc rem.

§. IX. RELIGIO Mare.] In eo oppugnationes tanquam procellæ à Dæmone, Platus Lib. 1. in proœmio, & cap. 33. In eâ eſſe ſcopulos, voragines, euripos, propter quæ aliquorum naufragia, ipſorum culpâ. Quid in ea cauendum; & quomodo fortiter agendum, ac perſeuerandum, lib. 3. cap. 37.

COM-

COMMENTATIO IV.

PRÆLIVM NAVALE
Claſsium oppoſitarum
CHRISTI & LVCIFERI.

Nolite timere. State, & videte magnalia Domini. Dominus quaſi Vir pugnator: Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis, & Exercitum eius proiecit in Mare, Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in Mari. Abyſsi operuerunt eos. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Exodi XIV.

MEMBRVM I.
ANACEPHALÆOSIS PRÆCEDENTIVM.

IVCVNDVM eſt in ſpacioſo verſari pelago, & tamen in portu nauigare: eſſe in alto cum Claſſe, & tamen à terrâ non receſſiſſe: naui in Oceano obequitare, & tamen ventorum ac æſtus arbitrio non ſubijci. Hæc nobis contingũt, qui haud ita pridem in claſſe Imperatoris Supremi, ſub Vice-Ammiralio PETRO in liberũ prouecti æquor, certaturi prælio nauali cum Cacodæmonis copijs, ſumus etiam-num, vbi antequam ſolueremus, fuimus, in ſolo æquè ac in ſalo: in liquido haud magis, quàm in ſolido elemento: in aquâ non minus, quàm in terrâ. Hoc nimirum eſt, *Nauigare*, meditantium ritu, *Theologicè*: verſari eodem tempore, in mari & in littore; in aquâ & in terrâ; concuti & conſiſtere; moueri, & quieſcere; abeſſe à periculis pelagi, & frui nauigationis amænitate. Tantum poteſt fictio diuinæ Rhetoricæ, qua vtitur *Meditator Euangelicus* ad loci compoſitionem efficiendam, quæ dum hominem ducit in altum, corpus relinquit in portu.

E quo nuper egreſſi, vt congrederemur cum hoſte, vſque ad locum pugnæ deuenimus. Vbi, præmiſsâ notitiâ, Maris, in quo confligendum, eiuſque perſpectis qualitatibus varijs, tũ communibus, tum proprijs, ab Archithalaſſo Chriſto naues ordine fuerunt diſpoſitæ: deinde, habita eſt, cohortatio militaris; pòſt vexillum erectum: denique, poſt cantatum claſſicum, poſt captatum omni arte ventum propitium, poſt remigationem inceptã, non ſupererat aliud, quàm vt *Claſſis* vtraque iniret certamen. Quod iam ſpectabitis, quia tunc ſubſtitimus: indictis, cõſenſu partium, publicè inducijs octo dierũ, quibus eſſet, vt melius appararentur omnia, armiſtitium. Finis eſt induciarum. Eia, in hoſtem moueamus, aut illum in nos incurrentem excipiamus, aut repellamus. At quomodo?

MEMBRVM II.

DVPLEX MODVS CONFLIGENDI IN MARI.

BIFARIAM congrediuntur *Claſſes* in mari. *Primò*, cùm *velificatione plenâ* feruntur in aduerſariam. Id quid-nam ſit, exponit Pierius Valerianus; nempe, cum aperto Marte, inimicitijs minimè diſſimulatis, pleno die remaggrediuntur, hoſtemque laceſſunt. Eſt hoc aliquid; ſed addo: cùm non vnâ alterâ-ue naui, ſed omnibus iunctim fit impetus. *Secundò* quando conto, aut remulco nauigatur; id eſt, quando tacitè, & per inſidias fit progreſſus: quod paullò obſcurius Latinè dicitur: *Subaquanea vti opera*. Et hoc ferè contingit nauigio vno ſolitario, clam ſeſe intra claſſem inſinuante.

MEMBRVM III.

LVCIFERI VELIFICATIO APERTA & OCCVLTA.

Contra Chriſti Claſſem Allegoricam.

DIABOLVS *Velificatione plenâ* aggreſſus eſt olim *Claſſem Chriſti Allegoricam*, conſtantem tot *Nauibus*, quot ſunt *Eccleſia Catholica*, quando contra Religionem Chriſtianam ſuſceptum fuit bellum apertum, per Imperatores Romanos Gentiles, per Principes Idololatras, per Magiſtratus paganos. Cùm conſpirarent in Chriſti gregem, Nerones, Diocletiani, Decij, alijque potentiſſimi tyranni: cùm ferro & igne quicquid erat nominis Chriſtiani, perſequerentur infideles. Occultè verò, & per inſidias eidem claſſi exitium eſt molitus, quando per hæreſiarchas, Arium, Macedonium, Eutycheté, Neſtorium, & plures eiuſdem furfuris: nã nihil albedinis habuerunt, vt eiuſdem farinæ dici poſſint, errorum Magiſtri, fecit clam impetum: & etiamnum facit per Lutherum, Caluinum, eorumque progeniem, ſub ſpecie veritatis tuendæ; ſinceritatem Euangelicam propugnandi, abuſus tollendi, Eccleſiam reformandi. Vtroque modo hoc tempore graſſatur, non ſolùm apud Indos, in Chinâ, Iapone, Braſiliâ, vbi & Gentiles claſſem fidei adoleſcentes palam inuadunt, ac ſummo conatu diſſipare ac deuincere nituntur; & ex Europæo delati Hæretici, Angli, ac Bataui molitionibus occultis, naues quaſdam carpunt, ac infidelitatis fluctibus inuoluunt: verùm etiam apud nos in Germaniâ, vbi excitato bello, pluſquam inteſtino ac ciuili: quod pro libertate ſumptum initio ſpargebatur, nunc verò apparet eſſe Religionis, non tam Politicum, quàm Eccleſiaſticum, pro deformatione Eccleſiarum, quæ tamen *Reformatio*, inuitis ac reclamantibus Superis, appellari debet. Nunc Cacodæmon in hoc *Mari Germanico* omnes *Naues* ſuas ad vnam *Claſſem* conficiendam vocare videtur: Prætoriã *Hæreſis*, biremes *Perfidia*, triremes *Atheiſmi*, quadriremes *Tyrannidis*, Septiremes *Vitioſitatis*, quas iunctum in naues Eccleſiæ Catholicæ immittit. Quod eſt velificatio-

ficatione plenâ eam oppugnare. Non deſinit interim, varijs fraudibus, Nauarchos noſtros diſtinere, ac fucum facere, cùm ipſe ſtrenuè negotium ſuum agat, & ab omni parte inſidias moliatur. Quod eſt, *Subaquanea* vti *opera*, & *conto ac remulco* *nauigare*. Niſi dolos animaduertamus ac declinemus, præueniemur, & *Claſſe* noſtrâ, vel laceratâ, vel diſiectâ, vel depreſſa, vel combuſta, vel in aduerſariorum poteſtatem redacta, victas manus dabimus.

MEMBRVM IV.

LVCIFERI VELIFICATIO PLENA

Contra Chriſti Claſſem Tropologicam, & Animatam. Quam apertè inuadit, & oppugnat tentationibus varijs.

QVOD ſide *Claſſe* noſtrâ *Tropologica* ſit ſermo, quæ conſtat Virtutibus in *Anima*, tanquam in *Mari* ad modum *Nauium* diſpoſitis, & de *Claſſe Animata*, quæ *Nos* ipſi ſumus, & componitur ex *Corpore*, ac huius membris, ac *Anima*, eiusque potentijs, & facultatibus in vitæ humanæ pelago fluctuantibus; Satan *plena Velificatione* illam aggreditur, quando minimè diſſimulanter, tentatione aperta ac manifeſta ad peccatum committẽdum proritat. Cuius exemplum imprimis eſſe poteſt in *Villico* iniquitatis, hodierni Euangelij argumento. Cui primò perſuaſit, vt defraudaret dominum ſuum, vt illi multa ſurriperet, vt bona illius diſſiparet, vt in vſus ſuos pleraque conuerteret, vt cognatos, amicosque alienis fortunis ditaret: deinde, vt cauſſam ſuam mendacio, fraude, dolo malo, fortaſſe etiam periurio defenderet, & iniquitatem iniquitate copularet. Dum incitat Adoleſcentem ad intemperantiam in cibo & potu: vt ſe eſculentis, ex gulæ præcepto, infarciat: vt poculis, ex Bacchi præſcripto, vſque ad ebrietatem indulgeat; vt diſcat paullatim frequentare cauponam, ludere chartis pictis, aleis, taxillis; iurare per fidem, per Sacramenta, per Dæmonem, ex formulis conſuetis; vt non vitet, ſicut hactenus, ex neſcio qua ſcrupuloſitate (ſic ſuggerit Satan) illud iucunditate plenum hoſpitium, è quo nemo, niſi benè potus, natantibus oculis, & vacillante greſſu egreditur. Vt non exiſtimet quod toties in ſcholis & templis occinitur, Iuueni ingenuo libris inuigilandum eſſe, non poculis; ſtudijs litterarum operam dandam, non helluationibus: virtuti ſtudendum, non ocio tẽpus dilapidandum. Quaſi verò, non liceret vnquam artium liberalium amatori operatorique

—— *ad calicem vigilanti ſtertere naſo?*

Vt non ducat ſibi religioni, ſcurriliter iocari, blaſphemare nonnunquam, nugari frequenter, vt fieri amat à feſtiui ingenij adoleſcentibus. Vt non opinentur graue eſſe peccatum, ad æquales hauſtus ſocios inuitare, aut cogere, inebriari vino vſque ad euerſionem rationis, & ſtomachi, vſque ad dolorem capitis ac viſcerum, vſque ad vomitum, ad paupertatem, mortẽ & inſaniam vſque, vt loquebatur Doctor Martinus Luther, quinctus Euangeliſta.

Dum impellit eundem, ſiue iuuenem, ſiue virum ad intemperantiam in venereis:

lance ponderantes, poſt Confeſſionem Sacramentalem, dum ſe ad DEVM ſeriò conuertere, illique in poſterum adhærere decreuerunt, ad immoderatam corporis caſtigationem inſtigat; perſuadendo, vt dum de ſe pœnas exigunt, nullo reſpectu corporis, complexionis, temperamenti, terminos moderatæ *Pænitentia* tranſiliant. Et cui initio conuerſionis non imponit immoderatus & impotens pænitentiam agendi feruor? Quàm hoc ſpecioſum! (ſentit ſibi interius ſuggeri) ieiunare triduò integro: immò, in ſeptimum diem, inediam imbibeſiamque producere: corpus quotidie ſtellatis flagris lacerare, vt in dorſo nullius amplius ſit vulneri locus: ſilice pectus tundere, vt ſanguis exore erumpat: ferreâ catenâ cingere lumbos tam arctè, vt per cutem ad oſſa penetret: ſpinas in lecto cubanti ſibi qualibet nocte ſupponere, & in ijs nudum rotari: murices calceis iniicere, quibus pedes cruententur: manum laminæ fornacis ardentis apprimere, vt amburatur: digitulum flammæ imponere, vt flammam concipiat.

HÆC immoderata ſunt, & ex imprudenti zelo, ac nimio feruore proficiſcuntur; quem idcirco excitare ſolet Satan, vt tyronem Chriſti, in malum aliquod damnumque corporis irreparabile conijciat, quo deinde ad virtutum exercitamenta ſit planè inhabilis, vel, vt ab omni deinde, quamuis moderato pænitentiæ officio abhorreat. Præcipiunt quidem Litteræ diuinæ, vt corpus in ſeruitutem animæ redigamus 1. ad Corinth. ix. nequaquam tamen, vt ſecundum prudentiam Chriſtianam monet S. Baſilius, id mandant, vt corpus immodicis macerationibus tabefactum reddamus, aut diſſolutum. Idcirco Diaboli eſt tentatio per occultas technas *Claſſem Pietatis* laceſſentis, ſe ipſum cum notabili detrimentò, & pernicie nimium excruciare. *Quoties*, inquit S. Bernardus, *(a) ſuggerit Satanas anticipare vigilias, quo ad ſolemnia fratrum illuderet dormitantis? Quoties produci ieiunia, & diuinis obſequijs eo inutilem reddidit, quo imbecillem? Quoties ad opus manuum plus quàm opus fuerat, incitauit, & fractum viribus ceteris regularibus exercitijs inualidum reddidit.* Nimirum, hoc ſpectat aſtutiſſimus pirata, quod benè obſeruat Bernardinus Roſignolius bonus doctrinæ ſpiritualis Magiſter, vt, dum pænitentiæ opera plus quam par eſt, & ſupra vires exercemus, pænitentia ipſa ſatietatem & ſtomachum pariat, ab ea que paullatim, eo magis abalienemur, quo maiore eam ſtudio ſequuti ſumus. Et ſi non id, illud ſaltem aſſequatur, vt ſub onere illo grauiſſimo, vires corporis ita debilitentur, vt quamquam animus perferendi non deſit, deficiat tamen valetudo corporis: in qua recuperandâ dum ponitur opera, languere incipiat etiam animus, & in curanda carne totus occupetur.] *Experti eſtis*, verſatiſſimus in huiuſmodi Abbas Clareuallenſis, ait S. Bernardus, *quomodo quidam, qui ante inbiberi non poterant (ita in ſpiritu vehementi ferebantur) cùm ſpiritu ceperint, nunc carne conſumentur. Quam turpe nunc uſire fadus cum ſuis corporibus, quibus crudele antea indixerãt bellum?*

(a) *Serm. xxxiii. in Cant.* (b) *Lib. 1. de perf. diſcip. Chriſt cap* 17.

MEMBRVM VI.
OPPVGNATIO CLASSIS SCRVPVLOSORVM.

VTITVR quoque *ſubaqueneâ operâ* Cacodæmon, in diuexandis Scrupuloſis; quo hominum genere, vt non eſt magis miſerum inter fideles Chriſti, & pios, ita nec magis ridiculum. Hos ſi de peccatis inſtituenda ſit Confeſſio Sacramentalis, & multo etiam magis poſt illam peractam, mirum in modum exagitat, & penè ad reſtim adigit. Fuitne (dicunt intra ſe) illa actio, illa loquutio, illa affectio peccatum? profectò fuit: nimirum, ſpuere in terram, calcare ſtramen in Crucis formam compoſitum: comedere tribus digitis, cùm duobus poſſet: ponere ſiniſtrum pedem primùm per limen oſtij, cum dexter præcedere debeat: non lauare manus antequam comedas, & ſimilia ſexcenta. Poſt confeſſionem: dixi ne omnia ſincerè, integrè, perfectè? profectò, non dixi omiſſum eſt aliquid: iterum recurrendum eſt. Paulò poſt: explicaui ne benè, quod Confeſſarium latere non oportuit? Videor aliquid non ſatis accuratè explicaſſe: vnus me fefellit numerus. Non expoſui ſatis clarè, quid, quo animo, quo loco, qui cum, quo tempore, quàm diu. Iterum recurrendum eſt. Mox ſanè nondum ſatisfeci: reor latere etiamnum quidpiam, quod non occurrit. Iterum recurrendum eſt. Quid? vis-ne ſtulteſcere tecum Confeſſarium? Qui ſi etiam ſcrupuloſus ſit, tunc videre eſt miſeriam, à quà liberet nos Dominus. Inſanis, Dilecte, non te multæ litteræ, ſed multi ſcrupuli ad inſaniam conuertunt.

ADVERSARIVS noſter Diabolus calidiſſimus eſt. Qui, vt animorum tyrannus, timorem omnem excutit à mortalium animis, dum ad peccandum ſe accingunt, vt in quælibet ſcelera liberè ſe dent præcipites. Quando autem eos è cæno illo emerſiſſe iam videt, mirum eſt, quantoperè laboret, ne diu de vſurpatâ poſſeſſione deiectus circuire cum ludibrio cogatur. Quamobrem pœnitentium mentes, & optimorum etiam adoleſcentum vexat flagitiorum quorundam, immò, interdum leuium peccatorum ac defectuum ſpinoſa ſcrupuloſaque ruminatione, vt finem nunquam faciant eadem iterum ac ſæpius peruoluendi, viuantque vitam acerbam, & angoribus pleniſſimam. Quibus remedium præſcribere, quod aliàs à nobis factum, non eſt huius inſtituti. Sat ſit oſtendiſſe, Luciferum Claſſem virtutum, tam *conto* ac *remulco*, quàm *plenâ velificatione* aggredi ſolere. Hoc tamen non ſilebo, me habere herbam quam *Dictamnum* ſcrupuloſorum appellare ſoleo: quod vt capræ in Cretâ ſagittis vulneratæ, dictamni paſtu eas excutiunt, ſic omnia ſcrupuloſorum iacula, quibus vt erinacei configuntur, huius herbæ guſtatu excidant. Huius ego herbæ copiam, ſine vllo precio pecuniario, indigentibus omnibus, modò malum ſuum aperiant humiliter, & eam ſubmiſsè petant, facere conſueui, neque vlli è vobis, modò habendi deſiderium prodant, denegabo.

NOTÆ.

NOTÆ.

§. I. VELIFICATIO.] *Notiſſimum eſt in re nauticâ* Velum: *nempe, linteum, quod circa malum expanſum, ventum excipit.* Hinc, dare vela, *eſt ventis ſe committere, & nauigare.* Vela facere; *expedire, ſeu expedire vela.* Velis equisque: *omni conatu, terra mariquè.* *Velis remiſque* Velifico. *Velo nauigo, vel facio, Plin. lib. 9. cap. 33.* Per ſumma æquora velificant. Velificor. *Iuuen Saty. 3.*

Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax,
Audet in Hiſtoria ———

id eſt circumnauigatus. Velificatio: *actus velificandi.* Velifer. *malus nauis eſt velifer.* Velificus. *Currus velificus, qui velis fit.* Veliuolæ *nempe; naues, quæ vt aliæ aues, ita velis quodam modo volitare videntur.* Veliuolantes *naues habet Cic. de Diuinat.*

§. II. REMVLCO trahere nauem.] Polybio & Diodoro, *ſignificat è ſcapha maiorem nauem remigando trahere. Quod aliquando neceſſitatis gratiâ fit, vt cùm maior* nauis, *quæ remis non agitur, vento deſtituta eſt: aliquando non aliam ob cauſſam, quàm vt quietius nauigetur.* Remulcare, *propriè eſt, remigando è ſcaphâ grandiorem* nauim *trahere.* Remulceo, *paulatim & quiete attraho.*

Legendus Bayfius *de re naual*is.

COMMENTATIO V.

STRATAGEMA NAVALE.

Oppugnatio Prætoriæ hoſtilis. Combuſtio Claſſis inimicæ.

Cogitationes conſilijs roborantur. Et Gubernaculis tractanda ſunt bella. Prouerb. xx. 18.

MEMBRVM I.

PRÆTORIA HOSTILIS INVADENDA.

DISCIPLINA *Claſſiaria* hoc imprimis præſcribit, vt ſiue *plena velificatione*, ſiue *Clancularia inuaſione* hoſtium *Naues* adoriri ſit propoſitum, Prætoria, præ reliquis petatur, & in omnibus ſubſidijs ab hoſte defendatur. Quod diligenter obſeruatum animaduerto in omnibus, non ſolùm antiquorum, verùm etiam recentium maritimis concertationibus. Vnam produco

ex Indicis, quæ non legi nobiliorem à multis ſeculis, & peperit naualem victoriam illam nominatiſſimam, quam obtinuerunt Luſitani, Sancti *Franciſci Xauerij* prædictione animati.

ANNO M. D. XLVII. cùm Malacæ moraretur *Xauerius*, (a) milites Luſitani non plus ducenti triginta nauigijs octo grandioribus Acenorum claſſem numeroſiſſimam inſequuti, tandem deprehenderunt. Initur certamen. Defluebant ſecundo amne in pugnam Barbari, diſſono tympanorum concentu, horrendoque vlulatu. Præibat eorum *Pretoria* quaternis Turcicis cincta triremibus. Sequebantur biremes ſenæ ordinibus diſtinctæ nouem, innumeris fiſtulis ac bombardis munitæ. Luſitanus, vt primum Barbarorum agmen promontorij flexus aperuit, repentè tribus cum nauibus occurrit hoſti, ceteris, vt aciem direxerat, ſubſequi iuſſis. Barbarus furore præceps dum bombardas ante tempus in hoſtem incendit, irrito ictu globos omnes in vndas excutit. At Luſitanus, pro quo Dominus dimicabat, prægrandi globo grandiore intorto bombardâ Acenorum *Pretoriam* tam certo librauit ictu, vt eam funditus in alto demerſerit. Hoc initium, immò, plena penè victoria. Siquidem oppreſſâ librato globo *Pretoria*, dum Turcicæ triremes, omiſſâ pugnâ curſum inhibent, Duci, proceribusque opem laturæ natantibus, victoria ſe Luſitanis, primo impetu, ſponte obtulit. Vt pluribus narrat Societatis Hiſtoriographus, qui tandem addit, quinque & viginti capta Barbarorum nauigia ab octo duntaxat Luſitanis nauibus fuiſſe quaſi ad triumphum acta. Tam inſignem nobilemque victoriam pepetit *Pretoria* primo impetu depreſſio.

EODEM ſeculo, poſt annos aliquot quando pugnatum fuit à Principibus Chriſtianis ad Echinades (b) contra Turcorum potentiſſimam claſſem, poſt illa, quæ ſuperius (c) recenſuimus, ante alia *Pretoria* ſummo conatu congreſſæ fuerunt. Vtraque quingentis & amplius militibus munita erat, exceptis ſeruis, quorum ingens numerus. Turcæ in Auſtriaci *Pretoriam* ad ipſum vſque nauis malum irruperant, ſed ócyus fuerunt repulſi. Chriſtiani quoque circa *Pretoriam* Turcicam maximè laborabant, quâ captâ, Archithalaſſum Ali Baſſam interfecerunt, in poteſtatem redactis duobus eius filijs; atque ita confeſtim aliæ, ipſa etiam poſtrema acies fuit debellata. Turcarum triremes captæ centum quinquaginta & vna, ſubmerſa quadraginta. Turcæ occiſi circiter viginti & vnum millia capta quinque millia: Chriſtianorum mancipiorum liberata quattuor decim millia. Quinque circiter Chriſtianorum millia fortiter pugnando occubuerunt. In quibus ductores ac nobiles Veneti octodecim, aliarum nationum ſeptem.

Ex qua narratione duo quædam habemus. Vnum, quod vtinam Principes Chriſtiani animaduertant, & frequenter animo voluant. *Turcam*, vt in terra, ſic in mari vinci poſſe, modò Chriſtiani depoſitis internis odijs ſerio vires

(a) *Orland. hiſtor. Societ. lib. 7. num. 87.* (b) *Anno 1571.* (c) *Commentat. 10.*

vires iungerent. Plurimum certè tunc ea victoria profuit, qua non obtenta crudeliſſimo bello Chriſtianam Rempub. Turca vexaſſet. *Alterum*, quod huc ſpectat: in *Pratoria* nauis oppugnatione, vel defenſione, potiſſimùm conſiſtere naualis victoriæ momentum. Quod proximè etiam fuit obſeruatum. Superiori menſe naualis fuit pugna in conſpectu vrbis Barcinonenſis, (*a*) quæ eſt caput regni Gothalaniæ inter Hiſpanum & Gallum. (*b*) Hiſpanica claſſis conſtabat LIV. nauibus militaribus & VII. *galeris*, vt vocant; Gallica LI. nauibus bellicis, & *galeis* XVII. concertarunt crudeliter duobus diebus, quinto, & vigeſimo ſexto Iulij: neutri ceſſit victoria, quia *Pratoria* neutrius vel merſa fuit, vel capta; licet ab vtraque parte, & incenſæ fuerint, & ſubmerſæ naues aliquot. Tantum confert ad complementum victoriæ ſi deuincatur hoſtilis *Pratoria*.

* * *

(a) *Pugna Gothalanica.* (b) *Anno 1643. Iulij 25. 26.*

MEMBRVM II.

LVCIFERI IN PRÆTORIAM CHRISTI CONATVS.

Cacodæmon nititur expugnare Pratoriam Claſſis Allegoricæ Chriſti.

QVOD non ignorans Archithalaſſus infernalis, curæ illi eſt, vt quam primum inuadat *Pratoriam* Claſſis aduerſæ. Quæ in *Allegoricâ* Chriſti, vt toties dictum, eſt *Nauis Petri: Eccleſia Romana*, cui Pontifex Maximus Petri ſucceſſor præſidet. In hac oppugnandâ omnem hactenus conatum adhibuit. Primò, per Imperatores Ethnicos, qui toties ſuos enſes Pontificum Romanorum ſanguine purpurarunt. Deinde, per Imperatores hæreticos, ac Schiſmaticos, qui funeſtiſſimum ſæpe bellum, intruſis etiam in Petri Prætoriam Antipapis Pſeudo-nauarchis, Eccleſiæ Romanæ intulerunt. Denique, per hæreſiarchas, & recentes nominatim ſectarios, Lutheranos & Caluiniſtas; qui idcirco Pontificem in Anti-Chriſtum transformare nituntur, & illius Sedem Eccleſiamque vt Apoſtatricem infamant, vt Prætoria hac deuictâ facilè naues omnes reliquæ debellentur.

MEMBRVM III.

SATAN EXTREMA TENTAT

Vt Pratoriam Claſſis Tropologicæ Chriſti expugnet.

IN Claſſe tropologicâ *Pratoria* ſunt, diuerſo intuitu, *Fides*, *Caritas*, *Gratia*. Vnde propoſitum eſt Cacodæmoni, vt has fortiſſimè oppugnet, laceret, demergat: nam ſcit, ſummam victoriæ in harum expugnatione conſiſtere: quod multoties

to ies eſt expertus. Et ſanè, in Paradiſo terreſtri ſtatim hac molitione victor euaſit. Siquidem primum quod tentauit in Eua, fuit, vt *Fidem* infidelitatis fluctibus mergeret. En perſuadet, falſum eſſe, id, quod interminabatur, qui non mentitur, DEVS, quodque *fide* certiſſimâ credere debebat, morituros, ſi vetitum pomum deguſtaſſent. Idem tentat quotidie nobiſcum, vt animaduertit S. Gregorius, (*a*) qui proinde monet, vt caueamus. *Quod* enim, inquit, *in Paradiſo egit, hoc quotidie antiquus hoſtis agere non deſiſtit. Verba quippe* DEI *de cordibus hominum molitur euellere, atque in ijs ficta promiſſionis ſua blandimenta radicare. Quotidie quod* DEVS *minatur, leuigat, & ad credendum, quod falſum promittit, inuitat.* ITAQVE, opponit *Pratoriam* Infidelitatis *Pratoria* Fidei. (*b*) In quâ cum eſſet Petrus, ſeriò monebat ſuos, ne vnquam *Nauem* ſibi deſignatam deſererent, ſed in eâ inimico inuadenti fortiter ſe opponerent: *Sobrij eſtote, & vigilate* (quod Chriſti milites maximè decet) *quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens,* in prora nauis ſuæ, *circuit*, ac circumuehitur *Pratoriam* veſtram, *quærens quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide.* (*c*)

PRATORIÆ *Caritatis* opponit biremem *Odij* DEI ac proximi & quodlibet crimen Caritati vtriuſque grauiter contrarium. *Gratia Pratoriam* inuadit inimicus ſeptiremi Capitalis peccati: nam quolibet peccato lethifero commiſſo, ſuperatur *Pratoria Gratiæ*, aut potius ille, qui in eâ hactenus pugnauit, idemque lethaliter vulneratus mergitur.

* * *

(*a*) *Pratoria infidelitas.* (*b*) *Lib.* 24. *Mor. cap.* 5. (*c*) 1. *Petri* 5.

MEMBRVM III.

ARTIFICIVM COMBVRENDI CLASSEM INIMICAM.

SI non ſuccedat *Pratoria* oppugnatio, tentatur *Claſsis* totius *Exuſtio*. Quæ magnæ eſt, ſiue induſtriæ, ſiue calliditatis, & à peritiſſimis militiæ naualis Ducibus fuit aliquando feliciter perfecta. Fit autem, vel per vnam aliquam, vel per plures naues incendiarias: Et eſt inuentum vetus. Cùm *Claſsis Alexandri* M. Tyrios infeſtaret, illi nauale machinamentum iſtiuſmodi extruxerunt, vt ſcribit Arianus, (*a*) Nauem hippagogam aridis ſarmentis, aliaque materia, quæ facilè ignem concipit, onerarunt, & malis duobus ad proram erectis, quam longiſſimè poſſent, in orbem circum ſepierunt, vt faſces faceſque quam plurimas caperent; Adhæc, picem & ſulphur, aliaque ad incitandam ingentem flammam accommoda accumularunt. Prætereà, ad vtrumque malum binas antennas extenderunt, atque ex ijs in lebetibus ſuſpenderunt quæcumque, aut infuſa, aut immiſſa, vehementer flammam augere poſſent. Dehinc, omnia nautica inſtrumenta in puppim tranſtulerunt, vt eorum pondere grauata puppis, proram altius erigeret. Dein, obſeruato vento, qui aggerem verſus ſpirare,

raret, nauem triremibus alligatam in mare protraxerunt. Poſtquam verò moli turribusque ab Alexandro contra Tyrios excitatis appropinquauerunt, immiſſo in materiam igne, quanta maxima vi poterant, *Nauem* triremibus protrahentes ad molis caput impulerunt. At qui in *Naui* iam ſuccensâ erant remiges, facilè enatarunt. Intereà ingens incendium turres comprehendebat, & antennæ confractæ, quæcumque ad augendum incendium præparata erant, effundebant. Addit Arrianus, per trierarchas & nautas miſſilibus auctum incendium, omnesque machinas cum opere & turribus incenſas.

Q. Curtius eleganter & opus ipſum depingit, & detrimentum acceptum fuſius exponit. Tyrij, inquit, nauem magnitudine eximiam ſaxis harenaque à puppi oneratam, ita, vt multum prora emineret, bitumine ac ſulphure illitam remis concitauerunt: & cum magnam vim venti vela quoque concepiſſent, celeriter ad molem ſucceſſit, tum prora eius accenſa: remiges deſiluere in ſcaphas, quæ ad hoc ipſum præparatæ ſequebantur. *Nauis* autem igne concepto, latius fundere incendium cæpit. Quod, priusquam poſſet occurri, turres, & cetera opera in capite molis poſita comprehendit. At, qui deſiluerant in parua nauigia, faces, & quicquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modò Macedonum turres, ſed etiam ſumma tabulata conceperant ignem, cùm ij, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omiſſis, in mare ſemetipſi immitterent. At Tyrij, qui capere eos, quàm interficere maluerunt, natantium manus ſtipitibus ſaxiſque lacerabant, donec debilitati impunè nauigijs excipi poſſent. Fortaſſe ab hoc Tyriorum ſtratagemate Antuerpienſes olim, vt tradit Nicolaus Orlandinus, ſuum exitiale nauigium, cui CANIS indidêre nomen, compoſuerunt; quamuis multo ingenioſius & nocentius fuerit hoc Belgicum; vt idem Auctor, non niſi Stygium aliquem Genium illius architectum fuiſſe, exiſtimarit. Ita enim ille in obſidione Antuerpiæ, (a) Duce Alexandro Farneſio Parmenſi, dum illam deſcribit, narrationem inſtituit.

NOVA excogitantur, Diabolo architecto, nauigia: neque enim tale inuentum excogitare humana mens poterat. Horum ea conſtructio, & fabrica fuit, vt Honorarij formam tumuli, feraliſque vrnæ referrent. Erant in nauis alueo tranſuerſæ trabes, lapideſque in quadrum coagmentati, & ad foros vſque ſurgentes. Alueus autem ipſe molaribus, & generis cuiuſuis lapidibus ita refertus, vt & varij cuniculi in ſpiram acti puluere ſulphureo pleni relinquerentur, & pars ſumma cippis, immenſiſque lapidibus tegeretur. Latebat inſuper fiſtula fomentario igni relicta, igniarioque ita librato, vt non ante pulueres inflammaret, quàm *Nauis* ipſa in crates ac pontem propemodum impegiſſet. Fori autem & conſtrata *Nauis* tabulata, ſiue ad terrendos timidos, ſiue ad opprimendos incautos, ſparteis manipulis, pice, reſinâ,

(a) *Anno* 585.

ſulphureque oblitis, ac malleolis conflagrabant. Quibus artificijs ac machinis, cùm primùm remiſit æſtus, tetris ardens tenebris *Nauis* emittitur. Quod hoſtile portentum dum procul aduentare noſtri conſpiciunt, continuò è caſtris vnà cum Principe, in omnem euentum expediti ad ripam fluminis pontemque conuolant. Intereà, dum quidam per audaciam, vel *Nauem* ipſam conſcendere, vel vncis remorari contendunt, ecce tibi repentè conceptus ignis ingenti fragore ſaxa quatere, torquere trabes, tempeſtates & tonitrua ciere, immanes lapides, ignitosque globes in cælum vomere: ſtationarios & claſſicos in vndas mergere, partem pontis euertere: nemini denique parcere, qui vel propius acceſſiſſet, vel etiam longius abeſſet. Lamentabilis omnium gemitus erat, funeſtus multorum Principum exitus, aliorum vel mutilatione vel funere. Ducentos propè homines lapidum procella contriuit. Princeps ipſe Parmenſis, quamquam Hiſpani cuiuſdam impulſu vix ſe è periculo eripuerat; tamen vehementi aëris agitatione concuſſus, vnà cum Marchione de Peſchara in terram concidit, propiusque factum eſt nihil, quàm vt vterque militarium corporum mole, quæ lapidum proſternebat imber, opprimeretur. Vicarius etiam Principis & totius equitatus magiſter, alijque clari viri fluctibus periere. Alij per aërem viſi ſunt ad paſſus aliquot volitare: alij flammis pulueribusque cremati; fædo ſanè horribilique ſpectaculo.

FRANCISCVS *Haraus* Belgicorum Tumultuum ſcriptor architectum machinæ nominat *Tembellium* Italum, & peculiaria quædam adiungit digna memoratu. Primaria, inquit, incendiariarum intus puluere bellico cæmentitia ſtructura clauſo plena, externis in concamerato tecto lapidibus molaribus, ſarcophagis, globis ferreis, ac lapideis erat onerata. Habebat autem intra ſe nonaginta dolia pulueris tormentarij, quibus certo loco iuſtæ longitudinis funiculus tormentarius, remotiori parte accenſus erat interpoſitus, & poſt certas horas, quarum rationem ex funiculorum natura inierant, puluerem attingens, molem omnem obuiam euerterent. Itaque ſecundo vento æſtuque naues incendiarias ſine gubernatoribus mittunt (nullus enim in ijs, niſi ad certam mortem manere poterat) ſed ita gubernacula inſtruxerant, vt ſemper medij amnis tenerent curſum. Interim vna incendiaria maior ponti appropinquabat. Quam Regij videntes, quid vna *Nauis* vellet, expectabant: viris enim plenam exiſtimabant. Ad Ordami littus vi æſtus incendiaria delata, incenditur nitratus puluis: audiuntur, magno omnium ſtupore, tonitrua, viſuntur fulgura hominum arte fabricata, & inſtar grandinum volant molarum, ſarcophagorumque rudera, è quibus multi è regijs peribant, membris miſerè lacerati: quorum cadauera lacera poſteà partim reperta partim flumine abſorpta ſunt. Euertit eadem regiæ munitionis naues duas, & alias aliquot inſigniter lacerauit. Viciſſent hoc ſtratagemate Antuerpienſes ſi cæptam victoriam vtiſſent Sed vbi detonuit ea tempeſtas, collegerunt ſe Hiſpani, & pontem ſublicium naualemque Scaldæ artificioſiſſimè impoſitum refecêre, omnemque commeatum terrâ marique ab vrbe prohibuerunt. Certè,

ope

operatum, ac ſociorum naualium dilige- | tia factum eſt, vt ruina ſtatim repararetur.

MEMBRVM IV.

INVENTVM LVCIFERI

Ad comburendam Claſſem Chriſti, Tropologicam Virtutum: & Animatam hominum fidelium.

CONCVPISCENTIA NAVIS INCENDIARIA.

SIMILI ſuperiori machinamentum nauale contra Claſſem Chriſti, quæ conſtat Virtutibus, & Hominibus, tanquam animatis Nauibus, immittere ſolet hoſtis noſter capitalis, quando omnes naues iſtas incendio abſumere proponit. Eſt *Nauis* magnitudine eximia, quæ vocatur CONCVPISCENTIA. Hæc in ſe continet omnis generis ad ignem excitandum, & conſeruandum fomitem, ac pabulum, arida ſarmenta, ſtipulam, ſtramen, picem, naptham, bitumen. Eſt hoc paullò obſcurius: dicam ergo abſque ſymbolis, ac metaphoris, clariſſimè. In homine eſt *Appetitus* quidam, qui dicitur *Senſitiuus*, Iuſtitia originali, quam perdidimus in protoplaſto Adamo, vel ſimili dono ſupernaturali non cohibitus, ſeu refrenatus, ideoque pronus, vt inordinatè, ac ſine rationis conſenſu ſenſibilia appetat. Hic eſt *Concupiſcentia*. Quæ ab Apoſtolo, Romanorum VII. appellatur *Peccatum. Quod habitat in me peccatum*, inquit. Non quod verè in renatis per baptiſmum ſit *Peccatū*, ſed quia, vt decernit ſacrum Concilium Tridentinum, (a) ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Quod ipſum docuerat iam olim S. Auguſtinus diſputans de nuptijs & concupiſcentia cap. XXIII. & eſt relicta in baptizatis ad agonem: *Qui enim legitimè certauerit, coronabitur.* Hæc eadem *Concupiſcentia* à Scholaſticis, præeunte Magiſtro Sententiarum (b) dicitur *Lex membrorum*, iuxta illud Pauli Apoſtoli ad Romanos VII. *Inuenio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* Vocatur à morum informatoribus, *Languor membrorum*, ab eruditis Concionatoribus *Tyrannus*. Ego illam concipio, ad inſtitutum meum accommodatè, vt *Nauem* eam Tyriam aut Belgicam paullò ante deſcriptam. In eâ quicquid abſconditur eſt *Fomes* flammarum. Vnde paſſim à Theologis appellatur *Fomes peccati*, quod ſit ad peccati flammam concipiendam tam habilis, quàm *Nauis* plena puluere pyrio; vel quàm funiculus incendiarius, quem *Lontam* vulgus vocat, accenſus, ſi inſpergas pulnerem nitrium, aut bombardarium. Eundem non ineptè nuncupaueris *Naphtham*, quæ eſt bituminis flos tenuiſſimus, circa Babylonem copioſè proueniens, cui eſt tanta cum igne cognatio, vt flamma in eam tranſiliat vndecumque viſam, (teſtis Plinius (b) in pharmacopolijs, *Medea oleum* nuncupatur. Ex illa conficitur

(a) *Seſſ. v.* (b) *Lib. 2. Sen. diſt. 30.*

(a) *lib. 2. cap. 105.*

ficitur ignis penè inextinguibilis, quem *Græcanicum* vocitant. Quam ſit potens ad fouendam flammam viderunt Socij Danielis in Babylonicâ fornace, quam non ceſſabant miniſtri Regis ſuccendere naphthâ, ſtuppâ, pice, malleolis; ita vt effunderetur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem; & erumperet, ac incenderet, quos reperiebat iuxta fornacem de Chaldæis, vt ſcribitur Danielis tertio capite.

CONCVPISCENTIAM itaque, tanquam *Nauem* iſtiuſmodi materia plenam, propellit Cacodæmon in Claſſem noſtrã, conſtantem animæ, ac corporis membris & potentijs. Quam primum autem appellit, & facit impetum, ſi accendantur, quæ in illa diſpoſita ſunt, tanquam arida ſarmenta, appetibilium obiecta, incendio conflagrat nauium noſtrarum congeries. Momentò comburitur *Quinqueremis* ſenſuum exteriorum, Oculus, Auris, Guſtus, Tactus, Odoratus. Flammam mox concipit *Quadriremis* ſenſuum interiorum; Communis, Phantaſia, Memoria, Æſtimatiua. Peruadit deinde flamma ad *Biremem* Intellectus: tandemque corripitur *Vniremis Voluntas*. Hoc eſt, quod docent Theologi, & experimur proh dolor! quotidie, Concupiſcentiæ ardore incendi in nobis, præter membra corporis, etiam facultates animæ. At, qui ſunt *Funiculi*? quis puluis tormentarius, quæ ſulphurata? quæ incentiua ignium, quibus in *Concupiſcentia* latentem accendit materiam? Hæc ſunt diuerſæ ſenſuum illecebræ, quæ ſi adhibeantur, confeſtim ignis excitatur: formæ elegantes, concentus ſuauis, mollitudo carnis, colloquia laſciua, obſcænæ picturæ, libri inhoneſti, cantiones feſcenninæ, & ſimilia ſexcenta.

MEMBRVM V.

INVENTVM CHRISTI

Ad liberandam Claſſem ſuam ab incendio Luciferi

SVBTRACTIO INCENTIVORVM.

QVOMODO ab hac peſte *Claſſis* eſt liberanda? Docuit hoc Architbalaſſus noſter Chriſtus: & ex illo docent Militiæ Naualis Chriſtianæ periti. Qui aſſerunt enitendum, vt *Funiculus incendiarius* ſubducatur, & cum illo, quicquid materiam inflammare ſolet: ſic enim fiet, vt hæc quamuis ſicciſſima, nunquam flammam concipiat. Optimum remedium. Si *Concupiſcentia* Nauem incendiariã in Claſſem tuam immittat animarum inſidiator, ſubtrahe incentiua ignis; etiamſi appropinquet, nullo afficieris damno. Auerte oculos tuos ne videant vanitatẽ. Pange fœdus cum *oculis tuis, vt ne cogites quidem de Virgine exemplo Iobi, hominis caſtiſſimi. Sepi aures tuas ſpinis, vt monet Eccleſiaſticus linguam nequam noli audire: & ori tuo facito oſtia & ſeras. Aurum tuum & argentum tuum conſla. & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos: & attende ne forte labaris in linguâ.* (a) Retrahe manum tuam à mollibus: pedes tuos

(a) *Iob* xxxi. ...

tuos à lapſu. At quoniam hoc difficile eſt cõmunem inter homines vitã agentibus, in qua neceſſariò tractandum quotidie cum vtriuſque ſexus amicis, inimicisque: in qua videndum nonnunquã quod nolles, audiendum, quod horres, dicendum, quod varias in animo formas, & imagines, non ſemper puriſſimas, & candidiſſimas ingenerat; aliud artificium docuerunt maritimæ diſciplinæ magiſtri periſſimi in obſidione Antuerpienſi, de qua ſuperius facta mentio. In ea, cùm poſt hactenus commemorata, Antuerpiani iterum tres alias incendiarias naues immitterent in obſidentium naues & propugnacula; Regij milites ſimul edocti cùm appropinquarent, aperta munitionis nauiũ clauſura, liberum ijs dederunt trãſitum. Vnde factum eſt, vt cùm aliquantum tranſijſſent, incenſæ ac in varias partes diſiectæ nemini nocuerint.

(b) *Eccl. xxviii.*

Vis vt te non lædat *Concupiſcentia, Nauis incendiaria*, quam immiſit in *Claſſem* tuam Satan ad tranſitum, eumque velociſſimum. Non permittas, vt vel momento ſubſiſtat in oculis, auribus, naribus, linguâ, in phantaſiâ, in memoriâ, in intellectu, in voluntate. Vidiſti ſpeciem mulieris elegantis & ſcitæ? non hæreat in pupula eius imago, multo minus in animo. Audiſti turpe verbum? non moretur in auribus multo minus in mente. Legiſti caſu, aut per inaduertentẽ, laſciuum carmen? nulla ſit eius vnquam recordatio.

MEMBRVM VI.

TERRICVLAMENTVM INANE

A Motibus Primo-primis Concupiſcentiæ, velut à nauiculis incendiarijs.

CAVENDVM eſt Claſſiarijs ſpiritualibus, ne terreantur facile machinamentis Diabolicis, & deſpondeant ſubitò animum: nec ad primam aduerſarij irruptionem fugam arripiant. Non omnes *Naues*, licet incendiariæ, nocent, ſi reſiſtatur, aut detur tranſitus. Fecimus in antecedentibus mentionem de claſſe illa Hiſpanica, quam miſit Rex Philippus II. ad inuadendam Angliam, Anno M. D. LXXXVIII. Ea peruenerat VI. menſis Auguſti Deneriam vſque, & anchoras iecerat in conſpectu Caleti, cùm Admiraldus Hauvvardus Reginæ Anglorum litteris monitus, Claſſem Hiſpanicam omni ſtatione fugandam cenſuit. Eapropter ſtatim octo naues è vilioribus ſuis, ſublatis rebus omnibus alicuius precij puluere nitrato, pice, omnique materia igni apta, ſimulque ferramentis & ſaxis inſtruens, ſeptimo Auguſti, poſt medium noctis, vento & æſtu ſecundis dimiſit. Eæ cùm aliquantum prouectæ eſſent, deſertæ ab his, qui eas gubernabant, & incenſæ rectè in Hiſpanicam claſſem ferebantur. Quare incendia ac tonitrua arte facta de nocte tantum Hiſpanis terrorem trepidationemque incuſſerunt, vt amputatis ſtatim anchorarum rudentibus, erectisque velis in apertum Oceanum ſatis confuſè

ſe

ſe receperint. In qua trepidatione, ingens *Triremu Prætoria*, vulgo, *Galeaſſa Capitanea* alterius cuiuſdam *Nauis* rudentibus implicita adeò fuit, vt clauo eius laxato, & amiſſo, in vadum, iuxta Caletum illata, poſt aliquot horarum pugnam in Anglorum venerit poteſtatem; Præfecto galeaſſæ ſclopi globo in capite percuſſo, multiſque ſimul cæſis, aut ſubmerſis. Tantum valet trepidatio, indeque orta confuſio.

EST quoddam ſecretum Theologicum, quod vos latere non conuenit, ne nimium terriculamentis quibuſdam Diabolicis conturbemini. Solet aſtutus malignuſque aduerſarius in procelloſo cogitationum fluctuantium pelago, dum cum illo certatur, expedire *Naues* quaſdam *incendiarias*, leuiſſima materiâ plenas, eaſque in claſſem benè diſpoſitam immittere. Ita voco *Concupiſcentiæ motus* quoſdam *indeliberatos*; *primo-primos* indigitant Scholaſtici; quos concipe *Primariæ* illi, tanquam *Prætoriæ* vt ſcaphas adhærere. His turbare Satan animum, & virtutum cymbas comburere quotidie conatur. Et excitant ſanè ſonitus quoſdam velut tonitrua, ac crepitare videntur, vt in incendijs fieri ſolet, ſed inania in ijs ſunt omnia. Si metum incutiant, vt propterea virtutum *Claſſis* diſſoluatur, & in fugam ſe det, victoria eſt penes Cacodæmonem. Si non æſtimentur, ſed repellantur, & interim ſeriò cum aduerſarijs dimicetur, ad glorioſam victoriam iuuant non parum.

CLARIVS id dicunt Theologi: Concupiſcentiam, & *primos* eius *motus*, qui in noſtra non ſunt poteſtate, quia aduertentiam, conſiderationem humanam, ac deliberationem præueniunt: nimirum, primas illas apprehenſiones, quæ nobis inuitis etiam accidunt, de obiecto aliquo turpi, ac vetito: imaginationes ſubitas in materiâ intemperantiæ, laſciuiæ, blaſphemiæ, immò, odij DEI: primas illas titillationes ſenſualitatis, quibus nullo modo conſentimus, immò, quibus deinde voluntate deliberatâ reſiſtimus, non eſſe peccata, nec nobis imputari ad peccatum, vt imperitè, ſed ad conſcientiarum carnificinam intolerabilem accommodatè, contendit Caluinus, & eius aſſeclæ. Nam vt fusè docet S. Augustinus, contra Iulianum diſputans: *Concupiſcentia* eſt in nobis perpetua materia luctæ, virtutis, & victoriæ: non peccatum propriè, ac formaliter, vt in Scholis loquimur, niſi ei ſuccumbat, & conſentiat libera voluntas. Sentire motus concupiſcentiæ non eſt peccatum, ſed ijs liberè conſentire peccatum eſt, inquit verè S. Bernardus omneſque Theologi Orthodoxi. Itaque non eſt, quod propter iſtiuſmodi, ſiue apprehenſionum, & imaginationum, ſiue titillationum inuoluntariarum incurſionem, tanquam *Nauicularum incendiariarum* immiſſionem ab aduerſario factam, à virtutum ſtatione diſcedamus, aut *Virtutum* benè concatenatam gratiæ vinculo *Claſſem* diſſoluamus: multo minus, vt tanquam væcordes, ac trepidi in turpem nos fugam conijciamus.

(a) *Lib. v. contra Iulianum cap 4.* (b) *Lib. v. contra Iulian. cap. 4.*

COM-

COMMENTATIO VI.

HARPAGONVM VSVS *In pugna nauali.*

MEMBRVM I.

HARPAGONES. MANVS FERREÆ. CORVI.

SI victoriam naualem conſequi veliſ, contra hoſtem tuum *Claſſe* pugnantem, caue ab aſtu, quo in maritimis expeditionibus verſari vtuntur. Ferunt illi ſecum inſtrumenta quædam attractiua, *Harpagones* vocant. *Harpago* autem eſt pertica ferro adunco præpilata, qua naualibus prælijs naues aduerſariæ apprehenduntur, & abducuntur ad *Claſſem* inimicam, vt tanquam in continenti cogantur dimicare. Harpagones etiam ſunt manus ferreæ, quæ idem præſtare ſolent. C. Duillius, vt Frontinus refert, (a) cùm videret graues ſuas naues mobilitate Punicæ claſſis eludi, irritamque virtutem militum fieri, excogitauit *Manus ferreas*, quæ vbi hoſtilem apprehenderant *Nauem*, ſuperiniecto ponte, tranſgrediebatur Romanus, & in ipſorum ratibus cominus eos trucidabat. Romanorum quoque inuentum ſunt *Corui*, qui in naues inimicas ad ſiſtendas, & propius adducendas, coniungendasque conijciuntur. (b) Bello Punico primo, cùm Romani *Claſſem* primùm extruxiſſent, erant Carthaginenſes in magna ſpe victoriæ, quando cum eo hoſte res futura eſſet, qui nullam rei naualis calleret peritiam. Vt autem *Claſſes* inter ſe propinquare cœperunt, *Corui* in Romanorum nauium proris conſpecti, hoſtes nouitate rei perculſos, curſu inhibuêre: mox quacunque ea res eſſet contempta, facto impetu pugnam capeſſunt. Romani machinarum iactu confeſtim, quæ primo loco congreſſæ fuerant, tenaciter innectunt, innexasque magno animo pontibus irrumpunt.

CORVI erant, velut pontes quidam, ſex vlnarum in gradus ſua longitudine digeſti, ligneæque columnæ, quæ circa nauium proras ſtabant, ſummoque loco impoſiti, libramentis quibuſdam remiſſi, præcipiti totæ volubilitate in aduerſam nauim cadentes, quacunque parte incidiſſent, tenaci nexu alligatam, quaſi per gradus euntibus peruiam faciebant. Sic cæſi ſunt Pœnorum plerique ferociſſimo Romanorum incurſu: ſed plures ſubito ſtupore depreſſi ſeſe turpiter dediderunt. Fuit id certamen terreſtri multo, quàm nauali ſimilius. Triginta Carthaginenſium naues, quæ principio prælium iniuerunt ad vnam in poteſtatem hoſtium venêre: & in his prætoria ſeptiremis, quæ Pyrrhi Regis fuiſſe ferebatur.

(a) *Lib. 2. cap. 3.* (b) *Sabell. lib. 9. Enneade 4.*

MEMBRVM II.

INSTRVMENTA NAVALIA LVCIFERI

Quibus vtitur in conflictu marino, tanquam Harpagonibus, Coruis, Manibus ferreis.

VT omnem commoditatem euadendi, ſubducendi, aliò te conuertendi, & ad portum ſalutis remigandi eripiat tibi Diabolus in hoc *Mari magno*, atque tuam inuadens *Claſſem*; illam ſuæ arctiſſimè copulet, *Harpagones* inijcit cunctis tuis nauigijs: nempe, corpori & animæ, ac vtriuſque viribus, ſeu membris, & potentijs. Vt *Harpagones* concipio illecebras oculorum, aurium, narium, linguæ, manuum: lenocinia carnis; ſenſualitatis oblectamenta; animi ad terrena anhelantis ſuauitudinem; intellectus vana meditantis dulce pabulum. Quæ omnia, & ſexcenta ijs adnexa vno *Voluptatis* ambitu continentur. *Voluptas* eſt, tanquam *Pertica*, adunco ferro præpilata: eſt, veluti *Manus ferrea* ad rapiendum idonea: eſt inſtar Pontis ad tranſitum in tuam, *Claſſem* infernali Archithalaſſo faciendum accommodati, facit, quod *Corui*, & *Nauem* tuam tenaci nexu detinet, vt in eam inſiliat. Voluptatem itaque ſenſibus corporis & animi facultatibus inijcit, vt ad ſe rapiat, ſibique coniungat arctiſſimè. Haud diſſimili ſchemate S. Baſilius Voluptatem concipiebat, tanquam Hamum. Voluptas, ait alicubi (a) *eſt veluti quidam* HAMVS *Diaboli ad perniciem trahens.* Voluptas *mater eſt peccati: peccatum autem ſtimulus mortis.* Voluptas *nutrix eſt æterni vermis: quæ ad tempus quidem mulcet fruentem, at poſtea felle amariores retributiones facit.*

NON malè etiam dixeris *Harpagones* Diaboli, eſſe illius *Pollicitationes falſas*, quibus multos ad ſe allicit, ad parteſque ſuas traducit. Veni, ſequere, haud dubites, benè tibi cedet: ditabo te nummis, augebo honoribus, modò fidem, DEVMque abneges, & mihi ſeruias. Hoc modo pellexit aliquando Adoleſcentes, promittendo tal'aciter nunc ingenium, nunc memoriam, nunc facilem ſcientiarum adquiſitionem. Multo plures attraxit addicendo delectationes carnis, voluptates corporis, dilectam amaſiam. Quibus deinde, vt ſolet, nequiter impoſuit, donec tandem ad flammas adduceret, & redigeret in cineres de Magiæ Diabolicæ crimine conuictos.

SVNT etiam *Harpagones* Cacodæmonis *Virtutes fucatæ*, ſed vera vitia, quibus duas *Naues* ita nectit, vt non ſit facile vnam ab alterâ diſcerni. Exempli gratia. Eſt quiſpiam deditus pietati: ſuggerit ſuperſtitionem; afficitur quis ad liberalitatem: conatur eum facere prodigum: delectat aliquem fortitudo: ſuadet temeritatem; eſt quis naturâ cautus: ingerit ſuſpitiones, vt faciat timidum. Quare ſummoperè cauendum, ne hiſce *Harpagonibus* attrahamur, & nauigijs *Claſsis* contrariæ copulemur. Prouidendum etiam ſolerter, ne vnquam vllo alio aſtu, aut inſtrumentis implicemur: id enim ſemper eſt periculoſiſſimum. Quod, vt magis vobis imprimatur, referam id, quod contigit in *Naumachia*, quæ fuit Alexandro M. cum

(a) *Hom. XIII ad hortator. ad Baptiſ.*

cum Tyrijs, vt ſcribit Q. Curtius lib. IV. cap. 14.

CONTIGIT, vt vna pars nauium Alexandri magno diſcrimine laboraret, Rex claſſem littori, à quo fremitus acciderat, admouit, expeditisque triremibus ſuis ſuppetias iuit circumuentis. Prima reliquis celerior magnum diſcrimẽ adijt, quod in eã cæteras præcurrentẽ duæ Tyriæ incurrerint: in quarum alteram vertit ſe Macedonica, roſtro Tyriæ nauis percuſſa, quæ ſimul Tyriam implicuit, vt hæreret. En ſtratagema. Cùm prora roſtrata *Tyria Nauu* icta eſſet Macedonica, hæc implicuit Tyriam; ſeu *Vncis* ſeu *manibus* ferreis, ſeu ipſis *remis*. Interim altera Tyria in alterum Macedonicæ latus toto remigio inuehebatur; quam eodem temporis puncto alia Macedonica interceptam roſtro icit, vt excuteretur nauarchus. Mox tota *Claſsis* Alexandri Tyrias naues ita circumuenit, vt ægerrimè fugam inire poſſent, multæque deprimerentur, aut caperentur. Geminum planè eſt, quod ſcribit Liuius (*a*) de *Naui Rhodia*; quæ cum roſtro percuſſiſſet Sidoniam, anchora ictu ipſo excuſſa à naue ſuâ, vnco dente, velut *Manu ferrea* iniectâ, alligauit alterius proram. Inde tumultu iniecto, cum diuellere ſe ab hoſte cupientes inhiberent Rhodij, tractum anchorale, & implicitum remis latus alterum deterſit, debilitata ea ipſa, quæ icta cohæſerat. (*b*) Idem caſus Dinocratem apud Polybium implicuit cum octere Democratis quem eodem euentu Dionyſiodorus hærentem liberauit. Dinocrates, inquit Polybius cum octere congreſſus, ipſe quidẽ vulnus accepit ea parte nàuis, quæ extra aquam extabat, quod proram vehementer crexerat: hoſtilem autem nauem læſit, qua parte infra aquam eſt: primum quidem è naui hoſtili ſeparari non poterat, quantumuis ſæpe conatus eſſet remos inhibere. Itaque inijciuntur manus ferreæ, aut vnci, vt ſic detineantur naues, quarũ curſum impediri expedit, vt facilius inuadantur. Apud Iuriſperitos celebris eſt titulus, de *Iure ſiſtendi, & manuum iniectione*, quam vulgo *Arreſtationem vocant*.

HAC ſuo modo vtitur Cacodæmon in detinenda (*c*) *Virtutis Claſſe*, dum plenis velis in vitiorũ inuehi tentat, *Manus* illius *ferrea* ac *vnci*, præter ſuperius dicta, ſunt *Terriculamenta*, quæ animo inijcit, ne in bono progrediamur, & viriliter contra animatum hoſtes pugnemus. Oriuntur autẽ plerumque, ex Puſillanimitate, quæ eſt Acediæ filia, qua multorum impeditur in virtutum ſtudio progreſſus. Multi ſiquidem, vt egregiè diſſerit S. Gregorius, (*d*) per *Puſillanimitatẽm* miſerijs non ſubſiſtũt: animo enim cadunt tentationis tẽpore, & interdum initio conuerſionis ad DEVM, dum minus ſe poſſe putãt, quàm reuera cum DEI gratia poſſunt. Hinc ſubtriſtes illæ, ac moleſtiſſimæ cogitationes. Putas-ne te perſeueraturum? poteris-ne vitam tot incommodis obnoxiam ducere? longiſſima ſunt vitæ ſpacia, quibus iſthæc perpetienda. Quomodo puram, caſtam, immaculatam tot annis animã conſeruabis? Quid ſi hoc eueniat? quid ſi illud accidat? quid ſi cælum ruat? O puſillanimis! perge porro, vt occepiſti: *Nauem* tuam promoue, quid conſiſtis? times, vbi non eſt timendum: trepidas ad ſonitum folij: vmbram tuam fugis. *Puſillanimitatis*

(a) *Lib. XXVII.* (b) *Dinocratis nauis implicita.* (c) *De hoc titulo fusè Petrus Peck. l. c.* (d) *lib. 1. Moral. c. 31.*

ſtratagematibus, quibus periti Duces hoſtes ſuperant, & inſignes referunt victorias. Hebraicum vocabulum (a) *ſignificat, vel deſignat malum nauis funes, rudentes, ſiquè alluſio ad gubernatorem nauis. Sicut enim peritus nauclerus appoſitè ad ventos extendens funes, & vela, ac mouens gubernaculum, dirigit* Nauim *ad deſtinatum portum; ita Gubernator exercitus appoſitè diſponens regenſque Milites ſuis conſilijs, artibus, & ſtratagematibus dirigit exercitum ad victoriam. Legendi*, Salazarius & Cornelius.

Grauiter Leo Imper. in Tacticis, ſiue de Re militari, quam contra Saracenos inſtituenda conſcripſit cap. 1. num. 3. Ars imperatoria eſt, in quibus exercitatio, vel ſtudium, aut induſtria ponitur circa *ϛρατηγημάτων, id eſt*, conſiliorum Imperatoriorum, & trophæorum collectione. *Plura eius generis habet cap. 3. cap. 20. & alibi nonnulla etiam* Vegetius *l. 3. cap. 9.*

§. II. PRÆTORIA *inuadenda.*] *Huius ſtratagematis exempla ſunt multa & varia quæ diligenter collegit* Laurentius Beyerlinck *in Theatro. Ver.* Claſſem diſijcere.

§. III. CLASSEM comburere.] *Farraginem exemplorum habet Theatrum. Ver.* Claſſis. §. Claſſes combuſtæ, laceratæ. & §. Claſſem diſijcere: naues inutiles reddere.

§. IV. HARPAGO.] *Inſtrumentum ferreum in fine aduncum, quo naualibus prælijs naues apprehenduntur, vt tanquam in continenti cogantur dimicare claſſici. dicitur à verbo Græco ἁρπάζω, quod eſt apprehendo, corripio, rapio. Eſt etiam inſtrumentum, quo, quæ in puteum vel fluuium incidunt, extrahuntur. Cuius inuentor Anacharſis Philoſophus. Eſt item inſtrumentum ferreum, quod ab aliquibus* Canis *vocatur, quo vaſa vinaria conſtringuntur, vt commodius inducantur circuli Liuius, lib. 10. Aſſeres ferreo vnco præfixi (harpagonas vocant milites) ex Punicis nauibus inijci in Romanas cœpti. Verbum denique eſt Harpago; ſignificat rapio, & tanquam harpagone ſubtraho. Plaut. Aulular.*

Hei miſero mihi: aurum mihi intus harpagatum eſt.

Id Bacch. *Improbus cum improbis ſit:*
harpaget, furibus furetur quod queat.

§. V. MYSTICA *de* Mari, Naui, Claſſe, Nauigatione *& ſimilibus explicat* Sanctus *in Claui Theologiæ Myſticæ, ſeu Elucidario, itemque Onomaſtico.*

§. VI. CLASSES *& Pugnæ nauales, Chriſtianorum contra Turcam, Hiſpanorum contra Anglos, & viciſſim horum contra illos, ac ſimiles quarum in varijs Commentationibus mentionem fecimus, deſcribuntur accuratè, & eleganter ab Hiſtoricis Societatis* IESV. *Legendi*, Maffeus, Iarricius, Orlandinus, Sacchinus, Bencius, Famianus Strada *de Bello Belgico, tum Decade I. vbi de rebus Ioannis Auſtriaci, tum Decade II. vbi de Præfectura & geſtis Alexandri Farneſij, Parmæ & Placentiæ Ducis; qui, quid in obſidione Antuerpiana attentauerit, quid paſſus ſit, qua arte vtrimque & naualibus ſtratagematibus, Hiſpani, Itali, Belgæ certauerint exquiſitè narratur libro VI. Conſulendus Index vtriuſque Decadis, in quo plurima notantur, quæ ad* Militiam naualem *ſpectant.*

§. VII. MISSIO Societatis IESV Naualis.] *Inſpiciatur Imago primi Seculi Societatis, & legatur liber VI. vbi eſt integra diſſertatio de* Miſſione Nauali. *Ex qua habetur*, Primò. *Societatem à ſui initio claſſes comitatam fuiſſe, vt oſtenditur ex Hiſtor. Soc. Par. 1. lib. 10. & 11. par. 2. lib. 4.* Secundò. *Quæ fuerit cauſſa & Origo Miſſionis Naualis.* Tertiò. *Quibus ſit ardua hæc Miſſio.* Quartò. *Quam auidè expetatur à multis Socijs.* Quintò. *Quis ſit fructus Miſſionis Naualis. 1. In tempeſtatibus & nau-*

(a) חבל *Chibbel.*

naufragijs, quæ ibi deſcribuntur egregiè. 2. In prælijs, quæ ibidem oculis penè ſubijciuntur. Sextò. *Quid terra proſit nautis Miſſio nauali s. Quorum pleraque emblemate & carmine vario exhibentur. Horum tituli ſunt. I. Miſſionis Naualis vtilitas.* Iactemur, modò proſimus. *II. Miſſio Naualis lucra.* Emerget diues ab vndis. *IV. Patres Nauales inſtante pugna, aut tempeſtate animos vectorum expiant.* Inſtante periclo. *V. Patres Nauales lacrymis penitentiæ vectorum animas ad portum ſalutis promouent.*

NAVIGATIO PERICVLOSA.

Nulla fides pelago. Pelagus diſcrimina mille,
Mille vias lethi, quà ſpatiatur, habet.
Sunt vada, ſunt Syrtes, ſunt Acroceraunia Ponto;
Multa rati Boreas, multa minantur aquæ.
Nec fauor aſtrorum ſtabilis. Polus ipſe timendus.
Et cum fulminibus qui ruit axe fragor.
Sæpe mouet Prædo collatis prælia roſtris.
Et ponti victrix Claſſis ab hoſte timet.
Vt nihil accedat, ſenio rimiſque fatiſcens
Ipſe necaturas alueus haurit aquas.
Qui regit, à ſcopulis, & ab hoſte retorquet euntem:
Quaque poteſt, grauidam fluctibus arte leuat:
Scilicet, vt citius mare libera tranſeat vndis:
Quaſque mouet Prædo, vitet & aura minas.
AT quantò melius, quàm fluctus crimina PATRES
Tollitis? Hæc peius quolibet hoſte nocent.
Nec tantum pelagus quantum premit ira Tonantis,
Eſt omni grauius pondere CRIMEN onus.
Siſtuntur Danai, tarda ſtant Aulide puppes:
Cauſſa latet? Phœbe Iudice læſa Dea eſt.
Claſſe domum repetens Aiax, mare vincit & hoſtē,
Sed tamen offenſa Palladis igne cadit.
Ergo age qui tumido dubiam regis æquore puppim
Diſcrimen ſi vis tollere, tolle nefas.

NAVIS-VITA. PORTVS-COELVM.

VITA quid eſt aliud, niſi NAVIS concita vento?
Et ſpeciem fallax Æquoris Orbis habet.
PORTVS, qui petitur COELVM eſt: ſuus æthere ſplendor
Emicat, incerta Sidera certa Mari.
Eſt facilis curſus? venti ſed euntibus obſtant;
Quaque iubet, miſeræ non licet ire rati.
Vna ſalus ſupereſt, ſparguntur lintea fluctu,
Inuito curret tuta carina ſalo.
Ille tuus labor eſt, IESV Pugil: elicis vndas,
Inque ſinum lacrymas ire per ora iubes.
Nec mora ventus adeſt, & felix Numinis aura
Prouehit in PORTVM vela ratemque SVVM.

LIBER VII.

MILITIA CHRISTIANA OBSIDIONALIS.

ARS

Et Obſidendi. Et Obſidium tollendi

ECCLESIÆ MILITANTIS.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique. Lucæ XIX. 43.

COMMENTATIO I.

ARS OBSIDENDI

Et liberandi vrbem ab obſidione, multa complectitur, eſtque magnifacienda à Ducibus, & viris Militiæ addictis.

MEMBRVM I.

OBSIDIO DVPLEX.

Propria & Metaphorica: Externa & Interna. Corporalis & Spiritualis. Vrbis & Hominis.

IN Diſciplinâ Militari Titulus ille, qui eſt de Obſidēdâ vrbe, vel Arce; de obſidione præcauendâ, &, ſi præcaueri non poteſt, de fortiter tolerandâ; &, de obſidentibus repellendis; ac obſidio ſoluendo, eſt iucundus & vtilis, hoc maximè tempore, quo de tot vrbibus in Imperio obſeſſis audiuimus; & ne illi, quam inhabitamus, contingat breui, quod alijs, fortaſſe non ſine cauſſâ metuimus. Verùm maius eſt periculum ab obſidione ſpirituali Hominis, quæ fit ab hoſtibus animæ, ad eum ferè modum, quo ciuitas obſidio cingi ſolet. Quam idcirca materiam aliquot commentationibus, canicularium hiſce calorum diebus, quibus conueniunt horis pomeridianis *Sodales* Virginis DEIPARÆ *Academici*, illuſtrandam delegi. Quod non poterit non eſſe gratum Auditoribus, ex humanis ad Diuina

uina ingenio adſurgere conſuetis, & ſecuritatem ſuam contra Poteſtates Tartareas ſedulò procurantibus. SI quis eſſet hoc tempore in Imperio vir bonæ fidei, diſciplinæ militaris gnarus in paucis, & in poliorceticis potiſſimùm exercitatus, qui profiteretur Artem liberandi vrbem quamcumque ab obſidione, an-non ad illum vel mitterentur legati plurimi à ciuitatibus obſidionem timentibus? vel magnis etiam impenſis, ac donatijs accerſeretur à Republicâ in arcto conſtitutâ? Vel ſi ſponte aduenìſſet ad vrbem, òbſidionis expectatione conſternatam, & aut in foro coram numeroſiſſimâ multitudine aut in curiâ coram Senatu ampliſſimo diſſereret, nonne exciperentur eius dicta auidiſſimè, & notarentur præcepta ſingillatim, & poſt dictionem ſingula executioni quàm primum mandarentur ſolicitè? Talem ego *Artem* vos docebo: perpendite vobiſcum tacitè, quàm mihi debeatis attentionem, ac beneuolentiam, & quod-nam velitis dare, poſtquam edocti fueritis, minerual. Priora illa meo iure poſtulo perquam ſeriò: at mercedem pro inſtitutione aliam non peto, quàm, vt quæ tradentur, diligentiſſimè quamprimum in opus conferantur. Nam hic, ſi vllibi, eſt periculum in mora.

PORRO, vt non ſomnietis tractatum de Obſidione profanum, quod eſſet alienum à meo inſtituto, & contra loci huius ſanctimoniam, agam de *Obſidione* quadam *intellectuali* Vrbis animatæ, ac rationalis, cum analogiâ ad obſidionem vulgarem vrbium materialium. Dum enim docebo, quo pacto vrbs aliqua ab obſidione liberari poſſit, aut quomodo incolæ, vel ciues, ante obſidionem, & in illâ ſe habere debeant; ſimul declarabo, quomodo Animam quilibet ſuam ab obſidione inimicorum capitalium, Cacodæmonis, Mundi, Carnis, ac Peccati conſeruare, & quanam ratione, dum obſidio durat, hoſti occurrere valeat. Repeto: quod dicere cœperam, ſed theſi ad hypotheſin redactâ: ſi quis profiteretur confidenter, ſe COLONIAM Agrippinam, Eccleſiæ Romanæ dilectam, præ reliquis Imperij Vrbibus, quia fidelem filiam Coloniam Orthodoxam, Almam Coloniam, Rerumpublicarum hoc tempore Gemmam, & decus Ciuitatum Germanicarum, liberaturum, ſi modò dictis pareret ſuis, ab Obſidione tali, qualis fuit Ieroſolymitana, quam legi audiſtis ex Euangelio, idque ſponderet minimè vanus, quam ille à Colonienſibus gratiam mereretur. Nec opus hic aliâ apodoſi, cùm vobis ego liberationem ab Obſidione magis arcta duraque adpromittam

MEMBRVM II.

DELINEATIO HOMINIS

Inſtar Vrbis obſidendæ & Obſeſſæ.

CONCIPIENDVS eſt Homo quilibet, vt *Vrbs*, aut *Ciuitas*, omnibus ſuis conſtans partibus: vel potiùs, vt duplex, vna concluſa muro. Interior eſt *Anima*, exterior eſt *Corpus*: niſi hoc velis vocare *Suburbium*. Ædes ciuitatis interioris ſunt

Poten-

Potentia, exterioris, *Membra*. Curia in illa eſt *Mens*; in iſtâ, *Caput*: vtrobique cõuenire ſolet Senatus. Plateæ, per quas commeatur, in Anima eſt *Intellectio & Volitio*; in Corpore, *Senſio & Appetitio*. Forum in Anima eſt *Memoria*, in Corpore, *Cerebrum*. Vallum in Animâ, ſunt *Virtutes* intellectiuæ: in Corpore, *Caro*. Murum in illa componunt *Virtutes Voluntatis*: in iſto, eſt *Cutis*. Turres in Anima ſunt *Virtutes Contemplatiuæ*: in Corpore, *Humeri*. Armamentarium in Anima, *Intellectus*: in Corpore, *Cor*. Dictator duplicis huius vrbis eſt *Ratio*: cuius Coniunx, *Voluntas*. Conſules, quibus concredita Reſpublica, ſunt, *Conſcientia & Synderesis*. His deſeruiunt, tanquam Apparitores, Satellites, Accenſi, Actuarij, Archigrammate, Fabricences, Tabellarij, Miniſtri Iuſtitiæ, Carnifices etiam, deſignatæ *Vires* tum *Animæ*, tum *Corporis*.

Hanc eſſe imaginem Hominis Symbolicam, docemur ex Diuinis litteris, in quibus nunc Anima, nunc Corpus, nunc Homo totus, Caſtello, Ciuitati, Propugnaculo, Domui, inſtar Arcis munitæ, & nominatim Vrbi Ieroſolymitanæ, ſenſu non vno comparatur. Hanc autem Vrbem arctiſſimâ obſidione premere, & in ſuam redigere poteſtatem, extremo conatu nititur Cacodæmon, adſcitis omnis generis Sociorum auxiliaribus copijs.

Membrum III.

Obsidio Bipartita

Breuis aut Subita. Longa, aut Diuturna.

Ita Obſidionem vrbium omnem militaris rei Scriptores diſtingunt. *Diuturna* vocari ſolet, cùm extenditur in ſeptimanas, menſes, vel annos, & operibus clauditur, & circumuallatur Ciuitas. Qualis fuit annis ſuperioribus, Traiectenſis, Bredana, Syluæducenſis; & ante biennium, quadantenus Magdeburgenſis, atque haud ita pridem Ratisponenſis, (a) quâ ſuperioribus diebus vrbem occupatam audiuimus, ductu Ferdinandi III. Hungarorum & Bohemorum Regis, auſpicijs Ferdinandi II. Imperatoris, & fortitudine militari exercitus Cæſarei contra hoſtes ſcripti. Talem Obſidionem minitabatur Chriſtus D. Luc. XIX. *Venient dies in te, ô Ieruſalem! & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique.* Altera obſidionis ſpecies dicitur *Subita*, cùm ſubitò vrbi circumfunditur totus exercitus, vt primo impetu capiatur, vel hoſtis terreatur, vel diſtineatur. Ita ferè duo fulmina belli noſtri temporis, *Tillius*, & *Papenheimius* ciuitates capiebant, ne mora detinerentur nimium. Et fecit *Ambroſius Spinola*, cùm Weſaliam nobis vicinam occuparet vltimò: quam aſtu deinde hoſtes æquè ſubitò recuperarunt. Ita quoque in Imperio graſſatus eſt præcedentibus annis aliquot Rex Gothus, & plurimas ciuitates in poteſtatem ſuam redegit.

(a) *Anno* 1634.

MODVM veterum verſu expreſſit Silius:

Mænia flexa ſinu ſpiſſa vallata coronâ
Alligat, & telis in morem indaginis ambit.

Et *Corona* ſæpe duplex, ſæpe triplex erat. Ioſephus de bello Iudaico Iotapatam triplici acie circumdatam fuiſſe narrat: duplici peditum, ac tertia equitum. Sic quoque Ammianus triplici armatorum *Corona* muros ait circumdatos. Cæſaris autem in ſecundo de bello Gallico hæc eſt animaduerſio: *Gallorum atque Belgarum eadem eſt* oppugnatio. *Hi, vbi circumiectâ multitudine hominum, totis manibus vndique in murũ lapides iaci cœpti ſunt, muruſque defenſoribus nudatus, teſtudine factâ portis ſuccedũt.* Ex quibus, aliiſque eius generis, veterum narrationibus facile eſt colligere; in bellis aliud eſſe, vrbem opere, & munitionibus circũdari, ac capere; aliud *Coronâ*. Occurrit autem non tãtò in Hiſtoriâ Romanâ, apud Liuium & alios, vrbes primo impetu *Corona* fuiſſe captas.

* * *

MEMBRVM IV.

OBSIDIO CACODÆMONIS.

VTROQVE modo Diabolus *Hominem*, inimicam ſibi *Vrbem* infeſtat.

Aliquando repentè in conſpectum ſe dat, & *Coronâ* eam cingit. Nimirum, aduocat Aſmodæum, Luxuriæ præfectum, & laſciuientium copiarum Archiſtrategum: imperat vt nouam ipſe ſuſcipiat expeditionem, ductis aliquot in eam rem paratis cohortibus, ſub Beelzebubo, Leuiathano, Beelphegore, Beritho, Aſtaroto. Ille promptus ad nutum Luciferi, cum toto exercitu tentatorum, & tentationum penè innumerabilium, hominem cingit: ſtatimque in aliquod laſciuiæ peccatum præcipitat. Actum eſt, capta vrbs in prædam datur Tartareis cohortibus. Hoc contingit frequenter adoleſcentibus, ad quos deuincendos haud eſt opus magno molimine, aut longo temporis tractu. Conueniunt adoleſcentes aliquot, lepidi, faceti, bulliente ſanguine laſciui: fabulantur, nugantur, cantillant: vident, arrident, ardent, exæſtuant. quid multis? flagitium perpetrant. Sat dictum. Ciuitas hoſtibus deditur. Hinc mox pænitudo: & ſæpe æterna, poſt Gallicam ſcabiem, aut Sudorem Neapolitanum.

O Pater! ô Magiſter! perdidi, quod nunquam recuperare potero.

Vt vidi, vt periĩ, quis me malus abſtulit error?

Fruſtrà ploras, hæc præuidiſſe oportuiſſet ac præcauere. hoc tibi toties fuit prædictum, toties ingeminatum, toties inculcatum. noluiſti mihi credere. pæniteat te. nil moror. Diſce poſthac tuo malo ſapere, inconſiderate, immorigere, leuicule, quid nũc habes ex his de quibus erubeſcis.

INTERDVM *Obſidio diuturna* eſt neceſſaria, vt vrbem hanc animatam inuadat Satan. Nam ſi quis ſit, quales vos omnes eſſe ſpero, qui ſtatuerit firmiter, mori potius, quàm fædari, aut aliud quodlibet peccatum mortale cõmittere, illum, tan-

tanquam ciuitatem munitiſſimam, circumdant inimici vallo occaſionum diuerſarum videndi, alloquendi, conueniendi, oſculandi: item, legendi, cantandi, conuerſandi, ſemel, bis, ter, ſæpius: adiungunt foſſam longam, latamque opportunitatum peccandi clam, in quam facile adoleſcens, vel ipſe ſponte incurrit, vel ab hoſte protruditur: aut in quâ hoſtes commodè latitant, & diſcurrunt, vt ciuitati appropinquent. Coanguſtant deinde cogitationum moroſiſſimarum munimento, vt nullus reprehenſionis, admonitionis, aut comminationis nuncius admitti poſſit. Denique, tam diu ita vallatam retinet & vexant, donec omni commeatu cæleſtis pabuli abſumpto, ſe dedat. Quod contingit, quotieſcumque quiſpiam manus dat ad crimen aliquod lethale committendum; vbi tandem, in propatulo, in tenebris: in nauicula, in ſpecu, in popina, ludendo, graſſando, natando.

COMMENTATIO II.

OBSIDIO PRÆVIDENDA.

MEMBRVM I.

Quid faciendum expectanti Obſidionem.

ID facto docuit Ezechias Rex æquè Sanctus ac fortis: (a) qui quid fecerit, ſcribitur lib. IV. Regum cap. XVIII. & XIX. necnon lib. ſecundo Paralipom. cap. XXXII. hiſce verbis. Venit Sennacherib Rex Aſſyriorũ, & in greſſus Iudam, obſedit ciuitates munitas, volens eas capere. Quod cum vidiſſet Ezechias, veniſſe ſcilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ieruſalem: inito cum Principibus conſilio, viriſque fortiſſimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente ſententia, congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum, qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant Reges Aſſyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. Ædificauit etiam, agens induſtriè, omnem murum, qui fuerat diſſipatus: & extruxit turres deſuper: & forinſecus alterum murum. Inſtaurauitque Mello, in ciuitate Dauid: & fecit vniuerſi generis armaturam, & clypeos. Conſtituitque principes bellatorum in exercitu. Et conuocauit vniuerſos in platea portæ ciuitatis, ac loquutus eſt ad cor eorum, dicens. Viriliter agite, ac confortamini. Nolite timere, nec paueatis Regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ eſt cum eo: multo enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. Cum illo enim eſt brachium carneum: nobiſ-

Zz 2

(a) *Iſaiæ XXXVI. Eccleſiaſtici XLVIII.*

„, nobiſcum Dominus DEVS noſter, qui „, auxiliator eſt noſter, pugnatque pro no- „, bis. Confortatusque eſt populus huiuſ- „, cemodi verbis Ezechiæ Regis Iuda. Ex tota hac narratione ſumenda ſunt aliquæ, quibus adiungemus nonnulla, quæ ſi obſeruentur, non erit magnopere metuenda quantumuis arcta obſidio.

MEMBRVM II.

CONCORDIA

Ante, & in Obſidione neceſſaria.

SI obſidionem qualemcumque, tam veram quàm adumbratam; tam propriam, quàm metaphoricam; tam litteralem, quàm myſticam; tam corpoream, quàm ſpiritualem euitare, repellendo hoſtem; aut fortiter ſuſtinere, poſtquam muros cinxerit, Reſpublica voluerit, imprimis neceſſarium eſt, vt colatur ab omnibus *Concordia*, quâ res paruæ creſcunt, & ſine qua maximæ dilabuntur. Conſpirent oportet omnes, qui in vrbe ſunt, vt hoſti alacriter conſtanterque reſiſtant, nec à ſe vnquam diuellantur. Vetus eſt fabula. Paſcebantur vnà tres boues opimi in maxima concordia. Itaque facilè ab omni incurſu ac inuaſione ferarum tuti erant: ac ne leones quidem illos aggredi audebant. Tandem diſſidio inter illos nato, & diſſoluta amicitia, ſinguli validioribus beſtijs direptioni ac prædæ fuêre. Docemur fabulâ veritatem: in diſſenſione tantum ineſſe mali, quantum boni in concordia ad reſiſtendum hoſtibus reperitur. Eadum diſſoluitur, patentiſſima aperitur hoſti porta ad inuadendam ciuitatem.

NIHIL magis accidere poteſt vt hoſti commodum, ita vrbi obſeſſæ nociuum, quàm diſcordia in ciuitate. Si non conueniat Senatus cum ciuibus: ſi tribus inter ſe certent: ſi tribuum capita non conſentiant: ſi patricij cum plebe alant diſcordiam: ſi factiones inſtituantur, foueanturque inter Eccleſiaſticos ac Politicos. Si caput diſſentiat à membris: ſi membrorum non ſit vnio, ciuitas haud magno hoſtium conamine in poteſtatem venit. Ob quam cauſſam magnopere adlaborant hoſtes, vt inteſtinas concertationes excitent, aut promoueant. Quod ſi obtineant, non ambigunt fore ſe ſuperiores. Contrarium conandum obſeſſis. Deponenda ſunt odia, priuata diſſidia, publici boni intuitu, componenda; vel ſaltem diſſimulanda, aut ſuſpendenda, ſubditorum conatus magiſtratuum iudicio ſubijciendus, nimius aliquorum feruor, & acrimonia, conſilij maturitate temperandus, omnium voluntates mutua concordia copulandæ.

HÆc in Homine, *Ciuitate animata*, & ampliſſima, quam Cacodæmon Corona tum Spirituum Tartareorum, tum malorum Sociorum, tum tentationum cingit, & vallo occaſionum concludit, ita curari debent. Ad ſui defenſionem contra quodlibet peccatum conſpiret corpus cum anima; appetitus cum ratio-

ratione: pars inferior cum ſuperiore: ſenſus cum mente: manus cum linguâ: pedes cum corde: nunquam diſſentiat os à pectore, caro à ſpiritu. Hac *Concordia* erit inſuperabilis *Vrbs* illa *Rationalis*: nam hic eſt fructus eius etiam in ciuitate & Republicâ, quæ propriè ſic indigitatur. Scipio Africanus cum Numantinos ſæpe victores iam fregiſſet, obſeſſosque tandem expugnaſſet, Tyreſium Principem Celticum rogauit, quâ de cauſſa, Numantia, aut prius inuicta, aut poſt euerſa fuiſſet? reſpondit Tereſius: *Concordia victoriam: Diſcordia exitium peperit.* (a)

(a) *Briſſonius libro 2. capite 4.*

MEMBRVM III.

CONSILIVM

Ad amoliendam Obſidionem; aut fortiter ſuſtinendam, maturè capiendum.

CONCORDIA in Vrbe ſtabilitâ, ineundum eſt *Conſilium*, ac deliberandum ſeriò: quomodo hoſti reſiſtendum? quomodo excludendus? quomodo procul habendus? quomodo fugandus? Conſilium vt ad omnem rem bellicam, ita ad ciuitatem conſeruandam, eſt maximè neceſſarium. Animaduerſum eſſe ſcribit Tacitus, (a) plura conſilio, quam vi in Militiâ multos perfeciſſe. Et rectè Cæſar agens de bello ciuili, monet: (b) non minus eſſe Imperatoris, conſilio ſuperare, quàm gladio. Sed plurimum refert ſcire, à quibus ſit capiendum conſilium? & qui neutiquam ſint audiendi. Dico vniuersè, capiendum, tum à DEO, (c) tum ab eius Adminiſtris, hoc eſt, voluntatis diuinæ interpretibus ſinceris. Quales non ſunt, conſcientiæ cauteriatæ homines, ſalutis ſuæ decoctores, alienæ inſidiatores. Pſeudo-politici, Idoli nouelli, quod *Rationem-Status* vocant, adoratores, ideoque veri idololatræ, eo nocentiores, quo occultiores, & boni ſpecie deceptores. Qui rationes æternas non conſulunt: qui temporalia tantùm ſpectant: qui Religionem orthodoxam in poſtremis habent: qui præſentia ſolùm, nulla poſteritatis curâ, attendunt: qui ſuam tantùm ſaginam curant: qui obligationis, quâ per iuramentum, & Sacramentum, DEO, eiusque Sponſæ vnicæ, Eccleſiæ Catholicæ obſtricti ſunt, nullam cogitationem ſuſcipiunt: qui ſuis heris tantùm, quibus placere appetunt, blandiuntur, optimarum adulatores, palatiorum ſorices, curiarum tineæ, reipublicæ ſubuerſores. Cum talibus ne quidem conſultandum eſſet, multò minus ij ſoli in conſilium eſſent adhibendi.

CAPIENDVM igitur conſilium à viris bonis, probis, pijs, gnaris tamen rerum, de quibus agitur: non ab improbis & imperitis, nullâ experientiâ & vſu, nullâ lectione, nullâ cognitione inſtructis. Capiendum Conſilium à peritis Iuris, non Iuſtinianæi ſolùm, ſed & Dauidici, ac Paulini: à Politicis, ſed non minus in politiâ

(a) *Tacit. lib. 2. Annal.* (b) *Cæſ. l. 1. de bel. ciuil.* (c) *Conſiliarij mali.*

litiâ poli,quàm ſoli verſatis: à Legiſtis nō tantum in legum humanarum, ſed Diuinarum etiam ſcrutatione exercitatis: à Quæſitoribus conſcientiarum prudentibus Theologis. Neque à viuis tantùm, quorum ſæpe, ob frontis teneritudinem, minus eſt ſincerum iudicium;ſed à mortuis quoque, quorum decreta ſcriptis conſignata,ſine perſonarum intuitu, edicunt,quid facere oporteat, nec erubeſcūt. Optimum, vt Phocyon dicebat,conſilium eſt in libris, ac litteris mortuis. Sine ſpe,metuque dant:non blandiuntur,non oderunt, non fallunt, non inſidiantur. Capiendum conſilium,ab Iſaia,Ezechiele,Daniele, Petro,Paulo,Ioanne,qui ſi conſulantur,nullum relinquent dubium, de omnibus ijs, de quibus tantoperè diſquiritur,& ambigitur. Sed ijs neglectis, ſi aduocetur atheus quiſpiam,aut dubiæ fidei quadruplator, quid mirum ſi vacillent omnia? Denique,vt primò ſic vltimò capiendum conſilium per preces, per ſupplicationes, per Sacramentorum frequentationem, per vitæ emendationem ſeriam à DEO,qui æquè ſapiens eſt,ac potens. Illo conſulente ſecuri ſumus, eius ſi conſilio obſequamur. Quia *non eſt Sapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur in diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit*, Prouerbiorum XXI.

MEMBRVM IV.

SANCTI CONSVLENDI.

Adſciſcendi in Concilium bellicum aliquando Viri Sanctitate,aut pietate eximij.

DVM timetur *Obſidio*,maturè ineundum conſilium, exemplo Ezechiæ Regis oſtendimus (*a*). Excluſimus autem à concilio bellico, præter imperitos,homines cauteriatæ conſcientiæ,ambiguæ fidei,nullius religionis, ſectarum omnium,amphibia animalia; ancipites beſtias vocat (*b*) Cicero,quæ caro ne ſint an piſcis meritò dubitatur, cùm tam in terris,quàm in aquis viuant: vno verbo, Pſeudo-politicos Idoli ſui vel adulatores vel adoratores. Talis fuit *Achitophel*, omnium horarum homo, pſeudo-politiciſſimus; cuius conſilium, quod dabat in diebus ſuis,dicit Scriptura, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel,& quando erat cum Dauid, & quando cum Abſalone. Sed tandem ad laqueum confugit,cùm vidit cōſilium,quod dederat, ſperni. Vtinam laqueum eligerent potius aliqui, quàm Eccleſiam & Rempublicam deſtinata voluntate perditum irent. Talis *Vlpianus*, cuius tamen auctoritate perſonant omnia iudicum tribunalia, qui ſuaſor fuit perſequutionis in Chriſtianos: vt in hæreticorum terris multi in Catholicos. Talis *Mardonius* auctor belli Græcanici, qui ictus lapide interijt. Nimirum,malum conſilium ſæpe redundat in caput auctoris.

HIS, ſimilibusque excluſis, adſciuimus

(*a*) *Excludantur athei & impij.* (*b*) *Lib. 2. de nat. Deor.* (*c*) *Lib. 2. Reg 16.23.*

mus in concilium viros probos, omnium ordinum, Iuris-conſultos, legum-peritos, Politicos, Militaris diſciplinæ gnaros, Theologos etiam, quà ſpeculatricis, quà practices indagatores induſtrios, vtriusque iudices. Addimus nunc, conſulendos quoque *Pios*, DEO dilectos quamuis ſimplices, multo magis ſanctitatis opinione inclytos, & ob morum ſanctitatem, ſi qui tales reperiantur, celebres. Ita feciſſe Theodoſium Imperatorem contra Maximinum Tyrannum, quem terribilem expeditio bellica, & in ea ſucceſſus fecerat teſtatur, S. Auguſtinus. (*a*) De bello enim conſuluit *Ioannem* in eremo Ægyptiâ agentem, qui victoriã illi prædixit, & alteram maiorem contra Eugenium. Meminit Ioannis iſtius Martyrologium Romanum XXVII. Martij verbis iſtis. *In Ægypto* S. Ioannis Eremitæ, *magna ſanctitatis viri, qui inter cetra virtutũ inſignia, etiã prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio Imperatori victorias de Tyrannis, Maximo & Eugenio prædixit.* Eius conſilijs in arduis rebus vſum ſcribunt, Paulus Diaconus, (*b*) Ruffinus. (*c*) Theodoretus, (*d*) Sozomenus, (*e*) Euagrius, (*f*) Nicephorus, (*g*) Proſper Aquitanicus, (*h*) Palladius. (*i*)

NEC malè ceſſit MAXIMILIANO Electori Bauaro, in Bohemos, ante annos aliquot expeditionem ſuſcipienti, habuiſſe in comitatu ſuo Virum religioſiſſimum, & à Sanctitate commendatum. (*k*) F. DOMINICVM, gente Aragonium, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ſine cuius conſilio, nec Dux, nec Comes Buquoius fatalem rebellibus pugnam inchoaſſent, propè Pragam in monte candido. (*l*) Cùm enim inter Principes de hoſte aggrediendo diſceptaretur, à *Dominico* petitum conſilium, qui certam à DEO victoriam pollicitus, ſi hoſtes adgrederentur, Ioannis Capiſtrani exemplo, CHRISTI CRVCIFIXI effigiem ipſe in hoſtem intulit. Idem multo ante quadam in occaſione congrediendi conſilium pugnandi vaticinio mixtum dederat: *Inſidias cauete: hoſtes inuadite: veſtri erunt.* Alio tempore, nocte intempeſtâ, repentè Cæſarianos in armis eſſe iuſſerat: ipſe autem ad preces ſe receperat. Et tum quidem nemo hoſtium apparuit, ferè que aliquid de auctoritate conſulentis ſeu mandantis tanti fiebat in Militiâ bonus ille conſultor) decerptum eſſet. Sed poſt paucos dies exiſtimatio illius etiam cum fænore reddita eſt. Nam ex captiuis reſcitum fuit, graues ab Hungaris inſidias illâ ipſa nocte paratas fuiſſe, ſed neſcio qua diuina vi iterumque diſſipatas.

TANTI eſt, habere etiam in caſtris vel ciuitate hoſtibus circumſepta, vnum aliquem (*m*) DEO peculiariter carum, à quo conſilium fidele in rebus arctis accipiatur. Agnouerunt id aduerſarij, qui idcircò Virum illum à ſanctimonia illuſtrem atroci conuicio *Veneficum Bauari* appellabant, penè illud etiam vſurpantes:

Multa modis ſimulachra videt volitantia miris
Et varias audit voces, fruiturque Deorum.
Colloquiis, atque imis Acheronta affatur Auernis.

Hæc Mundi merces, & impiorum cenſura, qui etiam de ipſo *Ioanne*, Præcurſore Chri-

(a) *Aug. lib. v. de Ciuit. cap.* 16. (b) *In Commentario.* (c) *lib.* 2. *hiſt. cap.* 32. (d) *lib.* 5. *c.* 24. (e) *lib.* 7. *c.* 22. (f) *Vit. Petr. cap.* 1 (g) *lib.* 11. *c.* 29 (h) *in Chroni.* (i) *Hiſtoria Lauſiaca.* (k) *F. Dominicus Carmelita.* (l) *Florus Germanicus An.* 1620 8. *Nou.* (m) *Sanctus in caſtris ſalus exercitus.*

Christi, neque manducante, neque bibente, dixerunt: *Dæmonium habet.*

PORRO, vbi non ſunt fama ſanctitatis, præ alijs, eximij, valeat monitum magni Patris Auguſtini, lib. 1. de Sermone Domini in Monte: *Elige tibi conſiliarios bonos*, DEVM *timentes, & veritatem amantes. Sæpe enim adulatores blanda facie decipiunt animas audientium ſe, & perpetuu mentis laqueu innectunt. De talibus dicit Pſalmiſta*: Quoniam non eſt in ore eorum veritas: Cor eorum vanum eſt: Sepulchrum patens eſt guttur eorum. *Linguis ſuis doloſè agebant: iudica illos* DEVS. Sint tibi conſiliarij, Spirituales animarum Patres, Concionatores orthodoxi, Confeſſarij docti & prudentes, Religioſi regulari obſeruantiæ dediti, ſed non malè ſtupidi, ſimplices vt columbæ, ſimulque prudentes vt ſerpentes, prudentes in Chriſto.

* * *

MEMBRVM V.

PRINCIPES

In Conſilium adhibeantur.

CVM timeretur obſidio, & in ipſa haud dubiè *Obſidione*, inijt conſilium Rex Ezechias cum Principibus: nimirum, ciuitatis, cum Senatoribus, cum optimatibus, magnatibus, tribuum capitibus, cum ijs, penes quos ius dicendi ſententiam, cum Statibus regni, & Reipublicæ, non his neglectis, cum ſuis pediſſequis, famulis, adulatoribus; non cum quolibet ex infima plebe: quæ audienda quidem, ſed non ſequenda, niſi cum pluribus, melioribus, & capitibus ciuium conſentiat. Certè, ſi nihil decernendum, faciendumque eſſet, niſi id conueniret cum iudicio cuiuslibet plebeis, mechanici, aut opificis manuarij, quando tandem aliquid ſtatueretur prudenter, & expediretur concorditer?

IN *homine*, vt *Ciuitate* aut *Republica animata*, Principes & Optimates ſunt, *Ratio, Mens, Prudentia, Synderesis, Conſcientia, Lumen naturale*, & multo magis, *Fidei*: cum ijs conſultandum. Inſtar fæcis plebeiæ, in hac ciuitate ſunt, *Appetitus, Senſualitas, Indoles, Impetus naturæ.* Qui conſiliarij audiendi quidem ſunt quadamtenus, ſed Rationis habenis frenandi, illorumque iudicia per ſuperiorum decreta temperanda, ac dirigenda.

MEMBRVM VI.

FORTITVDO INVICTA

Sit conditio Conſiliarij bellici, ante, & in Obſidione.

INIIT conſilium Rex Ezechias cum Principibus, *Viriſque fortiſſimis*: nempe, firmis, conſtantibus, inuictis: qui non mouerentur, aut ſpe aut metu, multo minus

nus prece vel precio. Tales eſſe conuenit Conſiliarios bellicos, præſertim quando de Religione, de Eccleſia, de fide, de animarum ſalute, de negotio æternitatis agitur. Si quid petatur, quod ſalua religione, ſine DEI offenſa, abſque ſcandalo, ac animarum periculo concedi nequeat:

Ille velut pelagi Rupes immota reſiſtat.

Ita informabat DEVS Ieremiam cum illum mitteret, vt conſilio Rempublicam Iudaicam, & ciuitatem ab hoſtibus expetitam regeret. Attendite, quam in illo requireret, aut potius, quam illi daret fortitudinem. Ieremiæ 1. *Accinge lumbos tuos*: id eſt feſtina, accelera, progredere, vt Lucæ XII. *Sint lumbi veſtri præcincti*: eſtote ſemper in procinctu. Item, corroborate Ieremia forti eſto animo, ac inuicto, vt Iobi XL. *Accinge ſicut vir lumbos tuos. Surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum*: Hoc eſt, faciam, ne timeas: amoliar omne periculum, quod timere poſſes. Contra, ſi mihi non fidas, deſeram te; & permittam, tradamque te timori, inquit S. Hieronymus: immò, perdam te ob ignauiam, & ignominiam, qua me afficis, DEVM tuum, quod in fide à me tibi data hæſites. *Ego quippe dedi te hodie in* Ciuitatem munitam, *& in* Columnam ferream, *& in* Murum *æneum ſuper omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.*

HISCE pollicetur DEVS, inquit Theodoretus, (a) Ieremiæ, non pacem, nec quietem, ſed bella, ac certamina, in iisque conſtantiam quemadmodum Apoſtolis Chriſtus Ioannis XVI. Hinc tanta libertas ac fortitudo Ieremiæ contra Principes ac Reges, quam efficiebat maximè & conſeruabat illa promiſſio: *Quia ego tecum ſum.* Quid metuat, quid extimeſcat cum quo eſt DEVS. Si DEVS *pro nobis, quis contra nos!* Cantat ſecurus quilibet ea pollicitatione armatus, *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione* DEI *cæli commorabitur.* (b) Ita Mathathias bellica laude illuſtris, ſed multo magis in DEVM auxiliatorem fiducia & inde fortitudine, commemorans fortia Patrum, DEO Duce facta, hortabatur ſuos, vt reſiſterent Antiocho Regi, qui volebat traducere Iudæos ad Gentiliſmum (c) *Nunc ergo, ô filij!* inquiebat, *æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento Patrum. Quia omnes, qui ſperant in* DEVM *non infirmantur. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius vermis, & ſtercus eſt: hodie extollitur, & cras non inuenitur.*

ITA inter Chriſtianos Catholicos optimus Conſiliarius, AMBROSIVS Mediolanenſis Antiſtes, DEO nixus, & corroboratus, Valentiniano Imperatori, eiuſque matri Iuſtinæ, petentibus templum dari Arianis, fortiter reſtitit; cùmque Comites ac Tribuni vrgerent, illudque dicerent, Imperatorem vti iure ſuo, quod in poteſtate eius eſſent omnia, reſpondit Ambroſius ingenioſè ſimul & animoſè. *Si Imperator à me petat, quod meum eſt, fundum meum, argentum meum,*

(a) *Ieremias animatur à* DEO. (b) *Pſalmo* XC. (c) *Machab.* 2. 50. & 61.

non recuſabo: quamquam omnia, quæ mea ſunt pauperum ſunt. Verùm, quæ DEI *ſunt, Imperatoriæ Maieſtati non ſunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, inuadite: ſi corpus, occurrite. Vultis in vincula ducere? vultis in necem? ludus eſt. Non ego me vallabo ſtipatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans, ſed pro altaribus victimam me præbebo.* Inuaſit Ambroſium Calligonus: *Tu-ne*, inquiens, *me viuo, Valentinianum contemnes? Ego tibi caput abſcindam. Cui* Ambroſius. DEVS *permittat tibi vt impleas, quod minaris: Ego enim patiar, quod Epiſcopi, tu facies, quod ſpadones.* (a)

TALES poſcit Reſpublica, & Eccleſia Conſiliarios, cùm de illius incolumitate, & animarum ſalute agitur. Talis fuit poſterioribus temporibus, apud Regem Dagobertum ſupremus aulæ Magiſter ARNVLPHVS *Metenſis Epiſcopus*, (b) ſummæ prudentiæ, ſimulque fortitudinis: tantæ verò auctoritatis, vt illorum temporum felicitas, Rex ipſe & Regina ab illo penderent, ac conſilij cauſà, noctu quoque ad eum ventitarent. Fidem laborem que illius DEVS approbauit: nam Dagobertum remouere illum à Republicà cogitantem corripuit, & obtrectatores grauiſſimè puniuit.

TALIS fuit Theodoberti & Clotarij temporibus S. FARO, vir iuſtitia, ingenio, ſapientia incredibili, Regum inſtructor & Dictator, (c) *Meldenſis Epiſcopus*, qui annis LXVI. Eccleſiam gubernauit, regiam cor ſilijs rexit. Illius inter cetera hoc quoque narratur, quod præclariſſimum fuiſſe *Conſiliarium* oſtendit. Venerant ad Theodobertum Saxonum Legati, rebellionem excuſaturi. Rex ira præceps, iugulari eos iubebat. Conſiliarij valere ius gentium volebant non irritandam noua ſeueritate gentem. Rex contrà nitebatur, pronus in ſupplicium. Hæc mouebant: Legatos quoque eſſe ſubditos: illos eodem crimine inquinatos: rebellione eorum ius ſuum haud eſſe factum deterius, nec illorum melius. Itaque ſuſpenderentur. *Faro* cùm diſceptando, quaſi ventilando, videret Regis iram accendi, ſe quoque Regis ſententiæ accedere ſimulauit, vnius tantùm ſpacium noctis poſtulans, quod facilè impetrauit. Ita Regis impetus cùm obſiſteretur vires colligebat, obſtaculis remotis, vt ſolent venti, diſfluebat. Noctu ad Legatos *Faro* in carcerem abit. quo ſint in periculo docet: ad fidem Chriſtianam conuertit, erudit: precibus magis, quàm diſputatione victor perfidiæ. Altera die Regem docet quid ſit actum; iam Chriſtianos eſſe. Rex euentu lætus, morte captiuos liberat, & more Legatorum honeſtè haberi iubet; Gentem deinde etiam vicit.

TALIS ſub Regibus, Theodorico & Childeberto S. GALLVS floruit, qui Galliam ſapientia ſalutari ac conſilijs eſt tutatus. Quantum profuerit, euentus docuit. Illo enim per ſcelus in exilium pulſo, cùm inuictæ fortitudinis vir improbitati obſiſteret, regia domus extremis calamitatibus eſt conflictata. Talis LEODEGARIVS *Auguſtodunenſis Epiſcopus*, (d) Maior Domus Theodorici, diuina & huma-

(a) *Ex Epiſt. xxxii. & xxxiii.* (b) *Beda Tomo 3. Paul. Dia. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 5. Otto Friſin. lib. 5. c. 9. Vincent. in Spec lib. 23. cap. 71.* (c) *Sur. 10. V. Sigeber in Chronico, Vinc. Spe. lib. 24. cap. 84. & 19. Trithe. de Vir. illuſt. lib. 3. cap. 74. Tabula Meld. Epiſc.* (d) *Surius 2. Octobris.*

humanâ ſapientia omnibus maior. Qui cùm ſalutaria ſuaderet, multaque perficeret, improborum in ſe odia concitauit, præſertim Ebronis, qui Regis & Regni arbitrium tenebat, atque omnia turbabat, ſeculi ſui Seianus. Ille cùm Auguſtodunum iniquo ductus odio Epiſcopi, obſideret, & crudelitatem in omnes exerciturus videretur. Leodegarius ne ſui cauſſa omnibus periculum crearetur impio Principi caput ſuum obtulit, atque in caſtra progreſſus, poſt tormenta, mortem lætus ſubijt.

NEC ſilentio prætereundus eſt Coloniæ S. ANNO (a) *Colonienſis Archiepiſcopus*, quem Henricus III. Romanorum Auguſtus in palatium adſumpſit, & ab intimis conſilijs habuit, primum gratiæ & familiaritatis locum ei tribuens. Hoc, vel maximè ſuſpicientibus in eo omnibus, quod iuſti rectique tenax admodum eſſet, atque in cauſſis omnibus non adulando, vt ceteri, ſed cum magnâ libertate obloquendo, Iuſtitiæ patrocinaretur. Quâ præditus fortitudine, à Rege ſæpiſſimè diſſidens, quod quæ in Imperio, præter æquum & bonum perperam gerebantur, vehementer deteſtaretur, & acerrimè impugnaret, cum contumeliâ aliquando de palatio eijciebatur, ad extinguendum eius robur, totum Regni robur concitabatur. Non tamen deſiſtebat *Anno*, tam publicè, quàm priuatim vtili fideliqùe dando conſilio Imperij decus, tanquam Princeps, & Eccleſiæ ac Religionis incolumitatem, tanquam ſacer Antiſtes tueri.

EADEM S. LAMBERTVS, NICETIVS, FRIDERICVS eiuſdem conſtantiæ ac fortitudinis Viri præſtiterunt. Illi quoque, qui adhærebant Carolo Magno, quibus inconſultis, & non probantibus belli cauſſam, nunquam exercitum immittebat. Eius autem Conſiliarius intimorum intimus ac penè Director, erat vir fortitudinis ſingularis EGINHARDVS, cui adiunctus erat ALCVINVS, ſicut Henrici MEMVVERCVS. Prudenter igitur factum ab Ezechia Rege, qui cum vidiſſet totum belli impetum verti contra Ieruſalem, inijt *cum Principib. conſilium*, VIRISQVE FORTISSIMIS. *Fortis* debet eſſe Conſiliarius, & inuictus, *Columna* ferrea, *Murus* æneus, *Scopulus* immobilis.

Ille velut pelagi RVPES immota reſiſtit,
Vt pelagi Rupes magno veniente fragore.
Quæ ſeſe multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet: ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

An non talis, præter alios, paullò ante laudatus (b) S. BASILIVS? cui optimè conſulenti, cum Præſes Imperatoris Valentis Ariani ob fidem ac conſtantiam exitium minaretur: (c) *Vtinam!* inquiebat *hoc mihi verè accidat, vt pro veritate ex his corporis vinculis eripiar.* Perurgente Præſide, vt rem maturius conſideraret, reſpondit intrepidus: *Ego quidem hodie & cras idem ſum: atque vtinam tu non mutes ſententiam.* O Rupem immotam! Vis *Murum* aheneum, impenetrabilem? (d) THEODORVS Martyr, cùm

(a) *Surius* 4. *Decemb.* (b) *Socrat. lib.* IV. *cap.* 21. (c) *Nyſſen. in Vita.* (d) *Gregorius. Nyſſen. in vita.*

cùm hoſtes fidei cruciatus immanes minitarentur, niſi abiecto de conſtantiâ conſilio, fidem Chriſto Imperatori ſuo datam abiuraret, in hanc vocem animoſus erupit: *Pro fidei Chriſtianæ confeſſione, qui vulnerat, incidat; &, qui verberat, laceret; & qui cremat, flammam adijciat, &, qui his verbis offenditur, linguam eximat.* (a)

VIS *Scopulum*, igne indomabilem, & vndas iaculantem? VINCENTIUS Miles Chriſti fortiſſimus, prouocans carnifices, & lætus gradiens ad rogum dicebat Tyranno: (b)

Quem tu malignè myſticis
Minitaris ignem literis,
Flagrabis ipſe hoc iuſtius.

mox ad ignis grabatum feſtinans:

Hunc ſponte conſcendit rogum
Vir ſanctus ore interrito,
Ceu iam coronæ conſcius,
Celſum tribunal ſcanderet.

VIS *Columnam* immobilem? LUCIA Virgo & Martyr (nam & ſexus infirmior, modò mente ſit fortis, ad conſilia danda aduocatur, & exemplo prodeſt in Militia Chriſtiana) Paſchaſio Præfecto peſſima ſuadenti intrepidè reſtitit, nec vllis aut precibus aut minis à fidei conſtantia, virtutiſque cultu abduci potuit, freta ope Spiritus-Sancti conſiliorum optimorum Auctore. Cùm autem Paſchaſius interrogaſſet, *Eſt ne in te Spiritus-Sanctus?* reſpondit: *Castè & pie viuentes templum ſunt Spiritus-Sancti.* At ille, *iubebo te, ad lupanar duci, vt te Spiritus-Sanctus deſerat.* Cui Virgo, *ſi inuitam duci iuſſeris, ac violari, caſtitas mihi duplicabitur ad Coronam.* Quare Paſchaſius indignans Luciam eò trahi iuſſit. Sed diuinitus factum eſt, vt Virgo firma ita conſiſteret, vt nec bobus nec vi aliâ à loco dimoueri poſſet. Ergo Præfectus circa ipſam pice, reſinâ, feruenti oleo perfuſam ignem accendi imperauit; ſed cùm nec flamma eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur transfigi iuber. Quo accepto vulnere Chriſtanos conſilio iuuit & vaticinio, prædicens Eccleſiæ tranquillitatem, quæ futura erat, Maximiano, & Diocletiano mortuis; atque ita idibus Decembris ſpiritum ſuum DEO reddidit.

CUI meritò accinit Eccleſia: COLUMNA *es immobilis* LUCIA *Sponſa Chriſti, quia omnis plebs te exſpectat, vt accipias Coronam vitæ.* Et rurſum. *Tanto pondere eam fixit Spiritus-Sanctus, vt Virgo Chriſti* IMMOBILIS *permaneret.*

(a) *Prudentius* (b) *Surius* XIII. *Decemb.*

MEMBRUM VII.

CONSILIUM PRO HOMINE OBSESSO

Homine, ceu Ciuitate animata, Obſeſſo vndique, à Quibus, & Quale ſit capiendum conſilium.

QUAMVIS in bello corporali & externo, non omnia conſilio perficiantur: Multum enim cùm in omnibus rebus, tum in re militari poteſt

Fortu-

Fortuna, inquit Cæſar. (*a*) Et idcircò quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum, vt ſcribit Cicero: (*b*) & præter *fortunam Caſumque*, aliquid facit nonnunquam annoſitas, immò, temeritas, robur, ſolertia; tamen auſim dicere, in bello ſpirituali & interno, ac in tuendo Homine, velut Vrbe obſeſsâ, totum penè dependere à *Conſilio*. Sanè, initium omnis ſucceſſus boni eſſe *Conſilium*. Quare, ſi à vobis hoc hodie impetrem, auſim ſpondere, nullam ex tam amplis vrbibus, quarum hîc trecentas & aliquot vnico intuitu conſpicio, benè munitas, ab hoſte in poteſtatem redigendam. Itaque dum Quilibet ſe tanquam Ciuitatem cinctam Tentatoris infernalis munitionibus animaduertit, & impetum metuit à bellicis vitiorum tormentis, vt nunc loquimur, quibus muri quatiuntur validiſſimè, & deijciuntur citiſſimè, conuocet illicò in comitium pectoris, aut curiam Capitis ſui, *Potentias* ſuas, *Intellectum*, *Voluntatem*, *Memoriam*, *Conſcientiam*, *Sindereſim*, tanquam Ciuitatis huius Patritios: tum *Fidem*, *Rationem*, *Prudentiam*, *Iuſtitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*, & quæ his adiunctæ ſunt, *Virtutes* alias, vt Senatorij ordines omnes, & in Militia Sacra etiam, velut Principes, Viroſquè fortiſſimos, nec non in bellis diu multumquè exercitatos. Cum his ini conſilium, antequam hoſti te tradas: id eſt, manum peccato, aut Cacodæmoni porrigas, & pecces. Si feceris, non peccabis cum diuina Gratiâ in æternum: quia nemo peccat, niſi ignorans, & domeſticum hoc conſilium ſpernens, aut negligens.

At, quomodo inſtituenda eſt conſultatio? &, de quibus? Accipe conſultationis aliquot Capita: nam omnia eſſerri non poſſunt, cùm finito non conſtringantur, quippe, infinita, & tot, quot peccatorum genera, ſpecies, indiuidua, quæ in infinitum multiplicantur. Paucula igitur, *Exempli cauſsâ*, proferamus, ceterorum eadem eſt ratio. An expediat blaſphemare, iurare, peierare, diris ſe deuouere, cùm inde commodum planè nullum, damnum certè multiplex habeas? An proſit tibi ad aliquid, derelinquere DEVM factorem tuum? ab illo deficere, & ad inimicos illius conuerti? An ſit conueniens, tempus cæleſtium negociationi datum, tam inaniter ac propudioſè ocio, ac inertiâ dilapidare? An conſentaneum ſit Rationi, non obſequi Diuinis mandatis, leuibus, & paucis? Deſcendamus ad magis particularia.

An conſultum ſit, ire diebus feſtis, DEO dicatis, ad tabernam, popinam, ganeam? An debeas te inebriare, chartis & aleis ludere, aquis te committere, parentum pecunias prodigere, ætatem perdere? An ſit dormiendum in adultum diem? ideoquè negligenda ſit lectio diebus profanis; concio, & fortaſſe Sacrum Miſſæ officium, diebus Dominicis? An obambulandum, aut in thermopolio potitandum, dum alij ad Laudes Marianas audiendas ſe conferunt? Quid habiturus ſis ex ebrietate fœdâ, ad quam inuitaris? quid ex momentaneâ voluptate, ad quam raperis? quid ex luxurioſo illo facinore, quod tam iucundum, ex Satanæ inſtigatione, apprehendis? An non

(a) Lib. vi. Com. (b) Orat. pro Marcel.

melius, immò, iucundius innocentiam ſuam ſeruare illibatam, nihil turpe agere, nihil inhoneſtum loqui, nihil quod obſcænum, cogitare? Vacare pietati, libris incumbere, delectari lectione ſacrâ, viſitatione templorum, frequentatione Sacramentorum? Intereſſe officijs Diuinis, conuerſari per meditationem, & orationem cum Angelis, Cælitum intereſſe conſortio, DEI ipſiuſ-met perfrui colloquio? Si de his ſimilibuſquè conſilium ineat, quamuis artiſſimè obſideatur, non metuat: in hoſtium poteſtatem, maximè, ſi cetera præſtet, quæ ſubiungam, non veniet.

(*,*)

MEMBRVM VIII.
EXEQVVTIO IN CONCILIO DECRETORVM,
Ante, & in Obſidione.

OBSESSIS, aut Obſidionem expectantibus, poſt ſancitam Concordiam, & Concilium celebratum, eſt neceſſarium imprimis exequi quæ prudenter in rem communem ſunt decreta: & hic eſt finis *Concilij*, ac effectus, qui niſi conſequatur, euaneſcunt priora. Exequutio autem obſidionis tempore moram non patitur: actum eſt, niſi quam primum exequaris. Et hinc multorum error. Aliqui promptiſſimi ſunt ad dandum conſilium, vel audiendum; tardiſſimi ad exequendum. Decretum eſt: *Ver. Gra.* poſt multas conſultationes, in Senatu Conſtantinopolitano, vt muniatur Vrbs ab omni parte. Extruantur propugnacula ad quattuor angulos: reparentur turres, è quibus iaculari erit opportunum; portarum habeatur cura maxima: nec permittantur paſſim ingredi quicumque, niſi illorum habeatur notitia, exploratis etiam, ſi ſuſpicionem rationabilem moueant, quod ſint exploratores, eorum bulgis, & marſupijs. Viſitentur naues, quæ ante vrbem in fluuio conſiſtunt, præſertim maiores illæ, & cataphractæ, vt non ignoretur, qui nam in ijs latitent, ne Equum Troianum penè in ciuitate, ignari, quâm ſit, & quibus prægnans eius venter, habeamus. Inſtaurentur muri, vbi vetuſtate vitium traxerunt. Feneſtræ, quæ muris imminent, clatris ferreis benè muniantur, vel obſtruantur, ne hoſtis clam admitti poſſit. Vigiles diſponantur ſuis temporibus maturè: Vigiliæ obeantur; & exploretur ſolicitè, an, qui Vigilantij eſſe deberent, ſint Dormitantij. Non negligatur obſeruatio & cenſura in homines ambiguæ fidei, ac diuerſæ à Catholicâ religionis, qui multi ſunt, & ſpecie poſſunt blandiri: quid intus foueant, & quo ipſorum tendat cupiditas, non ignoratur. Lattones Philetæ, quos amplexabantur interimebant. Expurgentur foſſæ, &c, ſi opus, alicubi dilatentur, atque altius fodiantur, vt profundiores tranſitum impediant, vel morentur. Domus ante vrbem deijciantur, vt hoſti aduentanti non præbeant receptaculum. Quæ in proximo eſt Syluula, exſcindatur: eſt enim latibulum inſidiantium.

ARMAMENTARIVM inſpiciatur curioſe.

(a) *Finis Conſilij Exequutio.*

rioſe. Inquiratur quot globorum æreorum ſint millia : quot vaſa pulueris ſulphurei: quot fiſtulæ communes ad armandam ſubitò cohortem: quot ſariſſæ, quot enſes cum pugionibus. Extrahantur maturè tormenta bellica, tum minora, tum maiora, ac diſponantur in mœnibus. Præſcribatur patribus familias, vt quilibet commeatum domi habeat, qui ſatis ſit toti familiæ anno integro. Ineatur ratio accuratè, quantum ſit frumenti in publico granario, & augeatur indies: nihil inde dematur, abſque ſcitu & conſenſu Magiſtratus. Nulli etiam quæſtorum fas ſit, quicquam inde clàm, palàm-ue exportare. Sunt hæc perquam vtilia decreta. quis ambigit? Sed nullus erit fructus, niſi ſequatur exequutio.

14 SIMILI modo, vt noſtro inſiſtamus argumento, quod eſt de *Obſidione ſpirituali Vrbis animatæ*: Si conſilio peracto, in Republicâ noſtra domeſticâ, decernantur, quæ neceſſaria, quæquè ſint futura proficua, haud dubiè, *Ratio, Conſcientia, Lumen naturale*, & multo magis, *Lex diuina, Gratia, Euangelium*, ſancient communi conſenſu: Ad conſeruandam Ciuitatem, cui extremum imminet periculum, à Cacodæmone, Mundo, Carne, tribus potentiſſimis hoſtibus obſeſſam vel obſidendam, neceſſarium eſſe: vitare occaſiones: fugere, velut à facie colubri, Peccatum, tentationum principijs obſtandum, cauenda prima vitia, Diaboli, tanquam ſerpentis lubrici caput, id eſt, primam ſuggeſtionem, pede reſiſtentiæ conculcandum. Deniquè, muniendum pectus, tanquam vallo, conſideratione Nouiſſimorum. *Memorare Nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Si quando ſenſeris te ad aliquod prouocari peccatum, in mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile* Chriſti Iudicium, *& hoc, quaſi fræno, animum cohibe*, conſulebat in ſua Republicâ Diuus Baſilius. Sed fruſtra ſunt hæc omnia, niſi fiant, quæ tam prudenter ſtatuuntur. In hoc rei cardo vertitur. Remedia, quæ à Medico præſcribuntur, niſi ſuo tempore vſurpentur, ſanitatem non adferunt. Præcepta, quæ dantur à ludimagiſtro, niſi obſeruentur, doctum non faciunt. Oportet factores eſſe verbi, non auditores tantùm, exequutores bonorum conſiliorum, non ſuſceptores ſolum, ædificatores, non delineatores tantummodò. *Non auditores legis iuſti ſunt apud* DEVM, *ſed factores legis iuſtificabuntur*, inquiebat Paulus Apoſtolus, ad Romanos ſecundo capite.

(****)

COM-

COMMENTATIO III.

DE

Fiducia in Deum. Cooperatione humanâ. Exequutione maturâ eorum, quæ iudicata ſunt vtilia Obſidionis tempore.

MEMBRVM I.

FIDVCIA ET COOPERATIO

Quomodo copulanda ſit, cum Fiduciâ in Deo, Cooperatio humana, belli tempore.

INTER præclariſſima decora IGNATII LOYOLAE, in Militiâ Chriſtianâ Ducis experientiſſimi, illud ſemper habui, vt eximium, & ad omnem hominum ſtatum, quolibet tempore, ſed belli præſertim accommodatum, ſi imitatione exprimatur; quod cum ſumma eſſet eius in diuinâ ope fiducia, ſummè tamen ipſe conaretur, & humana omnia media ad finem conſequendum adhiberet. Quo fiebat, vt per vias diuinæ Prouidentiæ rectas, ac regias tutò duceretur, clarâ quadam & efficaci cognitione, duobus principiis Chriſtianæ Sapientiæ, tanquam Cardinibus apprehenſis, vt de illo ſcribit Societatis Hiſtoricus. (a) *Primum* ex ijs eſt, quantoperè homo ad ſperandum diuino ſubſidio, & manu auxiliari egeat, quod etiam lumine naturali notum eſt: &, quod fides docet, quantoperè ad rectè agendum â DEI gratiâ pendeat. *Alterum*, quod DEVS laborem hominis, atque operam adiungi ſuo concurſui, & gratiæ poſtulet. Itaque, ſic vitam inſtituebat Ignatius, ſic agebat omnia, & maximè in rebus arduis ſic verſabatur, vt videretur, dum ſuam adhibet operam, nihil aliunde ſperare opis: dum ad opem diuinam confugit, in ea vna cuncta reponere. IDEM reor feciſſe prudentiſſimum Regem, ſimulque ſanctiſſimum Ezechiam, cùm Vrbi Ieroſolymitanæ duriſſima immineret obſidio, ac proinde, poſtquam DEVM conſuluiſſet per preces & ſupplicationes, ſicque concepiſſet admirandam in illius ope fiduciam, vt conſtat ex totâ narratione ad obſidionem præuiâ, conuertit ſe ad omnia illa expedienda, quæ in iſtiuſmodi neceſſitate, ſecun-

(a) *Nicol. Orlandinus Tom. 1. lib. 18.*

ſecundum humanam prudentiam videri poſſent opportuna. Nimirum, non ignorabat ſapientia diuina humanaque cumulatus Princeps, ita DEO fidendum, vt nihilominus humana præſidia omnia, rationi ac fidei dictamini conuenientia, nec religioni aduerſa adhibeantur. Contrarium non eſt fidentis, ſed temerarij, præfidentis, & ſtolidè præſumentis, ac ſupremum illud Numen, à quo ratione donati ſumus ad nos tuendos, tentantis. In quo grauiter interdum, ab ijs, qui curam aliorum gerunt, à patribus familias, à Magiſtratu, à Principibus, à priuatis etiam, & quolibet hominum genere peccari poteſt, & vt peccetur grauiter, quidam, vel veri ignoratione, vel fraude quorundam malæ fidei Magiſtrorum inducti perſuadere conantur hoc tempore. Quo libelli ſparguntur de remedijs publicarum Germaniæ calamitatum; in quibus ita diſſeritur, ac ſi lex Diuina præſcriberet, iuberetque vires humanas contemnere, ac pro ſuperuacancis ducere: nec illas quicquam ad rem ex ſententia gerendam momenti facere. Sapere carnis prudentiam Diuinæ legi contrariam, exiſtimare, humana rerum gerendarum inſtrumenta neceſſaria eſſe; nempe, ad felicem ſucceſſum, ac victoriam. Contrarium veriſſimum eſt: & errorem illa continent, rectè ſentientium iudicio, pernicioſum, ideoque ex animis bonorum adoleſcentum, virorumque euellendum.

MEMBRVM II.

PRÆFIDENTIA ET PRÆSVMPTIO

Quomodo: & à quàm multis peccetur Præfidentiâ de Auxilijs Diuinis, Cooperationem humanam ſpernentibus, vel negligentibus.

INCIPIAMVS molliter, & à vulgaribus, quæque in confeſſo ſunt apud omnes. Eſt ſtolidi Adoleſcentis, quoniam audiuit ab Oratore ſacro, à DEO poſtulandam ſcientiam, & rerum non diuinarum tantùm, ſed humanarum quoque notitiam: vel, quia legit in D. Iacobi Epiſtola: *Si quis veſtrum indiget Sapientia, poſtulet à* DEO, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*; abijcere actutùm libros, aut ijs complicatis, ocio ſe tradere, tempus ſtudio litterarum deſtinatum, chartis, aleâ, taxillis, fabulatione, inertiâ, ſomno comburere: nihil legere, nihil ſcribere, omnem exercitationem litterariam negligere, & tamen in qualibet ſcientiâ ſe non mediocrem profectum facturum arbitrari, DEI fiduciâ plenum. Nempe, Pater luminum omnibus in ſe confidentibus dabit affluenter. Verùm, illa non eſt *Confidentia*, virtus in medio conſiſtens, proles ſpei, ſed *Præfidentia*, quæ vulgo *Præſumptio* appellatur, vitium ſpei oppoſitum per exceſſum: excedit enim modum in ſperando, vel cõfidendo in ope diuinâ, indebitè nimiumque confidens in auxilio cæleſti ſolo, cooperationem debitam, quam DEVS in ritè confidentibus requirit ſpernens, quod ſuperbiam ſapit, vel delirium.

PROFECTO deliri eſſet Coloni, ſuis tem-

temporibus, nec terram fimo pinguefacere, nec ſolum ſarculo inuertere, nec aratro liras ducere, nec ſementem facere, nec paſtinare, nec occare, nec runcinare, nec quicquam, quod ad ruſticationem ſpectat, maturè peragere, & tamen meſſem, vindemiam, oliuitatem, in æſtatem aut auctumnum ſperare. Scilicet, DEO fidendum. Nam, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat* DEVS. Verba ſunt Apoſtoli in priore ad Corinthios epiſtola, capite III. Ergo, nec plantandum, nec rigandum, ſed tantùm, qui incrementum dat DEVS, rogandus. Ille & panem ad manducandum præſtabit, & augebit incrementa frugum noſtrarum. Quid nos laboribus corpus atterimus, & vitam breuiorem facimus? *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt? Non laborant, neque nent: & tamen nec Salomon in omni gloriâ ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Si fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur,* DEVS *ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis*. Matthæi VI. Itàque, ocio nos tradamus. DEVS prouidebit. Præclara conſequentia ex tali antecedente. Ex quo ita colligit nobis ingenioſior, vt Sanctior Bernardus: (a) *Fac tu quod tuum eſt: nam* DEVS, *quod ſuum eſt, curabit. Planta, riga, & tuas impleuiſti partes. Sanè incrementum vbi voluerit, dabit* DEVS. *Vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil.*

IGNAVI eſſet, ac planè ſtulti patris familias, nullam œconomiæ ſuæ curam ſuſcipere, domus procurationem omnem negligere: nihil in granario frumenti æſtate reponere, in auctumno vinum non colligere, hieme penu non inſtruere, nullam carnium, ſiliginis, orizæ, fructuum copiam ſeponere, ſpe vnâ (vt præſidentiam nominat) fretus, quod, qui coruorum pullos, ſine tantâ curâ paſcit, ſe familiamque ſuſtentabit: illud cantillando vſurpans: *Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum: nec ſemen eius quærẽs panem.* Riſit auorum noſtrorum ætas ſtupiditatem ſtoliditatemque quorundam in Hollandiâ, Adamitæ vocabantur, qui decepti à pſeudo-prophetis, abiectâ omni rerum domeſticarum curâ, in ſolitudines proficiſcebantur, penè nudi, immò nudi, vt Adam & Eua: fame exſtimulante, conſcendebant arbores, pabulum à DEI manu expectantes, fortaſſe aſſas columbas ore hiante, aut *manna*, cum Hebræis inclamantes. Quaſi ſat ſit ad vitæ alimoniam ſibi ſuiſque procurandam, inani fiducia ingeminare; *Oculi omnium in Te ſperant, Domine, & Tu das illis eſcam in tempore opportuno. Aperis Tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* (b) Sed vacuo ventre, & araneante ſtomacho, vel redibant domum, vel fame contabeſcentes, decidebant ex arboribus, beſtijs futuri pabulum.

(***)

MEM-

(a) *Lib. IV. de Conſiderat. ad Eugen. Pon.* (b) *Pſal. XXXVI. 25.* (c) *Pſal.* CIII. 27.

Membrvm III.
PRÆFIDENTIA IN BELLO EXITIOSA.

Socordis eſſet, ac temerariè præfidentis Magiſtratus, Principiſque, cùm vel bellum eſt denunciatum, vel ſibi imminere, ſeque & ciuitatem ſuam peti non ambigit, ſola in Deo Diuiſque niti velle fiduciâ: nihil eorum, quæ ad bellum procul habendum, ad hoſtes arcendos, ad obſidionem auertendam ſunt neceſſaria, maturè curare. Non conſcribere militem, non munire vrbem. non extruere propugnacula: non adſciſcere auxiliares copias aliunde, ſi neceſſe ſit, ſubſidia non aduocare: vrbem commeatu, ligno, ſale, omnique inſtrumentorum genere non inſtruere. Nimirum, Devs prouidebit. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eum. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Ita eſt. Sed tibi collaborandum. Nimia fiducia ob cauſſæ bonitatem, de qua non ambigebant, indeque negligentia orta, in errorem multos duxit, & ſuperioribus annis Germaniam penè perdidit. Error eſt, humana ſubſidia in bellis pro Deo, eiuſque cauſſa non eſſe curanda: ſpernendas vires humanas Diuinis iunctas: contemnendum militem numeroſum, quando conflictus ineundus. Excipio tamen: niſi conſtet certâ, vel reuelatione, vel relatione viri alicuius diuinæ familiaritatis, aut Prophetæ hæc minimè curanda eſſe: quod aliquando accidit etiam inſtinctu afflatuque diuino, nullam dubitationem in animo relinquente. Cuius exempla occurrunt aliquot in Inſtrumento veteri, nec deſunt recentiora. (b) Idem locum habere poteſt, cum ad extremum eſt ventum, nec modus eſt vtendi humanis præſidijs: tunc enim Dei fiduciâ, cauſſæque iuſtitiâ fretum, quamuis exiguo numero, reſiſtere, numeroſiſſimo licet exercitui iudicatur eſſe Viri fortis & magnanimi. In hoc rerum euentu, valent iſta. *Non eſt Domino difficile, ſaluare vel in multis, vel in paucis.* I. Regum xiv. 7. Deo tam facile eſt ſaluare in paucis, quam multis. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem eſt, qui ſalutem tribuit.* Prouerb. xxi. *Da nobis auxilium Domine de tribulatione, quia vana eſt ſalus hominis.* Pſal. cvii. *Non in gladio ſuo poſſederunt terram,* Patres noſtri, *& brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, Domine, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti, in eis. Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.* Pſalmo xliii.

Qvod ſi auxiliatrix Dei dextera non ſit cum exercitu, licet potentiſſimo, numeroſiſſimoque fruſtra contra paruam etiam manum hoſtium ſit progreſſus, & congreſſus. Libro ſecundo Paralipomenon cap. xxv dixit Propheta ad Amaſiam Regem Iuda, qui centũ millia robuſtorũ de filijs Iſraël mercede conduxerat, vt Idumæis rebellibus ſuis bellũ inferret: O *Rex ne egrediatur tecũ exercitus Iſrael: non eſt enim Dominus cũ Iſrael, & cũctis filiis Ephraim.* Quare? erãt impij, & colebãt Deos alienos. Addebat

(a) *Pſal. cxxvi. 1. 2. cxxvi. 1. 2.* (b) *In extrema neceſſitate fidendum maximè Deo.*

debat homo DEI. *Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet* DEVS *ab hoſtibus:* DEI *quippe eſt adiuuare, & in fugam conuertere.* Dixit autem Amaſias ad hominem DEI, ſolicitus de pecuniâ quam iā ſubſidiarium militem expoſuerat: *Quid ergo fiet de centum talentis quæ dedi militibus Iſraël?* Reſpondit ei homo DEI. *Habet Dominus, vnde tibi dare poſſit multo his plura.* Credidit Amaſias Prophetæ, remiſit ſubſidiarios impios, deinde, *confidenter eduxit populum ſuum*, cecidit hoſtes, victoriam obtinuit. Zachariæ IV. *Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel: Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus*, ſuperatur hoſtilis exercitus quantumuis innumerabilis.

MEMBRVM IV.

PRÆFIDENTIA AVXILII DIVINI

Spretâ cooperatione humanâ tentatur Deus Auxiliator in Bello potiſſimum.

AVELLI non debet à Fiducia in DEO, hominis cooperatio: neq; exiſtimandum, quamuis confidatur in Domino, nihil prorſus facere ad rem vires humanas, nec conferre quicquam ad victoriam, Ducis ſolertiam, officialium vigilantiam, militum robur, & in præliando peritiam. Error hic eſt grauis præfidentium: ex quo, qui maturè ſibi, ac vrbi ſuæ non proſpiceret, qui rerum gerendarum inſtrumenta non curaret, qui, quæ ad obſidionem inſtantem, & vniuerſe, ad bellum proximè intentatum, ſunt neceſſaria non prouideret, is tentare DEVM cenſeretur. De quo non eſt ambigendum, nec dubitant Theologi. Quid eſt enim Tentare DEVM? (a) Tentare generatim, eſt periculum facere de aliquo, ſeu experimentum capere de alicuius poteſtate, voluntate, induſtriâ, aut ſimili re quapiam. Quod qui facit abſque iuſtâ cauſsâ perperam agit, reprehenſione dignus. Itaque homo DEVM tentare dicitur, quando ſine cauſsâ iuſtâ capit experimentum potentiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ, voluntatis, bonitatis, ſapientiæ, aut alterius perfectionis diuinæ. Quod cenſetur conari, non ſolùm dicendo, agendoque, ſed etiam omittendo quidpiam, vt experimentum habeatur. Vocatur autem hîc experimentum, omne opus, vel auxilium DEI ſupra communem rerum ordinem præſtitum, aut præſtandum: ſic enim quaſi experiendo, diuina aliqua voluntas, facultas, aut perfectio dignoſcitur. Quod Scholaſtici conſenſu docent ſequuti S. Thomam 2.2. quæſtione 97. Art. primo. Vbi ſubtiliſſimus Caietanus ad rem noſtram accommodatè, *Aſpice*, inquit, *in quo conſiſtat formale tentationis* DEI: *ſcilicet in hoc, quod abſque neceſſitate, vel vtilitate reſpuat homo cauſſas ſecundas.* Tentare autem DEVM, eſt contra legem diuinam, ideoque vetitum, & condemnationi obnoxium.

Hoc modo probant Theologi, Duellum eſſe contra legem diuinam, ideoque tot & tā grauibus Pontificū Conſtitutionibus

(a) *Tentare generatim.*

nib⁹ proſcribi ac prohiberi. Poſterius iſtud eſt manifeſtū: prius non æquè, de quo idcirco mihi aliquando eſt oborta dubitatio: nam non reperio legem vllam poſitiuam, ſiue in nouo, ſiue veteri Inſtrumento verbi diuini, quo illud exertè vetetur. Sed omnibus diligenter excuſſis, ac ponderatis, video reduci prohibitionem ad legem, de non tentando DEVM, quæ habetur Deuteronomij VI & Matthæi IV. *Non tentabis Dominum* DEVM *tuum.* Tentare autem DEVM nunquam licet, vt probat S. Thomas loco indicato, art. 2. & 4.

SIQVIDEM is, qui tentat DEVM, verbis aut factis proteſtatur dubitationem de diuinâ excellentiâ. Quod, vel fit *Explicitè*, ſiue faciendo, ſiue dicendo quidpiam, vt capiatur experimentum alicuius attributi diuini. Sic cum Dominus eieciſſet Dæmonum, & loqueretur mutus, Quidam tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo, Lucæ XI. ita quoque à Diabolo tentatus eſt Chriſtus, vt ex lapidibus panes faceret, & ſe præcipitaret de pinnaculo templi, Matthæi IV. & Lucæ IV. Eodem modo Herodes & Phariſæi tentarunt IESVM. Vel fit Tentatio *Implicitè*, reſpuendo ordinaria remedia malorum, aut cauſſas ſecundas legitimas effectuum, cùm id fit abſque neceſſitate, vtilitate, vel inſtinctu DEI non ambiguo.

ISTIVSMODI tentatio DEI cōmittitur in Duellis, vt argumentatur Turrecremata in caput *Monomachiam*, 2.q.5. Nam pugnantes & remedia legum, & Magiſtratuum iuſtam auctoritatem negligunt, aut etiam contemnunt: atque in pugnando æqualitatem virium, & peritiæ armorum reſpiciunt: hoc denique agunt, vt per vnius victoriam appareat eius iuſtitia, & alterius iniuſtitia, tanquam per iuſti iudicis DEI ſententiam. Certè, ſine neceſſitate & vtilitate, repudiatis cauſſis ſecundis procurrunt in arenam, qui monomachiam indicunt: atque ita teſtantur, expectare ſe temerè à DEO velle, quod aliunde quærendum eſſet.

OB eandem cauſſam reprobantur in Iure Pontificio *Purgationes vulgares.* Quales erant olim vſitatæ alicubi candentis ferri, & aquæ feruentis. Nimirum, Qui in crimen vocabatur, ſi ferro candenti admoto, non exurebatur, innocens; ſi vrebatur, nocens habebatur, pœnamque crimini conſtitutam ſubibat. Vt conſtat ex Decretali Honorij III. *Dilecti filij*, de *Purgatione vulgari*: vbi decernit, iudicium candentis ferri penitus eſſe interdictum, vtpote, in quo DEVS tentari videatur. Et Canone *Mennam*, 2.q.5. Alexander II. cuius eſt pars poſterior illius Canonis feruentis aquæ ignitique ferri contactum ad purganda crimina, eſſe facta, inuidia fabricante aſſerit. Eandem purgationem condemnat Stephanus II. Canone *Conſuluiſti*, 2.q.5. Duellum autem cum iudicio ferri candentis, vel aquæ feruentis confert S. Thomas 2. 2. quæſtione 95.

* * *

MEMBRVM V.

VSVS CAVSSÆ SECVNDÆ

Iungendus eſt Fiducia in Deo, Cauſſa Prima.

FIDVCIAM in ſe hominum DEVS amat, temeritatem haud probat, quæ *Præſidentiam* ſequitur. Vti nos vult, cauſſis ſecundis, Non vult à ſe conſtitutum ordinem, cauſſarumque ſeriem peruerti. Non ſemper iubet facere miracula, neque expedit. Dum extraordinaria expectantur, aut petuntur auxilia, quando ordinaria ſunt in promptu, ordo rerum turbatur. Vult DEVS cauſſas naturales adhiberi, prout nunc ſunt inſtitutæ, earumque conſenſum, & orbis harmoniam conſeruat, nec poteſtatem dedit creaturæ illam temerè diſſoluendi. Vnde mirum non eſt, quod nonnumquam præſidentes puniantur. Quibus quod factum aliquando, præter ordinem, à Numine in amici peculiaris gratiam, non patrocinatur. Saracenis Aſſiſium obſidentibus, & monaſterium, cui S. CLARA præerat, inuadere conantibus, ægra hæc ſe ad portam deportari voluit, vnaque Vas, in quo hoſtia ſacra erat incluſa, (a) & ibi orauit Beata in hunc modum: *Ne tradas, Domine, beſtijs animas confitentes Tibi, & cuſtodi famulas tuas, quas precioſo ſanguine redemiſti.* Mox audita vox eſt cælitus perſonans. *Ego vos ſemper cuſtodiam.* Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt, partim, qui murum aſcenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Id ſemel contigit, DEI inſtinctu animata *Clarâ* fiduciam quādam eximiam concipiente: & quidem, cùm aliud non ſupereſſet remedium, quo obſidentes repellerentur. Tu idcircò, ad quem ciuitatis tutela ex officio ſpectat, dum hoſtis aduentare dicitur, complicatis manibus, expecta donec muros aſcendat, aut impetum faciat, Vas ſupereſſe dictitans, in quo Venerabile: id te proferri iuſſurum: habere te illam in DEO confidentiam, fore, vt hoſtes quamuis in ſummitate muri conſtituti, præcipites eant, ac momento corruant. Temerariè feceris. Et fieret fortaſſe. vt ſacrata *Pyxis* hoſtili globo deijceretur, tāgereturque quod intus occulitur. Permittit enim eius generis multa DEVS, ad temeritatem noſtram caſtigandam. Nondum, vt *Clara*, vixiſti, ſic vt merearis miraculo honorari: Nondum, vt *Clara* audiuiſti vocem DEI ſpondentis: *Ego Vos ſemper cuſtodiam.* Nondum, quæ tui ſunt officij, ſedulò curaſti. Hæc præcedant: tum fiduciam vulgari maiorem concipe.

NON rarò in ſubitis incendijs profuit iactaſſe in ignem, aut aduerſus illum conſecrati Agni ex cerâ icunculas. Vidimus ſtitiſſe, aut ſopitam flammam. Benè habet. Tu, ſi idcirco, dum domum tuā edax illud elementum deuorare aggreditur, nihil aliud adhibere velles: non expedires ſitulas, non depromeres aquam, non vncos in tectum iaceres, non ſyphonibus vndas iaculateris, temeritatis iure merito accuſarêre.

An non talis, ſimilis-ue interuenerit frequenter hiſce turbulentis Imperij temporibus,

(a) *Breuiarum Romanum* xii. *Auguſti.*

póribus, cum Gothis in Germaniam irruentibus proximus ardebat Vcalegon, poſteritas iudicabit. Deſignare poſſem prælia, in quibus temeritate peccatum, ciuitates captas ob neglectum neceſſariæ prouidentiæ, prouincias perditas ob præſumptuoſam ignauiam. Sed meum non eſt modò luctuoſiſſimũ temporis, ac infeliciſſimorum euentuum refricare memoriam. Vtinam noſtro malo edocti, tandem ſapiamus, ita Deo fidentes, vt quam ipſe poſtulat, ſecundarum cauſſarum cooperationem haud temerè reſpuamus, ne contra nos Devm exercituum irritemus.

Quod factum aliquando à filijs Iſrael Qui ſuperati in bello à Philiſthæis dixerunt (a) *Quare percuſſit nos* Devs *coram Philiſtijm?* & duxerunt ſecum *Arcam Domini.* Vas Synagogæ tempore, inſtar Pyxidis Euchariſticæ, ad prælium. Sed & illa capta fuit, & iſti magna plagá percuſſi. Nimirum, noluit Devs hoc extraordinario medio victoriam obtineri. Volebat vt ipſi exercitum ſuum militibus bonis augerent: Devm pænitudine de peccatis concepta placarent, nihil, quod ad hoſtes ſuperandos ſuadet diſciplina militaris omitterent.

(a) 1. *Reg.* vi.

Membrvm VI.

EXEMPLIS STABILITVR

Nexus Fiduciæ in Deo, cum cooperatione humana.

DAvid vir ſecundum cor Dei & Prophetiæ dono illuſtris, ſciebat ſe eſſe vnctum in Regem, & ſe regnaturum certo certius poſt Saulẽ: nã id, Dei nomine promiſerat Samuel: nõ tamẽ ideò cõmittebat ſe præcipitãrer diſcrimini, non ſe ſuaque negligebat, non ſe in periculum capitis deijciebat ſed fugiebat imprimis ſuum aduerſarium Saulem, deinde, abſcondebat ſe cautè: ad hæc, fœdus percutiebat cum Ionatha, prætereà, amicos ſibi conciliabat: tum militem colligebat, & cum eo in tutiſſimis ſe locis aliquantis per continebat: denique, faciebat ad ſui cuſtodiã, quicquid prudẽtia excogitare poterat. (a) Similia exempla, ſuppeditant libri Iudicum, Regum, Machabæorum.

Tobias iunior plurimis à Deo cumulatus beneficijs cum in periculo eſſet, ne à piſce deuoraretur, non expectauit deſes, donec ab Angelo occurrente liberaretur: quod bonus ille Achates momento temporis potuiſſet: ſed noluit, dixitque ſuo clienti: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te,* deinde exenterauit illum, & ita à periculo fuit liberatus, (b) Idem Angelus, vt Tobias ſenior liberaretur à cæcitate, non dixit filio, Deo tantùm fide, videbit pater tuus. Sed, poſtquam ſuaſiſſet, vt Devm caſtè coleret, & adoraret, iuſſit ad patrem eum accedere, & emplaſtrum parare, aut linire oculos vnguine felleo piſcis, quod ſecum portabat. Quo facto ſuſtinuit dimidiam quaſi horam, & cepit albugo ex oculis eius egredi, velut oui membrana: quam apprehendens Tobias traxit ab oculis patris, ſtatimque viſum recepit.

Nec

(a) *Lib.* 1. *Reg.* (b) *Tobia* vi. & xi. (c) *Tob.* vi.

NEC Teſtamenti Noui deſunt exempla. Omittantur alia. Prodeat Paulus, (*a*) ille tot miraculorũ patrator, à cuius corpore ſudaria & ſemicinctia rapiebantur, & ſuper languidos ponebantur, ac recedebãt ab ijs languores, & Spiritus immundi, ac nequam egrediebantur: Paulus dico, cum res ſua ageretur, quod induſtria humana cum ope diuina conſequi poterat, ad id miraculũ non expectabat. Apud Damaſcum, (*b*) cum ei inſidiarentur Iudæi, non rogauit Dominum quod poterat, & impetraſſet, vt inuiſibilis ijs fieret; nõ petijt, vt ſicut Abacukus, cincinno capitis in altum ſublatus deportaretur aliò; non fiducia in auxilium Cæliтum, euocauit Angelos, qui excæcarent aduerſarios; non ſubſtitit, illud vſurpans: DEVS iuuabit; ſed per murum in ſporta dimitti voluit, (*c*) & aufugit, ne DEVM tentare videretur. Idem, cùm adſtrictum loris Tribunis raptaret ad pœnam nõ promeritam ac dedecoroſam, non ſupplicauit innocentiæ vindici, vt miraculo ſe eriperet, aut, vt ignis de cælo abſumeret nefarios accuſatores ac iudices iniquos; ſed vſus eſt remedio Iuris ordinario, cum proteſtatione de iniuriâ, (*d*) exclamauitque: *Si hominem Romanum, & indemnatũ licet vobis flagellare?* Rurſum, dixit ſe eſſe Phariſæum, vt diſſenſionem inter Iudæos, diuerſarum ſectarum, excitaret. Denique, cum haberet iniquum iudicem, appellauit Cæſarem. (*e*) Rectè igitur Ezechias, cùm non ignoraret eſſe cõtra officium Regis pij ac prouidi, inſtante obſidione Ieroſolymitanâ, quam barbarus Sennacherib intentabat, non procurare, quæ ad defenſionem erant neceſſaria, ne tentaret Dominum Exercituum, inito conſilio cum Principibus, Viriſque fortiſsimis, quæcumque vſui eſſe poſſent, tum ad auertendam obſidionem, tum ad ſuſtinendam, maturè ſeduloque conſtituit; & tunc ſpem ſuam, (*f*) non in humanis ſubſidijs, ſed in ope Diuina collocauit, vereque dicere potuit quod eſt: Pſal. CXXVI. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt illam.*

(a) *Actuum* XIX. (b) *Act.* IX. (c) *Act* XXII. (d) *Act.* XXII. (e) *Act.* XXV. (f) *Pſal.* CXXVI.

NOTÆ.

DE Obſidione *integer eſt Titulus in Theatro vitæ, ex quo locupletari poteſt exemplis accommodatis hic liber. Sunt autem iſta præcipua. I. Documenta Leonis Imperatoris ac Philoſophi, ad Obſidionem opportunè & feliciter faciendam requiſita ad Filium. Edita ſunt Lugduni Batauor. apud* Meurſium, *&* Sixtum Aratrium. *II. Quædam ad Obſidionem ſuſtinendam, vel peragendam opportuna, ex* Frontino *de Stratag. III. De tutelâ obſeſſorum, & excitandâ curâ. IV. De emittendo, & recipiendo nuncio. V. De introducendis auxilijs, & commeatibus ſuggerendis. VI. Quemadmodum efficiatur, vt abundare videantur quæ deſunt. VII. De eruptionibus. VIII. De Conſtantia obſeſſorum. IX. De fallendis ijs, qui obſidentur. X. De obſeſsis à ſubditis. XI. De obſeſsis ab hoſtibus. Quædam, etiam notatu digna habet* Adamus Conzen *lib. X. Politicor. cap.* XLVII. *qui docet ex Vegetio lib. 4. c. 7. Obſidendi*

ſidendi duas eſſe ſpecies. Multa paranda obſeſſis, quæ enumerat Vegetius lib. 4. cap. 8. Præter quæ hoc tempore opus eſt puluere tormentario aliſque ad machinas pertinentibus. Celeritatem ad omnia vtilem eſſe. Obſidentium concordiam tenendam; ſuſpiciones vitandas. Obſidiones vrbium inopinatas ferè eſſe felices. Obſidentium, & Obſeſſorum varia Stratagemata.

Obſidiones variæ, diuturnæ, repentinæ colliguntur ex hiſtoria Eccleſiaſticâ, ex Sacra Scriptura, & hiſtoricis profanis. Admirandas habet Hiſtoria Belgica, nominatim Franciſci Haræi, & Famiani Stradæ, *qui accuratè in Indice ponunt ordine temporum.*

COMMENTATIO IV.

SVBDVCERE ET SVPPEDITARE.

Obſidentibus & obſeſſis neceſſaria.

NEXVS

Cum antecedentibus.

QVo pacto prudentiſſimus Rex Ezechias cum obſidio immineret Ciuitati Ieroſolimitanæ vniuerſim diſpoſuerit omnia; ac firmata in ciuitate concordiâ, conſultauerit diu multumq; cum Optimatibus vrbis, & capitibus exercitus; ita fidens DEO, vt cooperationem humanam non negligeret. Et quomodo idem nobis in ciuitate noſtrâ quæ eſt Anima, Cacodæmonum ac Vitiorum obſidionem meritò metuente, & ſæpe obſeſsâ, ſit exprimendum, in ſuperioribus diſſerui. Nunc ad peculiaria, quæ exequutus eſt, veniendum ac deſcendendum cum Ezechiâ ad ſingula.

Ordiar à minimis, poſt hæc maiora ſequentur.
Nam maius nihil eſt aliud, quàm multa minuta.

MEMBRVM I.

AQVA AVERTENDA.

A caſtris obſidentium. Et inducenda in vrbem obſeſſam.

PERTINET ad prudentiam, ac induſtriam Ducis vrbem obſidentis curare, vt nihil deſit ad vitã militium ac iumentorum neceſſarium: nõ eſculenta deſiderentur, non poculenta. Quare, ſi effici poſſit, ne alimoniæ, quæ conſiſtit in *Pane & Aqua* inferatur in caſtra, ſoluetur infallibiliter obſidio, cum damno obſidentium, qui fame, ſitique contabeſcent. Pro iumentis autẽ, immò, pro hominibus, vbi non eſt alius potus, neceſſaria maximè eſt aqua. Hinc qui de obſidẽdis vrbibus perſcripſerunt rei militaris periti, quod diximus, imprimis commendant Duci, tam obſi-

obſidenti, quam obſeſſo. Inter Leonis Imperatoris ac Philoſophi Documenta LXXVI. ad Obſidionem opportunè ac feliciter faciendam propoſita filio decimũ tertium ſic habet: *In longis obſidionibus, ante omnia, commeatum idoneum, ceteraq́ue neceſſaria parabis, vt nullare defectus exercitus, ſine vlla anguſtia ac perturbatione obſideat.* E contrario, ad primam Ducis eiuſdem diligentiam ſpectat, commeatum & reliqua neceſſaria ſubtrahere ciuitati obſidẽdæ, aut obſeſſæ. De quo eſt Leonis Documentum VII. tale. *Qui obſidionem incohat, accuratè conſiderabit, num rerum neceſſariarum aditum illis intercludere poſſit: vel aquam, vel commeatum, vel aliquid eius generis.* Nam profectò magnum obſeſſis telum & acutum eſt fames ac ſitis; moleſtior autem & importunior ſitis: ideoq; plurimas viris rebusque alijs omnibus optimè inſtructas arces & vrbes domuit: vt conſtat ex Ioſepho, (a) Polybio, (b) Lucano. (c)

QVOCIRCA prima cura Holofernis obſidẽtis Bethuliam fuit, aquam eripere obſeſſis, vt narratur in hiſtoria Iudith cap. VII. (d) Quam primum is obſedit ciuitatem circumiens gyrum, *reperit quod fons, qui influebat aquæ ductum illorum à parte Auſtrali, extra ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum. Erant autem non longè à muris fontes ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius, quàm ad potandum. Sed filij Ammon & Moab acceſſerunt ad Holofernem, dicentes, Filij Iſraël, non in lancea, nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti. Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos: vel certè fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putant in montibus poſitam ſuperari non poſſe.*

Et placuerunt verba hæc coram Holopherne, & coram ſatellitibus eius, & poſuit per gyrum centenarios per ſingulos fontes. Cumq; iſta cuſtodia per dies viginti fuiſſet expleta, defecerunt ciſternæ & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita, vt non eſſet intra ciuitatem, vnde ſatiarentur vel vna die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie. Hoc autem eſt ipſa penuria moleſtius. Nam vt obſeruat Ioſephus libro III. *Magis appetitũ proritat, quod liberum non eſt.*

TVNC tandem inceperunt agere de deditione. Siquidẽ, vt eſt in Codice Græco: *Exanimabantur infantes eorum: mulieres ac iuuenes præ ſiti deficiebant, & concidebant in vrbis plateis, portarumq́ue tranſitu, neque vllum amplius robur ſupererat.* Laborauit ergo ſollicitè Holofernes Dux, vt obſeſſis aquàm eriperet. quod fecit, ac ſubduxit omninò duplicẽ. Vna erat patula ac copioſa, quæ à montis parte inferiore, ſeu Auſtrali valle per canalem in vrbem influebat. Canalẽ igitur illum incidi quantocyus iuſſit, Altera minus copioſa, minuſq; patula, quæ pluribus è fonticulis modicè admodum ſcaturiebat: ita vt arentibus potius faucibus paullulum irrigandis & refocillãdis, quam ſiti depellẽdæ vel extinguendæ deſeruiret. Eam autem; cùm initio latuiſſet obſidentes, agnouit Holofernes, ſcribit Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ dicitur Scholaſtica, quod ijs in locis auiculas bibentes cerneret. Quod ſanè Rabbinicũ figmẽtũ ſapit, cùm in ſacro textu, illius dicantur fuiſſe indices Ammonitæ & Moabitæ.

LVBET aliquid addere ex noſtrorum tempo-

(a) *lib. 15 Antiq. 8. lib. 1. de capt. cap. 14. lib. 3 cap. 13* (b) *lib. 7. cap. 5* (c) *Luc. l. 4* (d) *Iudith. VII.*

temporum hiſtoria.(a) Antequã ſuperioribus annis, AMBROSIVS SPINOLA nominatiſſimus per Europam belli Dux obſideret planè Bredam (cuius obſidio omnium, quæ à multis annorum centurijs in vlla Europæ parte fuerunt, immò in Orbe vniuerſo, potuit eſſe epitome) exercitus illius ad extrema ferè veniſſet aquæ penuria. Quod ita accidit. Suaſerat Marchioni Comes *Henricus Bergius*, cui fides habebatur, quippe homini in militiâ, & ijs in locis diu verſato, vt cum exercitu Gilſæ in pago conſideret, hoſtemque diſtineret ancipitem. Multis diebus in conſultationem ac dubitationem conſumptis, exercitus Gilſenſi in pago languere animis cæpit. Quæ cauſſa? Flumē, quæ proxima caſtris aqua, duorū milliū aberat: putei, qui pauci reperiebantur, aut æſtibus areſcebant, aut vſu nimio exhauriebantur, aut extracta aqua adeò turbida erat, vt nō niſi longo temporis ſpacio liquieſceret ſubſideretque. Multos igitur ſitis impatiētia maximis anni caloribus adigebat ad inſalubris aquæ potum, vel è foſſis, vel è curruum orbitis hauſtum, quæ morbos efficiebat. Spinola incommodi admonitus, ne leuem aliquam auditionem pro re cōpertâ haberet (quo omnia ſibi eſſent exploratoria) Tribunos aliquot aduocatos interrogat, tāta-ne, vt monebatur, aquā di inopia miles laboraret? illi, aut vitium caſtrorum indicare veriti (quod auribus ſeruire mallet) aut ſuâ opulentiâ aliorum inopiã menſi, aquam ſuperare ſuis adfirmant. Monitor præſentibus Tribunis à Marchione Spinola accitus, dū fidē indicio præſtare pergit, commodū interuenit *Ioannes Comes Naſſauius*, legionum duarum Germanicarū Tribunus, qui militū ſuorū calamitate narratâ, monentis dicta ſuſtē tauit. Ac tum eorum, qui negauerat vnus, clã in aurē ingerit monitori, gratiã ſe indicij ei debere, quod facere ipſe iamuiſſet. Spinola re compertâ, puteos fodi paſſim imperauit, maloq; remedium inuentum fuit. Quadraginta panū millia ea cæli intemperie, quæ ſitim vſque adeò accēdit, fuēre in ijſdem caſtris corrupta. Tantum poteſt in caſtris aquæ penuria.

QVÆ magis quàm obſidentes vexat ciuitatē obſeſſam, quamuis in medio mari conſtitutam cuius exemplū producam nō omninò vetuſtiſſimum. ARMVZIA (b) eſt vrbs emporio imprimis inſignis, quæ & regno nomē dedit, & modicæ in qua ſita eſt, inſulæ ad oſtium ſinus Perſici. In vrbe ipſa Rex habitat, olim potētiſſimus, nunc ſtipendiarius Luſitani Regis haud Babylone procul, quā Turcæ Baged hodie nominant. Regio tota ſterilis. Nullus in arido ſitientique ſolo aquæ fons, nullæ ad opacandū arbores: nihil totâ fermè inſulâ ſeritur, telluris humorem abſumente vi ſalis, cuius paſſim natiui montes exiſtunt. Sulphurata præterea multis locis tellus identidem flammas euomit: quorumque memoriâ, tota inſula ſeptem ipſos annos arſiſſe fertur. Nullas quoque habet ferrea inſula volucres, nullū beſtiarum genus, ſiue cicurum, ſiue ferarum. Et cunctis non modò ad cibum, verum etiam ad potum rebus inuectis & importatis vtitur.

Accedunt calores intolerabiles, ac lōgē, quā ſub æquinoctiali linea grauiores: cuius æſtus cauſſam in exhalationes calidas ſiccaſque referunt, quę ex ſalſo ſulphuratoque ſolo vaporēnt. Itaque per æſtatem

Ccc 2

(a) *Obſidio Bredana. Herman Hugo, pag. 14. 15.* (b) *Ambroſius Spinola.* (c) *Armuzia obſidio. Orlandinus Hiſtor. Societ. lib. 12.* (d) *Æſtus pene intolerabilis.*

tem quibuſdam in nauiculis, puluillo capiti ſubiecto, vultu tantum extante, interdiu noctuque aqua merſi vulgo homines iacent. Quamuis autē tot incommodis infamis ſit interſula, loci tamen ſituſque opportunitas, quod Perſici ſinus oſtium obſideat, facit, vt ſit populoſiſſima: nam eò totius fermè Orientis mercimonia comeant. Quare Armuzia vrbs in admirabilem celebritatem frequentiamque perducta, à Iudæis, Mahumetanis, Abaſſinis, Armenis, Georgianis, alijſque pluximarum nationum ſectarumque Ethnicis, Chriſtianiſque permixtis, mercaturæ cauſſa confluentibus incolitur.

Hic, cùm Ordinis noſtri homines agerent, Anno M.D.LII. (a) repentè nunciabatur claſſem aduentare Turcarum. Eo allata nuncio vrbis Præfectus Luſitanus diuiſit Chriſtianos in duas partes, quia obſidionē metuebat diuturnam. Vnam recepit in arcē, alterā, ne multitudo grauis eſſet arci, præſertim in aquæ penuria, Mogoſtonū miſit, oppidū in Arabiæ continenti, ab Armuzia paſſuum millia ſex & triginta. Aduenit hoſtis. Sed DEI clementia non tulit, vt vacuā vrbē ingreſſi Turcæ arcē ipſam diuturna oppugnatione laceſſerent. Quā alioquin, maximè, ob aquæ inopiām in ſuam redegiſſent poteſtatem. Itaque cum ferreis globis aſſiduè quaterent, ac verberarent, globi ipſi vel grandioribus exploſis tormentis, quos baſiliſcos appellant, in hoſtem retorti, nullum figebāt ictum. Quo animaduerſo Barbari, præcipuo etiam ipſorum rupto multorum cum ſtrage tormēto, metuenteſque, ne ab Luſitana claſſe deprehenderentur, deſeruerunt incæpta. Itaque, vt initio dicebam, plurimum facit ad deditionem maturandam, aut hoſtem auertendum, & maximis afficiendum incommodis, ſubtrahere, ſi non omnem cibum & potum, ſaltem aquam hominibus iumentiſque maximè neceſſariam.

(a) *Orland. lib* XII. *num.* 123.

MEMBRVM II.

INDVSTRIA REGIS EZECHIÆ.

In auertenda aqua à caſtris obſidentium. Et augenda in vrbe Ieroſolymitana obſeſſa.

REx Ezechias *inito cum Principibus conſilio, (a) Viriſque fortiſsimis, vt obturarēt capita fontium qui erant extra vrbem, & hoc omnium decernente ſententiâ, congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes: & Riuum, qui fluebat in medio terræ: dicentes, ne veniant Reges Aſſyriorū, & inueniant aquarum abundantiam*: qua egebat potiſſimum exercitus Sennacheribi, qui conſtabat centum octuaginta millibus bellatorum, quorum fortaſſe pars magna erat equitum. *Obſerua.* Primum, quod in cōſultationem venit, præſide concilij Ezechiā, fuiſſe: Quomodo ſubducenda hoſti eſſet aqua? & decretum, conſenſu peritorum, id fieri poſſe, ac debere, obturatione fontium, puteorum, ciſternarum, ſcaturiginum, & fortaſſe torrentium ac fluuioli alicuius exſiccatione. Concilio vix dimiſſo exequitur Rex, quod iudicatum fuerat expedire, quamuis interim omnem ſuam ſpem fiduciamque in DEO protectore defixiſſet. Duo autē in hoc genere præſtitiſſe Ezechiam ſacer Bibliorum textus vel comme-

(a) *Libro 2. Paralip. capite 32.*

commemorat, vel inſinuat. *Primum* quidem obturaſſe eorum omnium fontium capita, qui hoſtibus aquarum ſubſidium præſtare poſſent. Et inter fontes, ipſum quoque torrentem Cedron exſiccaſſe demonſtrat (*b*) Ioann. Baptiſta Villalpandus in Apparatu Vrbis Ieroſolymitanæ, tomo tertio. (*c*) *Secundum*, ad ſubſidium ciuitatis fontes intra ciuitatem multiplicaſſe, ac prouidiſſe, vt in omnibus ciuitatis partibus piſcinæ eſſent, ac putei. Tum ne illarum partium incolæ aquarum penuria laborarent: Tum, ne incolæ per vrbem vagari quocumque obſidionis tempore cogerentur. Id enim perturbationes ac rumores, inter milites, noctu excubias in compitis, alijſque locis agentes excitare ſolet: præſertim in eâ vrbe, quæ quod pluribus eſſet cincta muris, pluribus etiam militum excubias agentium præſidijs indigebat: ideoque milites multis in locis perpetuo vigilaſſe haud eſt dubium. Quare & puteum & lacum inter duos muros extructum fuiſſe ab Ezechia oſtendit Vilalpandus loco paullo ante indicato. Qui illud etiam docet.

Cvm Rex vereretur, quod res erat, Aquæductum Salomonium poſſe ab hoſtibus aliqua ex parte ſubuerti, vt aquarum beneficio, quo fruebatur ciuitas obſeſſa fruerentur obſidentes hoſtes, obturauit ſuperiorem fontem aquarum Griſon, & auertit eas ſubter antiquum aquæductū, fodiens ferro rupem ad Occidentem vrbis Dauid: eodem ſcilicet loco, quo prius effluebant, hoc vno tantum diuerſo, quod Salomonis aquæductus ſublimior in plures vrbis partes aquas inducebat. Tandem, vt hæc aqua reciperetur, Ezechias inter duos muros extruxit locum, piſcinam ſeu puteum capaciſſimum. Tam ſtudioſè tamque operosè hæc omnia moliebatur Ezechias, quamuis certus Numinis addictione, Vrbem non capiendam. Nimirum, non ignorabat ſapientia diuina & humana excellens Princeps (quod iterum moneo) ita Deo fidendum, vt humana tamen omnia præſidia, rationi ac fidei dictamini conuenientia, nec Religioni aduerſa adhibeantur. Contrarium non eſt ritè confidentis, ſed temerariè præfidentis, ac ſtolidè præſumentis, & ſapientiſſimum Numen, à quo ratione donat ſumus ad nos tutandos, impiè tentantis. Nunc paulliſper ad Obſidionem ſpiritualem, ac tropologicam conuertamus ſermonem.

(a) *Torrens Cedron* (b) *Vilal. To. 3. p. 1. lib. 2. c. 19.* (c) *Par. 1. lib. 1. cap. 19 & lib. 3. cap. 16.*

Membrvm III.

VRBS ANIMATA HOMO

Ante Obſidionem: & dum obſidetur, habeat obturata capita fontium, quorum aqua vſui poſſet eſſe Obſidentibus.

Obsidet te Diabolus, cum omnibus ex Inferno adductis, & in vnum coactis copijs. Non eſt conſultandum, An commeatus omnis, panis & aqua, ſit hoſtilibus caſtris ſubtrahendus? nam de ijs de quibus haud dubitatur, non eſt conſultatio:

ſultatio: ſed quomodo id fieri poſſit, ac debeat? Optimus modus eſt, vt obturentur capita fontium.

Hoc decretum eſt in concilio bellico Animæ de ſalute ſuæ ſolicitæ. Qui ſunt autem fontes ac viæ, per quarum aditus vehitur ad caſtra Animam obſidentium Spirituum Tartareorum cibus & potus, quibus aluntur? Sunt Senſus exteriores, per quos tranſeunt ad interiora rerum diuerſiſſimarum formæ, quibus excitantur cupiditates ac deſideria, quæ Cacodæmoni, eiuſque ſatellitibus ſunt inſtar panis & aquæ, quibus reficiſcentur. Itaque his ſubtractis, fame ac ſiti conficientur, cogenturque obſidionem deſerere. Adde, exercitum infernalem, non paſci, niſi præda, ad quam capiendam ſenſus hominis, ſunt tanquam canes venatici in terrâ, accipitres in aëre, hami in aqua, hauſtra in puteo. Et, quod miſerrimum eſt, non capitur præda his inſtrumentis, niſi ex illa ipſa ciuitate, quæ obſidetur. Quo fit, vt, dum commeatus hoſti ſubmittitur, ciuitati obſeſſæ ſubtrahatur.

De hoc dolebat & conquerebatur in ſuis Threnis Propheta Ieremias: (*a*) *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* Anima eſt ciuitas, quæ obſidetur à Diaboli copijs, ſed hæ pabulum non habent niſi ex præda, quam capit, & in ipſa ciuitate obſeſſis diſtrahit infidelis Oculus, eamque bigâ ſua vehit ad caſtra hoſtium. O ſcelus quolibet dignum ſupplicio! Eruantur Oculi, proditores Reipublicæ. Sed non alio ferro, quàm Euangelico. Includantur non pyxidi amatoriæ, ſed perpetuo ad vanitatem nunquam videndam clauſtro. Quod faciunt Oculi circa colorata, id committunt Aures circa ſonora: Guſtus circa cibum, potumque: Nares circa odores: Tactus circa mollia: omnes Animæ obſeſſæ deprædatores. Hinc hoſti vberrimus ſemper in caſtris commeatus. Per eoſdem Senſuum veluti canales fluit ad hoſtem aqua deſideriorum noſtrorum, quâ ſitim reſtinguat. Vnde monet Eccleſiaſticus ſeriò: (*b*) *Ne des aqua tuæ exitum nec modicum. Apertæ ſunt portæ fluuiorum* inquit Vates Nahum (*c*) quid inde ſequutum? *Et templum ad ſolum dirutum eſt.* Si aperiantur portæ ſenſuum, vt capita fluuiorum, hoſtibus ſuppeditatur ad ſitim ſuam ſedandam frigida, ſicque ad vrgendam obſidionem animatur. Quo fit, vt ingredientes Animam, templum Mentis ad ſolum vſque diruatur: & quæ fuerat domus orationis, fiat ſpelunca latronum.

(*,*,*)

(a) *Threnor.* III. 51. (b) *Eccl.* XXI. (c) *Nahum* 2.

COM-

COMMENTATIO V.

MVRI. VALLA. MOENIA

Aedificanda, reſtauranda, ſtabilienda, ante, & in Obſidione.

MEMBRVM I.

MVRORVM AMBITVS

Vrbium & ante, & in Obſidione eſt tutela.

RVDE fuit & inconcinnum vrbium exordium. Neque enim initio ædes quæ iunctæ ad vrbem conſtituendam circumſcribebantur, muris cinctæ, aut propugnaculis munitæ erant. Sed vt Halicarnaſſæus eſt auctor, aggeribus tantùm & arborum truncis, ſiue in altum erectis, ſiue mox inter ſe contextis & implicatis cingebantur. Quomodo etiam Galli & Germani antiquitus Vrbes ſuas extruebant. Siquidem arborum truncos, aut trabes debitis interuallis diſtinctos in ſolo collocabant, eaſque denſo aggere veſtiebant, interpoſitis grandioribus ſaxis: & ea ratione, tum ab incendio, tum ab arietis robore muniebantur, cum ignem lapis, arietem agger, & trabes repellerent. Similes munitiones etiamnum cernuntur in Alpibus Tridentinis, Valle Telma, ac Heluetia. Tandem ad maiorem ſecuritatem & tutelam, creſcentibus, temporis decurſu, opibus, & induſtriâ, *Muri* exædificari, foſſæ duci, propugnacula excitari cœperunt; animaduerſa enim hoſtium aſtutiâ & arte in occupandis expugnandiſque pagis, & oppidis, laborandum fuit, vt firmius munirentur. Quocirca, qui oppidum aut vrbem ſuam ab hoſtium vi tutam reddere cogitabat, cingebat illam *Muro*. Quod à Romulo prouidè factum, quàm primum in Palatino monte ædificauit Vrbem, tunc quidem exiguam, ſed futuram deinde Orbis terrarum caput. Tanta autem illi cura de *Muro* fuit, vt cum Remus eius frater, per ludibrium nouum *Murum* trãſiſſet, à Romulo ipſo, vel eius iuſſu, à Celere ſit interemptus. Poſteà verò *Muralis Corona* fuit decreta illi, qui primus *Murum* hoſtilis ciuitatis aſcendiſſet.

QVONIAM verò, tantum eſt in *Murorum ambitu* præſidium, qui vrbem immunitam relinquere volunt, muris illam ſeu mœnibus nudant. Sic cùm M. *Cato* Conſul in Hiſpaniâ dominaretur, ac omnia penè in poteſtatem redigeret, cura illi fuit, ne deuicti ſe in poſterum poſſent defendere, *Muris* ciuitates ſpoliare. Itaque oppidorum Hiſpaniæ, cis Bætim fluuium mœnia vno die, illius imperio ſunt diruta, vt auctor eſt Polybius: nec ſolicitus fuit deinde, quamuis oppida eſſent & multa, & viris bellicoſis abundantia. Fuit enim, ſi quis alius, felix Cato in obſidẽdis & capiendis vrbibus. Nam ſcribit ipſemet, plures ſe cæpiſſe vrbes, quàm egerit in Hiſpaniâ dies.

Quod

Quod ſine iactantiâ ſcriptum, prodit Plutarchus: (a) Siquidem quadringentas fuiſſe ſatis conſtat, vt idem aſſerit. Apud Græcos nominatiſſimus Imperator *Lyſander* captis Athenis. *Muros* ex Ephororum ſententiâ demolitus eſt. (b) Id cum attentare vellet, rogatus à Cleomone Oratore iuuene; cur contra, ac Themiſtocles ageret, qui *Muros* ſtruxerat? reſpondit: Nihil equidē, Adoleſcens, diuerſum ago à Themiſtocle: quippe, eoſdem muros tam ille ad ciuium ſalutem excitauit, quam ago ad ſalutem eorundem diruo. Mox euocauit multos ex vrbe tibicinas, omnes etiam ex caſtris coegit. Tū muros deiecit die XVI. Munichionis, quo olim ad Salaminam Xerxem vicerat: naues incendit, ad tibiam ſimul coronatis ouantibuſq; Socijs, tanquam libertatis dies iſte foret auſpicium.

Nec inuſitatum fuit idem poſterioribus ſeculis, apud Chriſtianos etiam. Narrat Nicephorus, (c) poſt Marciani Imperatoris obitum, Genſericum, ea quæ in Africâ ditionis Romanæ ſupererant loca crebris excurſionibus afflixiſſe, & omniū vrbium, præter vnius Carthaginis, *Mœnia* diruiſſe. Eam namque regni Vandalici metropolim conſtituerat. At XCV. annis poſt, aſtus hic in auctores recidit. Beliſarius enim ex improuiſo, captâ Carthagine, Vandalorum Regnum Iuſtiniano ſubiecit. Procopio tyranno occiſo, mœnia Chalcedonis à Valente Imperatore, quam primum ſolo æquata ſunt, vt incolas ſine munimento relinqueret, quod Procopij factioni fauiſſent. (d) In Italia Gothici belli anno nono, Totilas (e) Rex Beneuentum vi captum ſubitò mœnibus nudauit, quod in ijs plurimum præſidij eſſet; ne locus ille alioqui naturâ munitus, ſedes belli fieret hoſtibus. Quod ſcribunt Sabellicus & Blondus. Vt corpus ſine veſte contra impreſſiones externas non eſt ſatis munitum, ita nec vrbs ſine Muro. Vnde Demanes à ſapientia commendatus apud Græcos, Mœnia ciuitatis veſtem dicebat: ephebos ver populi: Tubicinem, Athenienſium communem Gallum. (f) In muro benè firmo, maius eſſe, quam in militari manu, quæ procul aduocari debet, ſubſidij, miles ille ſignificabat, de quo hoc ſcribitur. (g) Quidam inuitatus à commilitonibus ſuis, vt cuidam (h) Italiæ oppido, quod ad Regem externum defecerat, vnà cum ijs vellet eſſe præſidio, ſi inquiebat, proprius loci dominus oppidum obſidebit, quis nobis ſuppeditabit auxilium? Tunc illi, Rex Taico. Miles tumulū quendam conſcendens, ô Rex Taico! ter alta voce inclamauit: cùm autem nullum ſibi redderetur reſponſum, conuerſus ad inuitantes dicebat; nolo illuc accedere, vbi qui mihi ſuppetias daturus eſt, auxilia implorantem non audiat. Ceteri, qui illuc acceſſerant ab oppidi regulo obſeſſi, expugnato oppido, capti & iugulati ſunt. Fabula hæc ſit, an ne, dicere non habeo: fieri ſanè potuit. Nos, tanquam fabulam habeamus, nec aliud inde ſumamus, quā quod noſtri eſt inſtituti: omnibus ſubſidijs maiorem præſtare ſecuritatē, vrbis internā externamque munitionem, quæ eſt à *Muro* inſuperabili & inexpugnabili.

Murum autem dū nomino *Mœnia* quoque intelligo, quæ præter *Muros*, comprehendunt

(a) *In Vita Cat.* (b) *Plutar. in Lyſandro.* (c) *Lib. XV. hiſtor. cap. 15.* (d) *Cuſpini. in Valent.* (e) *Sabellic. lib. 3. Ennead. 8. Blond. lib. vi. Deca. 1.* (f) *Athena lib. 3 c. 10.* (g) *Ioā. Gruter.* (h) *Ioā Gruter*

hendunt *Valla*, *Aggeres*, *Foſſas*, in quibus ponebant veteres ciuitatum tutelam, immò & prouinciarum ac regnorum. Qualia erant, qui vocantur *Muri Babylonici*, quos Semiramis vel condidit vel ruinoſos reparauit coctilibus laterculis, bitumine ferruminatis, ducentûm pedum altitudine, latitudine pedum quingentûm: adeò, vt quadrigas inter ſe occurrentes reciperent, turreſque haberent.

MEMBRVM II.

DILIGENTIA REGIS EZECHIÆ

In ædificandis reſtaurandiſque Muris: & reparandis Manibus Vrbis Ieroſolymitanæ obſidendæ.

ITAQVE prudenti admodum conſilio Rex Ezechias, vt vrbi mox obſidendæ quàm optimè proſpiceret, *Manibus* reficiendis, & antiquis *Muris* reparandis, ac nouis exædificandis dedit operam. Quare poſtquam obturata fuerunt capita fontium *agens induſtriè*, vt habet Sacer textus, *ædificauit omnem* Murum, *qui erat diſſipatus*. Cùm autem tres haberet *Muros* Vrbs Ieroſolymitana, Ezechias primum *Murum* totam vrbem vndequaque ambientem, nempe, *Murum* illum, qui relictus fuerat à Salomone, quique totum meridionalem, orientalem, & occidentalem antiqui *Muri* tractum claudebat, inſtaurauit. Deinde, refecit Occidentalem, & Aquilonarem *Muri* tertij partem, quæ vrbem Salem, & Acra complectebatur. Denique, totum *Murum* ſecundum illius regionis, quæ dicebatur Vrbs Bezeta. Quod ex eo probat Villalpandus quia dicitur ædificaſſe, quod vt conſtat ex Hebraico, (a) *Vaÿben*, non tantum primam ædificationem, verum etiam inſtaurationem, vel reædificationem ſignificat, omnem *Murum*: nempe, *Murum* Sion, Salem, & Bezetæ. His autem inſtauratis, ædificauit Ezechias ſiue extruxit ipſemet *Murum* nouum *forinſecus*, ſeu vt ex Hebræo verti poteſt, *ab extra*, vel ab exteriori parte. Quod etiam deprædicat Eccleſiaſticus in Elogio Ezechiæ capite xlviii. *Ezechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* Vbi extrinſeco illo *Muro* ſignificat Eccleſiaſticus Ezechiam muniuiſſe ciuitatem ſuam, Græcè, „αὐτοῦ, quaſi ἑαυτοῦ, *ſui ipſius*. Non quidem, ſicut aliorum quoque regum Iuda dicta eſt Ieroſolyma ciuitas, vt pote ſuæ ditionis, ac Imperij metropolis & caput: ſed, quemadmodum ciuitas Iebuſæi, poſtquam munita fuit à Dauide, ab eodē denominata eſt *Ciuitas Dauid* Lib. 2. Reg. Haud ſecus, pars illa, quæ extra mænia erat munita ab Ezechia, id eſt, nouo *Muro* cincta, dictaque deinde *Canopolis, Ezechiæ ciuitas* denominari cæpta eſt. Et hoc eſt, quod innuit Sacer Scriptor, cùm dicit: *muniuit ciuitatem ſuam.*

NEQVE *Muro* tantùm, *Turribus*, & firmis *Ædificijs*, verrùm etiam, vt ſuperius eſt

(a) (ויבן) *Vaÿben.*

eſt demonſtratum, aquarum præſidijs, quæ maximè neceſſaria eſſe ſolent belli ac obſidionis tempore, quorumque defectu neceſſe eſt perire infinitam hominum ac iumentorum multitudinem. De quo non ambigebat Rex Iſraël, qui quàm primum comperit defeciſſe aquam Libro IV. Regum, cap. tertio, dixit, *Heu, heu, heu, congregauit nos Dominus tres Reges, vt traderet in manus Moab.* Hac igitur ratione vrbem ab hoſtium obſidione liberari poſſe exiſtimauit Ezechias, ſi poſtquam Muros extruxiſſet, & ædificaſſet ciuitatem ſuam, in illam hoſtibus ablatam aquarum copiam induceret: quod feliciter effecit: nam vt ſubditur in Elogio: *Induxit in medium ipſius aquam.* Summam hanc fuiſſe induſtriam Ezechiæ Regis, nec deſiderati aliud potuiſſe ad ciuitatem conſeruandam, inſinuat Propheta Iſaias. Addit tamen, quod ſemper Principibus eſt inculcandum: Nihil omnia prodeſſe, niſi DEVS ciuitatem cuſtodiat, & fiduciâ in ipſum defenſionis gratiam obſeſſi mereantur.

PROPHETÆ verba ſunt Capite XXII. *Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris, & domos Ieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos: & lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinæ veteris; & non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecit eam, & Operatorem eius de longè non vidiſtis. Et vocabit Dominus* DEVS *exercituum in die illa ad fletum.* Quibus verbis, alluſione facta ad vaſtitatem, quam intulit Sennacherib, & ad prouidentiam Regis Ezechiæ, vaticinatur de calamitatibus extremis, quas Titus Imperator Romanus vrbi inferet, poſt Meſſiæ mortem & anaſtaſin, & hortatur ad pænitentiam hac ſchemate. *Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.* Deinde, calamitatem comparatione illuſtrat, dum ſubiungit: *Et congregaſtis aquas.* Quaſi dicat: Nunquid ad naturæ, induſtriæ, & virium præſidia confugietis, ſicut olim ſapientiſſimus Ezechias in ſimili occaſione? Scilicet congregabitis in piſcinâ inferiore maximam aquarum copiam, deducentes in eam aquas piſcinæ ſuperioris. Hæc ipſa indicantur libro IV. Regum vigeſimo cap. *Reliqua ſermonum Ezechiæ & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piſcinam & aquæ ductum, & introduxerit aquas in ciuitatem* (nempe, ſuam, quæ à Ioſepho (a) appellatur Cænopolis) *nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum Regum Iuda?* Iam denuo ad obſidionem ſpiritualem Vrbis noſtræ animatæ orationem flectamus.

(a) *Lib. VI. belli cap* 12.

MEMBRVM III.

MVRI VRBIS ANIMATÆ

Qui nam ſint. Et quomodo ſint reſtaurandi.

VARIIS Muris ſymbolicè cingitur *Homo*, tanquam *Vrbs murata.* Ageſilaus (a) à quodam interrogatus, quam ob cauſſam Sparta mœnibus non cingeretur?

(a) *Plutar. apophth. Lacon.*

retur? oſtendit ciues armatos & vnanimes. Hi, inquiens, ſunt Spartæ ciuitatis *Mœnia*: ſignificans *Vrbem animatam*, qualis eſt *Reſpublica*, nullo munimento tutiorem eſſe, quàm virtute ciuium conſentientium.

ARTICVLVS I.
MVRVS-CONCORDIA.

CONCORDIA eſt *Murus* firmiſſimus & *aheneus*. Quod alio tempore ſignificauit idem Ageſilaus, quæſito ſimili reſpondens his verbis: Ciuitatem non ſaxis, ligniſqúe, ſed pro vallis, ac mœnibus incolentium virtute muniri oportere. Quos ſi iungat *Concordia*, nullus eſſe poteſt Murus inexpugnabilior. Eodem ſpectabat Lyſander, qui cùm *Muros*, captis Athenis, diruiſſet, mirantibus quibuſdam, & fortaſſe indignantibus dixit: ſi Vrbes Muri redderent beatas, miſerrimam cenſeri debere Spartam, quæ *Muris* caret: inſinuans, beatiſſimam, tutiſſimamqúe nihilominus eſſe ciuium *Concordiâ*. Quare in vrbe obſidendâ, vel obſeſſa, & ante & poſt conſilium, ac deinde ſæpius agendum eſt de *Concordia*, ſi animaduertatur, vel minima ex parte labefactata.

DISCORDIA erat grauiſſima in Republicâ Romanâ inter Populum & Senatum, quando Populus, factâ ſeceſſione, iniuſſu Conſulum, in Sacrum Montem abiuit, trans Anienem amnem, tribus ab Vrbe paſſuū millibus. Ex diſcordia & ſeceſſione ortus eſt in vtraque parte metus. Timebat relicta ab ſuis plebs violentiam patrum: timebant Patres reſidem in Vrbe plebem, incerti manere aut eam abire mallent. Quam diu autem tranquillam, quæ ſeceſſerit multitudinem fore? quid futurum deinde, ſi quod externum interim bellum exiſtat? Nullam profectò, niſi in concordia ciuium ſpem reliquam ducere: eam per æqua, per iniqua reconciliandam Ciuitati eſſe. Sic igitur placuit Oratorem ad plebem mitti, Menenium Agrippam, facundum virum, & quod inde oriundus erat, Plebi carum. Is intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi ac horrido modo, nihil aliud, quàm hoc narraſſe fertur. (*a*) Tempore, quo in homine, non vt nunc, omnia conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique concilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio Ventri omnia quæri: Ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui. Conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa vnà membra, totumqúe corpus ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe, Ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis alienum, quam alere, reddentem in omnes corporis partes hunc quo viuimus, vigemuſqúe diuiſum pariter in venas maturum, confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc, quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in Patres, flexiſſe mentes hominū. Agi deinde de *Concordia* cœptū, conceſſūque in cōditiones, vt Plebi ſui eſſet Magiſtratus Sacro-Sācti,

(*a*) *Liuius* Dec. 1. *vide eundem Apolog. apud Ioannem Angelum Sareſberienſem in polycratico l. VI. c. 2. Baronium Tom. XII. Anno* 1155.

quibus auxilij latio contra Conſules eſſet; ne-ue cui Patrum capere eum Magiſtratum liceret. Ita Tribuni plebei creati duo in Sacro Monte, ibiq́ue lex lata, quam Sacratam dixerunt.

SI igitur, MVRVS CONCORDIAE diſſipatus fuit in Vrbe, reparandus eſt, per amicitiæ redintegrationem. Si plebeius offendit nobilem, petenda venia offenſæ. Si plebs Magiſtratui ſe oppoſuit, condonanda poſt ſubiectionis nouæ documenta, rebellio. Si Patricij populo fuêre iniurij, ſopienda alienatio. Haud ſequus in Ciuitate animatâ noſtrâ, ſi Senſus oppoſuit ſe Rationi, ad obedientiam eſt redigendus. Si Caro non benè conuenit cum Spiritu, huic illa eſt ſubijcienda. Si membra rebellarunt legi mentis, ad obſequelam rurſus ſunt traducenda. Denique nihil relinquendum in homine, quod non Concordiæ vinculis nectatur: ſicq́ue dicetur *Murus* hic diſſipatus reſtaurari.

ARTICVLVS II.
MVRVS-VIRTVS OMNIS.

VERVM, ſignanter dicitur, Ezechiam reædificaſſe, ſeu reſtauraſſe *omnem* Murum *diſſipatum*. Vnus *Murus*, iſq́ue firmiſſimus & altiſſimus eſt *Concordia*. Sed præter hunc, ſunt alij, quibus Ciuitas animata cingitur. Nam non eſt Virtus vlla, qua, velut Muro, Anima non circumdatur. *Murus* Vrbis noſtræ eſt Fides, *Murus* eſt Spes, *Murus* eſt Caritas, Humilitas, Temperantia, Fortitudo, Prudentia. Virtutes Chriſtianæ *Muri* ſunt Chriſtianorum: de quibus rectè dixeris, quod eſt Ioſue XXIV. ſecundum lectionem antiquam: *Clauſis portis*, *murorum ambitu ſe defenderunt*. Optimè defenditur Ciuitas noſtra horum ambitu *Murorum*. Immò, redditur inexpugnabilis, multo verius, quam Vrbs Ieroſolymitana, de qua eam perſuaſionem habuiſſe Regem Agrippam ſcribit Ioſephus, cuius eadem fuit opinio, vt conſtat ex his eius verbis, lib. XIX. Antiq. cap. 7. *Conuerſus Agrippa ad Ieroſolymorum curam*, Muros *noua*, *quæ vocatur*, *Vrbis muniebat ſumptu publico*, *latioreſq́ue & altiores*, *quàm olim fuerant*, *reddebat*. *Et feciſſet aduerſus omnem humanam vim inexpugnabiles*, *ni Marcus Syriæ Præſes Claudio Cæſari ſignificaſſet eam rem per litteras*. *Qui ſuſpicatus molituros aliquid noui*, (a) *diligenter ſcripſit Agrippæ*, *vt à muniendâ Vrbe deſiſteret*. *Atque ille mox paruit*.

MAGIS inexpugnabilis redditur Anima virtutibus, quàm fuiſſet Ieroſolyma *Muris*, modò ſint firmæ, & ſolidæ. Quælibet verò ex ijs, vel labefactatur, vel diſſipatur, ac omninò corruit, per vnicum peccatum mortiferum. Quocircà ad obſidionem fortiter diuque tolerandam, ædificandus eſt, & inſtaurandus omnis *Murus* diſſipatus. Omnis virtus per Confeſſionem Sacramentalem reparanda: quicquid detritum eſt, contritione ſacrâ innouandum: quicquid concidit, nouo emendationis propoſito erigendum: denique, quicquid labefactatum eſt, in priſtinum per pænitentiam ſtatum eſt reponendum.

(**)

AR-

(a) *Vide Vilalpand. Tom. 3. Apparat. Temp. par. 1. libro 2. cap. 18.*

ARTICVLVS III.
MVRVS-HVMILITAS.

IAM verò, magis peculiariter, deſcendo ſub amplo Virtutum genere, *Murus* ſolidus eſt HVMILITAS. Ita illam cõcipiebat S. Chryſoſtomus homilia xx. in Epiſtol. ad Romanos ſic diſſerens: *Nihil* Humilitate *potentius. Fortior eſt petra, & adamante ſolidior. Et in maiore ſoliditate, ſecuritateque nos collocat, quàm queant, vel* Muri, *vel Turres, vel vrbes. omnibuſque machinamentis Diaboli ſublimior facta, inſuperabiles facit. Quemadmodum vuiſſim Arrogantia quibus libet faciles captu reddit.* Idem Græcus Orator homilia xxv. In Geneſim. *Si hoc fundamentum* Humilitatis *rectè tenerit, poterit, in quantam ſublimitatem ſtructuram excitare. Hæc maxima eſt* Munitio. *Hæc* MVRVS *inconcuſſus. Hæc* Turris. *Hæc omne continet ædificium, ne vel à ventorum violentiâ, vel ab imbrium impetu, vel ab Spirituum vi deijci queat. Sed omnibus inſidijs inacceſſum, & inuictum facit, quaſi ex adamante conſtructum eſſet.*

EST igitur, ſenſu Chryſoſtomi, HVMILITAS MVRVS *inconcuſſus, inacceſſus, adamantinus, turritus, pinnatus.* Quicumque igitur *Humilitate* caret, & turget *Superbiâ*, eſt tanquam *Vrbs patens*, & abſque *Murorum ambitu*, in quam hoſtes irrumpere, ſigna inducere, ac ſpoliare & diripere facilè poſſunt. Quod dixiſſe videtur Sapiens Prouerbiorum xxv. vbi hæc habetur ſimilitudo. *Sicut Vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere Spiritum ſuum.* Ex Hebræis enim non pauci, per *Spiritum*, intelligunt Superbiam: vt ſæpe aliàs in Scriptura-Sacra. Illud autem, *In loquendo*, abeſt in originali. Itaque hunc in modum inducunt Sapientem loquentem: Vir, qui faſtum opprimere, & ſuperbiam coërcere non valet, nihil diſſidet ab *Vrbe*, quæ *Muris* ſolo æquatis, hoſti eſt peruia.

ARTICVLVS IV.
MVRVS-MANSVETVDO.

QVOD ſi per *Spiritum*, ira atque indignatio intelligatur, quorundam ſenſu, (a) *Manſuetudo Murus* erit inconcuſſus. Siquidem Vir, qui Spiritum ſuum, id eſt, iracundiam ſuam Manſuetudinis munimento non continet, comprimitque, vrbem imitatur, diſſipato, e terſoque *Muro* patentem, atque hoſtibus ſuis peruiam. Ita eſt. Nam Manſuetudine diſiecta per iracundiam, homo ſui impotens, quicquid virtutis, quicquid rationis, quicquid bonorum morum, inſtar *Muri* multiplicis, illum poſſet cingere, & ab irruptionibus Diaboli tueri, id totum euertit ac ſolo adæquat. Animus enim ira percitus, niſi Manſuetudine prematur, cuilibet tentationi, & incurſui hoſtili quoquò verſum patet. Quare aliqui legunt: *Qui non cohibet iram ſuam, eſt ſicut Vrbs patens, & abſque murorum ambitu.* Quæ doctrina veriſſima eſt.

Ddd 3 ARTI-

(a) *Quirin. Salazar Prouerbior, xxv.*

ARTICVLVS V.

MVRI-PRÆCEPTA SAPIENTIÆ.

QVIDPIAM haud multum ab eâ diuerſum ſuggerit Plutarchus in ſuis Moralibus, vbi depingit *Iram* veluti *Tyrannum* crudelem Sennacheribo haud abſimilem, obſidentem noſtram Vrbem, eamque imprimis Manſuetudine, tum alijs Virtutibus, tanquam Muris nudantem. Et idcircò monet, vt ad hanc *Obſidionem*, non tam ferendam diutius, quàm ſubitò diſſipandam aduigilemus. Quemadmodum, inquit, *qui expectant* Obſidionem, *colligunt ac deponunt pecuniam, atque omnia parant ſub hoſtium aduentum: ita aduerſus inſultus iracundiæ* Præceptis Philoſophiæ *muniendus, & inſtruendus eſt animus.* Nimirum, *Præcepta morum* hauſta ex Philoſophia pro *Muris* habenda ſunt, quorum obiectu Tyrannus Ira munitam Animam fruſtra inuadat. Alioqui facile eâ, tanquam ciuitate ablatis *Mœnibus*, patula, potitur, & ratione, quæ dominabatur, pulsâ, incolas miſerrima ſeruitute opprimit.

QVOD animaduertit Philo Hebræus, Opuſculo illo, quo probat, *Quod omnis probus ſit liber: Quemadmodum* ſcribens, *ciuitates tyrannidem ferentes ſeruiunt oppreſſa moleſto imperio: ſicquoque homines, qui in iræ poteſtatem veniunt, omnes ſeruitutem grauiſſimam ſeruiunt.* Contra hunc Tyrannum, eiuſque *Obſidionem*, hominis iuſti Vrbs ſeſe comparare, ac munire debet Præceptis Philoſophiæ, non tam profanæ, quàm Sacræ, & Chriſtianæ, quæ eſt vera Sapientia, quia ſunt velut firmiſſimus *Murus*, quo anima cingitur, vt hoſti non pateat. Neque illud eſt negligendum, quod monebat Plutarchus; defodi in terram ſolere ſupellectilem ante *Obſidionem*; haud ſequius ſiquid precioſæ ſupellectilis ſit in Animo, id defodiendum eſſe, ne in hoſtis præferocis poteſtatem veniat: hoc eſt, arcana ſecretaque menti concredita, ita in penetralibus recondenda ſunt, ne ab iracundia in apertum protrahantur, & velut merces in propatulo exponantur, aut tanquam præda capta in foro. Quod ſolet facere Ira, proferendo tumultuosè, quæ catenus latuerunt, aduerſarij in quem inſurgit, quamuis occultiſſima crimina, defectus, dedecora. Quam verè dixit Sapiens: *Sicut Vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere Spiritum ſuum.*

ARTICVLVS VI.

MVRVS ÆQVANIMITAS.

NON ineptè pro *Muro*, quidam habent *Moderationem* animi, ſiue *Æquanimitatem*. Nam cui hæc eſt, impetum quemlibet, abſque damno facilè ſuſtinet. Duxit me in hanc cogitationem Cardinalis Caietanus, qui exponens ſymbolum *Vrbis patentis*, abſque *Murorum ambitu*, ita Sapientis mentem exponit: vir in quo ratio non viget, nec *Moderatio*, atque adeò prauis appetitionibus, alijſque animi motibus, ac impulſibus, non obſiſtit: breuius & obſcurius Caietanus: *Vir, cui non reſiſtentia Spiritus*: ſimilis eſt vrbi, quæ vallo ac muro caret, hoſtiumque irruptionibus eſt peruia. Verum eſt hoc haud dubiè,

ARTI-

Articvlvs VII.
MVRVS-SILENTIVM.

AT enim, alius omninò *Murus* deſignari videtur in Symbolo Sapientis, ſecundum editionem vulgatem Latini Interpretis, qui Vrbi patenti, & abſque murorum ambitu comparat Virum, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Quod ita luculenter exponit S. Gregorius in Paſtorali, (a) *Anima totam ſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit, quam nulla munitio cuſtodia circumcludit. Vnde Scriptum eſt:* Sicut Vrbs patens, & abſque Murorum ambitu, ita Vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. *Quia enim* Mvrvm Silentii *non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cùm ſe per verba extra ſeipſam ejicit apertam ſe aduerſario ſuo oſtendit. Quam tanto ille ſine labore ſuperat, quanto ipſa, qua vincitur contra ſemetipſam, per multiloquium pugnat.* Itaque Magnus iſte Pontifex, *Muri* vrbem vndique circum cludentis nomine Silentivm intellexit.

Articvlvs VIII.
MVRI-DENTES ET LABIA.

A Quo haud procul abit S. Chryſoſtomus, qui homiliâ peculiari ad Baptizandos de naturali linguæ & oris ſtructurâ diſſerens, *Murum* duplicem in Vrbe animatâ conſiderat: nempe, Dentium, & Labiorum, quibus Lingua, Animæ imago viua cingitur, ſimulque Anima, quæ in illâ reſidet. Sint itaque *Muri, Dentes & Labia. Armetur*, inquit Conſtantinopolitanus Orator, (b) *Lingua aduerſus peccata tua, non aduerſus plagam* (nempe, murmurando, aut blaſphemando, prætetur) *Et ideò*, Devs *illam, velut* Muro *duplici voluit circumdari. Nam* Dentium *tegmine*, & Labiorum *cuſtodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur, Refrena igitur* Linguam, *&c. ſi non patitur frenum, quo dometur, & reticeat*, Dentium *morſu appetatur, & quieſcet.* Clarius, tanquam carnifici tradatur dentibus. Seuera ſententia: ſecundum quam, ſi linguam compeſcas, non facile quicquam, cuius te deinde pæniteat, proferes.

Articvlvs IX.
MVRI-TIMOR DEI ET HOMINIS

ERvditvs Sacræ-Scripturæ Interpres, D. Chryſoſtomi mentem excutiens, exiſtimat, illum in ore *Murum* & *Vallum* conſtituere, vt *Dentes*, *Muri* adinſtar obtineant, *Labia* verò *Vallum* præ ſe ferant: & commendare Naturæ ſolicitudinem, quæ duplex illud munimen *Linguæ* & in ea, Menti humanæ, cuius illa eſt interpres, addiderit. Benè habet. Sed non minor eſt Gratiæ ſolicitudo, quæ duplicis *Muri* munimento Linguam, & in eâ Animam, quam lingua defert, circumcinxit. Qui ſunt *Muri* illi? *Timor* Dei, & *Timor Hominis.* Siquidem, cùm Linguæ procaci, mordacique, laſciuæ quoque & vaniloquæ, ac vniuerſim, effreni, non à Deo tantùm, ſed etiam ab hominibus malum immineat, ad eam com-

(a) *Libro* III. *Admonit.* 15. (b) *Armanda lingua contra peccata.*

compeſcendam duplici *Muro* fuit opus, quem Gratia exædificare ſolet, *Timorem* ſalubrem iniiciendo, tum DEI, tum Hominis. Niſi & hic comminiſci lubet, ac dicere, quod in idem recidit, mutatis ſymbolis, *Timorem* Hominis, *Valli* locum obtinere, *Timorem* DEI, *Muri* adinſtar eſſe.

HIS munimentis cùm careat, quiſquis in loquendo non poteſt cohibere ſpiritum ſuum, rectè Sapiens eum, qui tacere nequit, dicit eſſe ſimilem Vrbi vndequaque patulæ. Quæ comparatio, cùm multa contineat ad mores & pietatem accommodata, duo potiſſimùm exprimo. *Vnum*, quod vrbs *Muris* carens, ideoque aperta, hoſtibus ſit peruia. Hoſtes ciuitatis animatæ ſunt Vitia, quibus patentiſſimus eſt aditus in Animam, quã *Muri* hactenus expreſſi non cingunt. *Alterum*, quod in iſtiuſmodi vrbem omnis generis merces inferre & efferre ſit facile: maximè, ſi nullus cuſtodiæ præſit. Cerne Animam, nullo humilitatis, moderationis, ſilentij, timoris *Muro* circumdatam, quicquid dicitur, quicquid fingitur, quicquid aliunde apportatur, in illam protruditur, quia patentiſſimus eſt aditus, quem non cuſtodit Ratio, quæ nonniſi benè muratæ præſidet, & quæ inferuntur, atque exportantur ſolerter explorat. Cuius officium ac neceſſitatem ita exaggeratè declarat S. Chryſoſtomus, (a) Quemadmodum non iuuant Vrbs, non mænia, non portæ, niſi ſint, qui eas cuſtodiant, & ſciant quando oporteat eas claudere, quando verò aperire: ita oris ac linguæ, tanquam *Muris* nudatæ vel portis carentis, immò benè cinctæ nulla eſt vtilitas, niſi ſit RATIO quæ ſcienter, accuratè, & circumſpectè, aditum nunc patentem relinquat, nunc claudat: & deſignet, quæ inferre conueniat, quæ efferre oporteat, denique, quibus aditus occludendus, vt non admittantur.

ARTICVLVS X.
MVRVS-PRVDENTIA.

SAPIENTISSIMI Salomonis ſimilitudinem illam toties repetitam referunt LXXta Interpretes Græci, ad Hominem temerarium, ac *Prudentiâ* deſtitutum. Quamobrem *Prudentiam*, haud ſecus ac *Murum* Vrbis animatæ conſiderant. Sic autem legunt. *Sicut Vrbs* Muros *deiectos habens: & non* Murata: *Sic vir, qui non cum conſilio quid agit.* Sed, eſt ne diuerſa, *Vrbs* Muros *deiectos habens, &c, non Murata?* Reſpondit ingenioſus Interpres Salazarius, poſſe diuerſitatem deſignari, ſi copulatiua, *Et*, idem valeat, quod disiunctiua *Vel*, hoc ſenſu. Sicut Vrbs, cuius Mænia conciderunt: vel, quæ nunquam *Mænibus* fuit cincta. Quo pacto duo deſignantur hominum genera: eorum videlicet, qui cùm *Prudentia* pellerent, eám abiecerunt: & eorum, qui nunquam *Prudentia*, & *Conſilio* vſi ſunt, ſemper temerarij. Aut, ſi hoc magis arridet: *Vrbs* Muros *deiectos habens*, *& non Murata*, dici poteſt Vrbs, cuius *Muri* primùm diſſipati, nec poſtea inſtaurati ac refecti ſunt. Cui adſimilis dicitur is qui *Prudentiam* ac *Conſilium* in rebus agendis mini-

(a) *Homil. in Pſ. cxl.*

minimè adhibet. Inde enim conſequitur, vt quæ ita fiunt, & facile diſſipentur, & nunquam reſtaurari poſſint.

ADDIT aliquid ad comparationis energiam, Philo Hebræus, (a) Virum prudentem conferens cum Vrbe & Muro benè firmo, & fortium virorum præſidio munita. *Quemadmodum*, ait ipſe, *ciuitatum tutißimum munimentum viri fortes ſunt, pro manibus ſtantes: ita in vniuſcuiuſque noſtrum Ciuitate, quæ conſtat ex Anima & Corpore pro firmißimo propugnaculo ſunt cogitationes Prudentia.* Iuxta quam commentationem, rectè dixeris: Vrbem *Muros* deiectos habentem, & non *Muratam*, ſeu *Munitam* eſſe, quæ caret, *Muris* ac militum præſidio. Siquidem vbi deſunt *Muri*, Viri fortes ſunt pro *Muris* adamantinis. Itaque homo imprudens, ac temerarius, non vtens conſilio ac *Prudentia*, dum quidpiam eſt agendum, Vrbs eſt carens *Muris* ac militum præſidio. Nam vbi non eſt conſilium, non eſt fortitudo, quæ comes eſt Prudentiæ, cuius cogitationes, vt rectè dixit Philo, ſunt fortiſſimi milites.

ARTICVLVS XI.
MVRVS
CONSTANTIA PERSEVERANTIA.

VTRAMQVE, ſi tamen re diuerſæ ſunt, firmiſſimum eſſe *Murum*, colligo ex difficili illo reſponſo, quod dedit Amator cæleſtis Canticorum VIII. Cùm enim interrogaſſet Soror ætate maior, quid faciendum ſororculæ, adhuc tenellæ, nec nuptijs habili: quaſi quæſiuiſſet: quo pacto illum ornabimus, comemus, augebimus, & ad ſtaturam conuenientem Sponſæ perducemus? Reſpondit Sponſus: *Si* MVRVS *eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Senſus eſt, qui eruitur ex originali, & circumſtantijs. Ego haud decero ſororculæ: ſupplebo quod deeſt illi dicis: ea tamen lege, ſi firma ac conſtans in amore & cultu meo perſeuerer, perſtans inſtar *Muri*. Hîc ſine ambiguitate MVRVS ſymbolicè *Conſtantiam*, ac *Perſeuerantiam* ſignificat. Et quidem, ſi referatur ad Eccleſiam Chriſti Sponſam, initio teneram, ſpondet, ſi firma in fide ac DEI cultu perſtet, prout à Spiritu Sancto erat edocta, additurum ſe illi inſuper robur, maiuſque robur: multis gratijs ac donis ſeſe illam, vt murorum pinnis ac propugnaculis vallaturum & exornaturum. In Eccleſia autem tanquam *Muro*, *Turrium* ac *Pinnarum* argentearum inſtar ſunt Doctores, ac Cóncionatores, idonei, qui ipſam ornent, ac tueantur.

MVRVS, inquit Angelomus, haud ignobilis Canticorũ explanator ſignificat fortes in fide, aut claros ingenio, aut propetiã inſtructos. Quibus pollicetur ſe additurum *Propugnacula argentea*: nempe, ſcientiam Scripturarum vt ſic facilius queant protegere infirmos atque indoctos. In hoc *Muro* Pinnas argenteas interpretatur Philo Carpathius, Sanctitatis & Probitatis excellentiam, præceptaque ſalutaria Sponſi, argenti & auri inſtar lucentia & ignita. D. Gregorius per argentea *Propugnacula* intelligit Miracula. Tres Patres antiqui Canticorum Interpretes, myſticos legalis litteræ ſenſus. Si Anima Murus eſt, inquit Honorius, id eſt, ſit ſtabilis, *ædificemus ſuper eam Propugnacula argentea*: inſtruamus eam ſententijs Sacræ-Scripturæ elo-

(a) *Lib. de ſacrif. Cain & Abel.* (b) *Sententia 55.*

quen'ià lucidis, quibus ſe à tentationibus muniat, & alios ſe à vitijs abſtinere doceat.

ARTICVLVS XII.
MVRVS - ECCLESIA CATHOLICA.

ECCLESIÆ Catholicæ eſt gloriatio, Canticorum VIII. *Ego Murus, & Vbera mea ſicut Turris.* Ego ſum *Murus* firmus propugnaculis argenteis nitens, & gemino Vbere, vt Turribus paribus munita. Solent Hebræi, quicquid eſt eminens Turribus comparare: vt Naſum, Canticorum VII. Quare aptiſſimè, ſi Pectus Sponſæ conſtans in fide, & perſeuerans in amore ſimile eſt *Muro*, colliculi de pectore eminentes Turribus adſimilantur.

MVRVS eſt Eccleſia Catholica Romana, ſupra firmam petram ex viuis lapidibus ædificata, & calce caritatis ſolida, Cui Vberum, lacte turgentium loco, prouiſum eſt de Teſtamento duplici quorum vtrumque plenum eſt humore dulciſſimo, ſuper lac & mel: nempe, præceptis duplicis dilectionis, DEI ac Proximi. Nec deſunt in Eccleſia Doctores, qui vitæ Exemplo & Doctrinâ ſupra ceteros, inſtar Turrium, eminent, ac malorum conatibus obſiſtunt. Ita ferè Philo, Caſſiodorus, Beda, Alanus, Angelomus, VVilhelmus, & ex ijs Delrius.

(∴)

ARTICVLVS XIII.
MVRVS-ANIMA IVSTI.

HÆc dicere poteſt; Ego DEI munere ſum *Murus*, fide munita, & caritate refecta. Et vbera mea quæ mihi donata, Iuſtitiæ officijs comprobata, diuina Gratia Duce, me ad altiſſimum probitatis, ſanctitatiſque gradum, Turris inſtar, euexerunt. Ibi autem inferiora omnia deſpiciens, ab omni rerum humanarum ſolicitudine, perturbatione, curâ libera requieſco. Huc facit Honorij Interpretis explicatio, apud quem *Anima fidelis*, Prælatorum doctrinis vt opificum lapidibus ædificata, & Patrum exemplis ornata, clamat Secularibus: Vos, qui in ſeculi negocijs laboratis, meo exemplo, quaſi per oſtium, in ſpiritualis vitæ requiem intrate: quia ego vobis prius ſimilis, in peccatis labilis, facta ſum, vt MVRVS, in ſpiritualibus ſtabilis: & *Vbera mea*, id eſt, doctrina vitæ meæ, vt Turris, inexpugnabilis.

ARTICVLVS XIV.
MVRVS-MAGISTER MORVM.

QVOT ſunt in Eccleſiâ DEI voluntatis diuinæ Interpretes, quot Eccleſiaſtæ, Concionatores, Confeſſarij, morum Magiſtri, Patres ſpirituales, denique, quot viri pietate & doctrinâ ex[illegible], tot ſunt Muri. Nam ſingulis dictum eſt, dum deſtinarentur ad ſuum munus à Dictatore ſummo: *Ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in Columnam ferream, & in* MVRVM *æneum*, Ieremiæ I. id eſt,

id eſt, velut *Ciuitatem, Columnam, Murum.* Eſt eorum quilibet Ciuitas munita, quæ hoſtibus quibuſcumque ſuis propugnaculis & mœnibus poteſt obſiſtere. Eſt inſtar Columnæ ferreæ, quæ onera quælibet ſibi impoſita poteſt ſuſtinere. Eſt quaſi *Murus æreus*, qui bellica tormenta ſine læſione excipit, & globos lapideſque repellit: æreus, quia, vt commentatur S. Hieronymus nulla violatur rubigine, nec ab imbribus maledicentiæ & contumeliarum damnum accipit. Eſt *Murus*, objiciens ſe periculo pro omnibus ſuæ fidei commiſſis. *Murus*, qualem per exprobationem deſignat DEVS apud Ezechielem: (a) *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis* (Vos) Murum *pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Murus *æreus*, vt ſonum edat, ne ſit mutus, dum clamandum eſt ex ſpeculâ, hoſte aduentante: ſonorus verbi prædicatione. Glorioſum eſt illud encomium: (b)

Tu Præſidium Phrygibus feſſis:
Tu MVRVS eras, humeriſq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Agathonis Abbatis laudatur illa ſententia in Vitis Patrum: Si habitas cum proximo, eſto, ſicut *Columna lapidea*, quæ, ſi iniuriatur, non iraſcitur, ſi glorificatur, non extollitur.

ARTICVLVS XV.

MVRVS-PASTOR ANIMARVM.

QVILIBET in Eccleſiâ DEI qui curam habeat animarum, vt Paſtor gregis ſibi concrediti, MVRVS eſt, certè, debet eſſe, opponens ſe pro ouiculis ſuis, & domo DEI, quibuſcumque irruentibus ac infeſtantibus feris. Quoniam autem paſtorale officium abſque ſacrarum ſcientiâ Scripturarum, rectè non exercetur, oportet illi addere *Propugnacula*, atque ea quidem, per nitorem diuini eloquij, argentea. *Eloquia* enim *Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Ita ferè diſſerit Gulielmus Canticorum explanator.

ARTICVLVS XVI.

MVRVS - CANDIDATVS MARTYRII.

SI quis ita fortis eſt, inquit Abbas Rupertus in Cantica, vt ad veræ confeſſionis, ac Martyrij laudem aſpirans, tormẽta, vel opprobria ſuſtinere queat, hic vtique MVRVS eſt, iuxta illud: *Ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in Columnam ferream, & in* Murum æreum: *& bellabunt aduerſum te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum.* Ieremiæ I.

HVIC *Muro* adiungit Sponſus Eccleſiæ ſuæ, ſuorumque defenſor clientum, *Propugnacula argentea*: quia ſuggerit, quæ ſunt neceſſaria veritatis teſtimonia, vt non minus reſpondere ſciat, qui eſt rudis, & idiota, quàm ſi legiſſet Legem & Prophetas. Siquidem promiſit ſuis Candidatis: *Cùm ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite præmeditari qualiter reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri* Matthæi XVIII. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Profectò, ſi benè conſideres reſponſiones, ac dicta

(a) *Cap. XIII. 5.* (b) *Seneca Troad.* (c) *libro VII. cap. 42.*

illorum,qui Martyrij candidati, ante tribunalia intrepidi Iudicibus reſponderunt,enunciabis,fuiſſe *Propugnacula argentea*,caſta,ſonora,ſplendida, ſuper argentum & aurum decora.

ARTICVLVS XVII.
MVRVS-PROTECTIO DIVINA.

APOCALYPSIS XXI. deſcribitur *Murus* Ieroſolymæ cæleſtis,latiſſimus,longiſſimus,altiſſimus. Per *Murum* autem illum ambientem Vrbem,ſymbolicè ſignificatur *Protectio diuina*,quæ gloriam Beatorum in omnem æternitatem tuebitur. De quâ Iſaiæ XL. *Occupabit ſalus* Muros *tuos, & portas tuas laudatio.*

ARTICVLVS XVIII.
MVRVS-CHRISTVS.
Angelorum Cuſtodia. Apoſtoli. Doctores. Prælati. Martyres. Euchariſtia.

ITA *Murum* Eccleſiæ concipiunt, ſecundum myſterium diuerſi Patres, & Sacræ-Scripturæ Interpretes. A S. Gregorio nominatur CHRISTVS. De quo Iſaias cap. XXVI. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea Murus & Antemurale.* Senſus eſt, IESVS CHRISTVS Saluator,eſt Vrbs fortitudinis noſtræ: id eſt, fortitudo noſtra, protectio noſtra ſecura: habitatio quieta inſtar Vrbis Sionis eſt Chriſtus, quia ipſe erit Murus & Antemurale noſtrum. Ipſe inſtar Muri & Antemuralis fortiſſimi tuebitur, & muniet Beatos in cælo. Diſtinguit Murum ab Antimurali S. Gregorius homil. XIV. in Ezech. ita diſſerens: *In Sancta Eccleſia Dominus* (Chriſtus) *Murus nobis, & Propheta eius Antemurale ſunt poſiti. Quia ad nos, quos ipſe perfectè protegit, etiam Prophetarum verba in fidei conſtructionem venerunt.* Reuera IESVS Saluator eſt fortitudo noſtra, Murus & Antemurale: nam quicquid Arx, caſtrum, vrbs habet præſidij à Muro & Antemurali, id totum & multo amplius habemus à IESV Saluatore. Quem conſiderat Rupertus Abbas in EVCHARISTIA. Quæ quàm ſit firmus *Murus* experta eſt B. Clara, quæ non alio monaſterium ſuum cinxit, nec Aſſiſium ciuitatem, cum obſideretur à Saracenis, quorum iacula fuerunt, vt ſagittæ paruulorum, quippe in *Murum* impenetrabilem.

ARTICVLVS XIX.
MVRI-SACERDOTES.

HI Eccleſiam DEI cingunt, tuentur, & Sacrificium Euchariſtiæ offerunt, ſuntque XXIV. Seniores Apocalyptici. Vnde cùm *Murus*, (a) qui deſcribitur in Apocalypſi, habuerit cubitos CXLIV. adæquatur iſti numero. Siquidem ſinguli ex XXIV. Senioribus ſenos habebant cubitos ſtaturæ humanæ. (b) Iā multiplicemus VI. per XXIV. habebimus CXLIV. Significatur igitur, Sacerdotum munus eſſe, vt ſe *Murum* pro Eccleſiâ opponant. Ideoque congruè tribuuntur *Muro* viginti quatuor humanæ ſtaturæ dimenſiones, quaſi omnes Sacerdotes coniuncti inter ſe ſint ad offerendum Eccleſiæ Sacrificium, & ad Eccleſiam eâ ratione communiendam.

Ita

(a) *Cap. XXI.* (b) *Cubitus.*

Ita commentatur Apocalypſis interpres egregius Ludouicus Alcazar. (a) Quæ tamen difficultate non carent: nam cubitus ex communi dimetientium opinione, eſt quarta pars ſtaturæ humanæ, non ſexta: cetera etiam magis videntur ex ingenio ſubtilia, quàm ſolida: vt opinatur Cornelius, admitti tamen poſſunt, partim vt myſtica, partim vt tropologica, quæ nos potiſſimùm ſpectamus.

ARTICVLVS XX.

MVRVS–ECCLESIA SANCTA.

GLORIARI poteſt Eccleſia, & dicere: *Ego* MVRVS, quia ipſe ædificauit me, qui fortiſſimus pugnat pro me. (b) *Et Vbera mea, ſicut Turris.* Hi, qui conſtruente DEO, in proceritate iuſtitiæ creuerunt, & in me paruulos, qui in Chriſto ſunt nutriunt; & donec ad perfectionis cibum perueniant, nutrire non deſinunt: quoad vſque ijs voce Sapientiæ dicatur quod eſt Prouerbiorum IX. *Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias Prudentiæ.* Vt diſſerit Iuſtus Orgelitanus.

Eccleſia videns ſe de viuis lapidibus, vt *Murum* in habitaculum veri DEI ædificari, & *Turrim* Angelicam cœleſtis Ieruſalem per ſe rogari, canit exaltans: *Ego* Murus *& Vbera mea, quaſi Turris.* q. d. Ego ſum conſtructa per Opificem Chriſtum de electis hominibus: *Murus* de lapidibus in ambitum Ieruſalem cæleſtis, vt *Murus* in circuitum ciuitatis. Et *Vbera mea*, id eſt, Doctores, qui mihi lac doctrinæ tribuerunt, *ſicut Turris* erecti ſunt, pro Angelis, qui inde ceciderunt, & ita cæpit ædificari, vt ciuitas, per doctos Opifices Apoſtolos, ac eorum ſucceſſores. Ita Honorius commentatur.

(a) *Ludou. Alcazar, in Apoc.* (b) *Iuſtus orgelitan.*

ARTICVLVS XXI.

MVRVS–BONA CONSCIENTIA.

Hic Murus aheneus *eſto,*
Nil conſcire ſibi. Nulla palleſcere culpa.

MEMBRVM IV.

MARIA DEIPARA

Reipublicæ, Vrbis, Regni, Imperij, Regionis.

MVRVS INCOMPARABILIS.

QVANTVM ſit ſubſidij in firmitate *Muri* ciuitatem ambientis ad ſuſtinendam fortiter obſidionem, docuit prudentiſsimus Rex Ezechias, qui quam primum intellexit veniſſe Sennacheribũ in Iudæam, & *totum belli impetum verti contra Ieruſalem, ædificauit agens induſtriè, omnem* Murum *qui fuerat diſſipatus,* vt refertur libro ſecundo Paralipomenon cap. XXXII. Cuius exemplo, nobis quoque curãdum eſſe ſolicitè, vt Ciuitatem noſtram, tum illam, quam inhabitamus, Coloniam Agrippinam; tum quam incolit Mens & Ratio, Animam intellectualem, firmiſsimo

mo cingamus *Muro*, &, ſi quid ex illo ſocordia noſtra fuerit diſſipatum, reſtauremus gnauiter, in præcedentibus eſt declaratum. Varij etiam ſunt nominati *Muri*, quos ad vrbem & Rempublicam ruendam ab hoſte, diximus magis opportunos, quia magis firmos, quam, qui ex quadris lapidibus, calce aut bitumine ferruminati, hoſtilium balliſtarũ globos excipiunt, & arietem incurrentem ſuſtinent. Tales *Muri* ſunt, vt demonſtrauimus, cum *Virtus* quælibet, tum nominatim, *Concordia*, *Humilitas* Chriſtiana, *Manſuetudo*, *Æquanimitas*, *Prudentia*, *Silentium*, *Timor* Salutaris, *Conſtantia*, *Innocentia*, & aliæ his ſimiles, quibus ornati, Apoſtoli, Doctores, Prælati, Concionatores, & eius generis alij animarum Curatores, ipſi quoque ſunt *Muri*, ſub Chriſto Capite, qui illam denominationem muneri conſentaneam non dedignatur.

SED nihil adeò ciuitatem obſidendam, vel obſeſſam tuetur, ſi de Virtutum munimento ſit ſermo, quam ciuium in Republica inter ſe ac cum capite ſuo; in nobis verò ſenſuum, membrorum, ac potētiarum Animæ cum Ratione *Concordia*. Quod non ſolum fuit perſuaſum olim Græcis & Romanis, vt ex eorum apophthegmatis & apologis proximè deduximus, verùm hodieque quibuſdam gentibus naturalis ingenij acumine præſtantibus eſt in confeſſo. Notiſſimi nominis in alterius orbis hiſtoria, eſt PRETE IOANNES (a) totius Æthiopiæ Abaſſiæuè Rex, qui publicis in litteris, ac diplomatis magnæ Æthiopiæ Regem, regnorumque eius, ac prouinciarum Principem ſe ſubſcribit, & perpetuum, modò cum Mauris, modò cum Ethnicis bellum gerit, ideoque loco nullo conſiſtit, ſed ſubinde ſolum vertit, quo neceſſitas vocat, tota cum aula ampliſſimaque familia, omnemque fermè ſuam in caſtris, locisque campeſtribus vitam agit. (b) Hic cum talis tantuſque ſit Rex, totaque in Æthiopia copijs, quam qui maximè abundet, nullæ tamen in eius regnis viſuntur vrbes alicuius numeri atque momenti, ſeu ædificiorum magnificentiam ſpectes, ſeu incolarum celebritatem, atque frequentiam; cum tamen in Abaſsiæ finibus, & eius extra ditionem, vel inter barbaros vrbes munitæ non deſint, frequentes inſulis & ædificijs, mercimonijs, commercioque celebres, diuitijs refertæ, & earum complures muris armatæ, quas aquarum plenæ foſſæ circumdāt. Itaque cum eo venirent Luſitani, & mirarentur, cur ſuos illi vicos regionesque cōtra quotidianas hoſtium irruptiones Mœnibus nō includerent, reſpondebant. Regis ſui potentiam non in ſaxis atque lapibus, ſed in populi neruis, ac robore ſitam eſſe (nempe, conſpirantibus per *Concordiam*, ad defendenda ſibi adſignata loca animis ac viribus.) Quod ſi milites ciueſque *Muris* vndique ſeptas vrbes, & inſtructas haberēt, intermiſſo paullatim armorum ſtudio, ad inertiſsimum perducerentur ocium: in quo per diſſenſiones læſa *Concordia*, quid expectari poteſt aliud, quàm vrbium patriæque exitium.

MVRI igitur, qui ciuitatem defendunt, non ſunt tantùm, immò, nec maximè, lapidum moles; ſed etiam, & multo magis, concordes ciuium ac militum animi, ac robur, nec nō, virtutum ad Militiā Chriſtianam pertinentium machinæ, quas hactenus,

(a) *Nicol. Orlandin. Hiſt. Societ. Tom. 1. lib. 14.* (b) *Nicol. Orland. hiſt. Soc. lib. 14. n. 106. 107.*

ctenus, velut *Muros*, Theologiam Symbolicam ſequuti, conſiderauimus. Sed vnius *Muri* nondum facta eſt mentio, quem tamen Ciuitati noſtræ maximè vſui eſſe, & cótra hoſtiles impetus valere plurimum, nullum debet eſſe apud homines aliquam rerum ſacrarum notitiam habentes dubium.

Qvis ille Mvrvs? Ne vos animo ſuſpenſos diu teneam, eſt Domina ac Patrona Noſtra, Virgo Maria. Quod nō ex me confingo, ſed ipſiuſmet verbis aſſeuero. Siquidem Canticorum VIII. ita de ſe loquitur Sponſa cæleſtis, qui Titulus eſt Mariæ proprius: Ego mvrvs, & *Vbera mea* Tvrris. Verùm de vtroque hōc Symbolo agitur ex inſtituto in Opuſculis noſtris Marianis, & in Architectvra Christiana vt locis proprijs: ibidemque, ne ſolitaria ſit Tvrris, Maria, adiungitur illi ac deſcribitur *Turris fortiſſima Nomen Domini*, quod eſt Iesvs, vt ad munitionem Vrbis Noſtræ duæ conſpirent *Turres*, quibus nihil eſt fortius,

Iesvs & Maria.

Commentatio VI.

Obsidio Ierosolymitana.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Lucæ xix, 43.

Membrvm I.

Memoria Obsidionis imminentis

Eſt perquam vtilis ad incolarum ſalutem.

Obsidionem vrbium immitti in pœnam à Deo, peccatis ciuium ad iuſtam vindictam irritato, eſſeque argumentum accommodatiſſimum ad commiſerationem excitandam, ob tam grauia mala, calamitatesq́; quas ſecum fert *Obſidio*, quæque in innocentes æquè, ac noxios redundant: denique valere plurimum illius prædictionem, ac metum, continuamque recogitationem, ad agendam pænitentiā de commiſsis ſceleribus, ac ſuſcipiendum vitæ melioris propoſitum, & inchoandā morum ſeriam emendationem, Chriſtus Dominus, morum optimus Magiſter, ac Concionator diuinus, partim exemplo docuit luculenter, partim verbo. Exemplo commiſerationis affectum. Cùm enim perueniſſet, ad locum propè montem Oliueti, ex quo ciuitatem Ieruſalem commodè contemplabatur, lacrymatus eſt: *Vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam.* Habebat Chriſtus in poteſtate lacrymas, ſicut & affectus, quibus vel laxabat, vel contrahebat habenas pro arbitrio. Itaque affectum miſericordiæ excitans, ciuitatis ſibi caræ funeri lacrymas volens impendit. *Oſtendit viſcera miſeri-*

cordia perfletum, inquit Theophylactus. Et Euthymius: *Ciuitatem Ieruſalem propter immenſa vitia deſtruendam, humano modo, Chriſtus, pro immenſâ bonitate ſua deflet, etiam hinc oſtendens, qualia haberet erga ingratos viſcera.* Cùm Dominus defleret Lazarum mortuum, dixerunt Iudæi: *Ecce, quomodo amabat eum.* (a) Nunc ciuitatem obſidendam, ac in eâ populum tam dira, ſæuaque perpeſſurum, & tandem periturum, cum deplorat, nonne dicere poſſumus nos: Ecce quomodo amabat eam? amabat ſanè, & tenerrimè amabat, qui ex commiſeratione lacrymas pro illâ fundebat. Itaque duo habemus: *Obſidionem* vrbis amicæ ad miſericordiam mouere illum qui non ſit ἀπαθὴς, aut immiſericors, vel planè ſtupidus. Et obſidionis alicuius cauſſam eſſe crimina, quorum illa ſit pœna.

Qvod clariſſimè habetur in ſententiâ, quam Dominus adiungit: *Eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Hoc eſt, propterea obſideberis, deuaſtaberis, euerteris, quia noluiſti cognoſcere tempus, quo te Meſſias viſitauit: quia ſcelus atrociſſimum in liberatorem benefactoremque tuum commiſiſti, vt illum repudiaueris, & tandem in Crucem egeris. Disertè S. Auguſtinus (b) *Pro grauiſſimo ſcelere occiſi Chriſti, Iudæi ex ipſa Ieroſolymâ, quæ erat regnicorum caput, penitus eradicati, & Imperio Romano ſubiugati ſunt.* Denique *Obſidionis* prædictionem, aut imminentis metum, eſſe opportunum argumentum ad excitandum incolas, vt maturè agant pœnitentiam, & auertant mala, quæ timentur ſatis indicant verba illa ex abrupto pronunciata, & propter reticentiam, quam dolor & vehementia affectus cauſſat obſcuriuſcula: *Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Quæ S. Gregorius Papa, (c) ita ferè exponit. O Ieruſalem! Si cognouiſſes *Obſidionem*, & poſt illam, euerſionem, quæ tibi imminet, profectò & tu lacrymas profunderes. Et quidem *in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi*: nempe, hoc tempore, quo pace frueris, & omnibus ad pacem & iucunditatem ſpectantibus abundas. At verò, *nunc abſcondita ſunt à te*: [illegible] ignoras, quid tibi ſuperuenturum ſit.

Non malè tamen eadem referuntur ad notitiam aduentus Meſſiæ, quem ſi non neglexiſſent Ieroſolymitani, [illegible] calamitates non deueniſſet eorum ciuitas. O Ieruſalem! ſi cognouiſſes, quod ego cognoſco ac intueor, felicitatem [illegible] quæ tibi ex Aduentu Meſſiæ [illegible] certò, niſi tu eam repudiaſſes, ſed adhuc eſt tempus: nam hæc eſt dies tua, [illegible] ſalutem data, quâ te viſitat Seruator [illegible] oriens ex alto: agnoſce miſera, & [illegible] ce: id quoniam præuideo non [illegible] manet te exitiale malum, & poſt [illegible] mam *Obſidionem*, interitus: [illegible] manus exercitus, occupabit, [illegible] ciues, & poſt omnia [illegible] ſolo æquaberis. Vtinam [illegible] ad quietem & pacem tibi [illegible] & omnia in Meſſiæ tui notitia [illegible] continentur, ſed abſcondita ſunt ab oculis tuis. *Si agnoſceres*, inquit ex veteribus Titus Boſtrenſis, *quæ nam ſint illa, quæ vtilia & planè neceſſaria ſint, vt pacem* [illegible]

(a) Ioan. x. (b) Lib. 1. de Conſenſu Euang. cap. 32. (c) Homil. xxxix

[illegible],ac[illegible]olas,non tantæ te miſeriæ & cru[illegible]ce [illegible]. Ad eundem modum commentantur, ex antiquis aliqui, & ex recentioribus non pauci (a)

(a) [illegible] Hier. ad Aug[illegible] epiſt. 79. Auguſt. epiſt 80. Eut[illegible]. Heſych. Maldon. Barrad.

MEMBRVM II.

OBSIDIO IEROSOLYMITANA.

Exemplum Seueritatis Diuinæ. Exemplar c[illegible]lamitat[illegible] ex[illegible]tremæ. Idea Obſidionis duriſsimæ.

CERTVM eſt CHRISTVM D. prædixiſſe *Obſidionem* Vrbis Ie[illegible]ſolymitanæ, in qua contemplari licet, quid obſeſſi pati ſoleant: quid poſt obſidionem contingat. Quæ omnia valent ad permo[illegible] dos homines, vt [illegible], ne tam mala, ſuis [illegible] communibus. Singula autẽ Domini verba emphaſim habent, & ſunt ad commo[illegible] affectum efficacia. *Quia venient dies in te.* Si particula *quia, ſit cau[illegible]ſalis*, indicat ratio[illegible] commiſerationis & lacrymarum [illegible] autem ſit tantum *aſſeuratiua*, idem valet quod *vtique*, & [illegible] confirmat. O Ieruſalem [illegible] tempus illud [illegible]eniet, quando Romani hoſtes [illegible] circumdabunt te vallo, & militari coronâ cingent [illegible] & comprimen[illegible], atque vndique te [illegible]abunt, vt [illegible] tibi pateat [illegible], nullum effugiũ. [illegible] factum narrat Ioſephus, qui libro VI. de bello Iudaico cap. [illegible] ſcribit, Romanos [illegible] ciuitatem ædificaſſe, ſicque preſſiſſe [illegible] Iudæos. Murus [illegible], vno minus quadraginta ſtadiorum erat. [illegible] *tredecim ædificata fuerunt: [illegible] computa[illegible]tur. Totum opus tri[illegible]ſtructum eſt, quod [illegible] aliquot dignũ iu[illegible]tur. Iudæis autẽ [illegible] exeundi facultate, omn[illegible] ſalutis [illegible] adempta, auctaq; fame[illegible] familias [illegible]*. Plura addit idem [illegible], quæ legenti horrorem incutiunt.

SVBIVNG[illegible] Dominus: *Ad terram proſternent te*: hoc eſt, ſolo æquabunt te: denique, *non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Euentum deſcribit Ioſephus libro VII. de bello, cap. XVIII. Poſtquam Ro[illegible], quos occiderent, quos-ue caperent, nõ habuerunt amplius, iuſsit Cæſar totam funditus deſtruere ciuitatem, ac Templũ, relictis turribus, quæ præter alias, eminebant, *Phaſelo, Hippico, & Mariamne*, muriq; tanto, quantum ciuitatem ab occidente cingebat. Id quidem, vt eſſet caſtrum [illegible] cu[illegible] relinquendis turres autẽ vt poſteris indicarent, qualem ciuitatem, [illegible] Romanorum virtus o[illegible]. Alium vero tot[illegible] ciuitatis ita complanauerunt, [illegible] omnia[illegible], qui ad illam a[illegible], habitatam aliquando fuiſſe [illegible]. At, quomodo, dicis, hæc [illegible] cum prædictione Chriſti? *Non [illegible]quetur lapis ſuper lapidem*, cum tres lapideæ turres à Romanis [illegible] relictæ [illegible]loquebatur Dominus de reliquis ædificiis, quæ [illegible] euerſa [illegible] quibus [illegible] more dicendi vulgari, [illegible] non ciuat, ſicut per hyperbolicus ſermo, quo Dominus pro [illegible] haud renuc[illegible]. Iam vero erit operæ pretium ex Ioſepho [illegible], adſcribere nonnulla, quæ repræſentent Obſidionis incredi-

credibiles penè calamitates: & quomodo DEVS iuſtus Iudex, aliquando tardè quidem, ſed grauiter punire ſoleat alicuius Reip. peccata, & obſtinationem potiſſimum.

POST Aſcenſionem Chriſti in cælum, & Spiritus-Sancti deſcenſum in Apoſtolos, prædicatum fuit Iudæis, & præcipuè Ieroſolymitanis Euangelium: moniti frequentiſſimè ſunt de grauiſſimis ſceleribus, & nominatim de commiſſis contra innocentiſſimum IESVM, ad pœnitentiam agendam, & ſeriam ad eundem conuerſionem inſtigati fuerunt ab Apoſtolis & Apoſtolicis prædicatoribus. Eorum autem pœnitentiam expectauit longanimiter DEVS annos ferè quadraginta, vt adnotauit Euſebius libro tertio hiſtoriæ cap. VIII. *Benigna*, inquit ille, *DEI erga Iudæos prouidentia, quadraginta annos continuos, poſt illud facinus contra Chriſtum admiſſum, perniciem ac interitum, quem meriti erant, diſtulit.* Nicephorus quoque, *Annis*, ait, *quadraginta poſt Aſcenſionem Saluatoris Iudæi aperto bello oppugnati non ſunt, quod DEVS illis pœnitentiæ tempus præberet, eoſque ad reſipiſcendum, vita, doctrina ad mirandiſq; operibus Apoſtolorum inuitaret. Cum autem minimè vt conuerterentur, curarent, internecionem in ſeipſos pertraxerunt.* In eandem ſententiam S. Hieronymus in cap. I. Sophoniæ, & in Abacuk tertium, nunc quadraginta duos, nunc quadraginta quatuor ad pœnitentiam datos annos affirmat. Et ſanè poſt quadraginta à Paſſione annos miſit Dominus, Iuſtitiæ exequutores, Veſpaſianum ac Titum qui tandem [illegible] ſupplicium de Templo [illegible] vniuerſam nobile religionis Iudaicæ aſylum, atque arcem, & vrbe [illegible]

VT aduenit exercitus Romanus [illegible] Ieroſolymam Titus caſtra poſuit, & in monte Oliueti legionem vnam [illegible] decimã collocauit, [illegible] quo Dominus videns ciuitatem [illegible] eam. Legiones aliæ aliis in locis [illegible]runt. (a) Poſt aliquot conflictus, cum [illegible] fame Iudæi conficerentur, totam [illegible] Titus *Muro* cinxit. Mox caſtella [illegible] circumque, [illegible] cuſtodibus [illegible] ipſe circu[illegible] explorabat [illegible] xandro permittebat: tertiam [illegible] legionum Ducibus. [illegible] inter ſe ſortiebantur, [illegible] caſtellorum ſpacia [illegible] mœnis omnis fuit ſublata [illegible] ſæuiſſima fames in vrbe, quã [illegible] nõ modicè. cum [illegible] [illegible]ate erat [illegible] *(b) Ioannes*, inquit Ioſephus, [illegible] *non* [illegible] *cum pluribus* [illegible] *que frumento plenas &* [illegible] *re, incendebat. Idem* [illegible] *inſequutus agebat, ac ſi* [illegible] *omnia ſortunæ* [illegible] *parata* (iuſto DEI iudicio) [illegible] *concremari pa*[illegible] *quod non pa*[illegible] Aliam [illegible] hiſtoricus [illegible] lem multitudinem, [illegible] pugnantibus [illegible]

QVANTA fuerit [illegible] fames Ieroſolymis [illegible] cit ex Ioſepho, lib. VI. [illegible] ditiores erant [illegible] frumenti modio, [illegible]

(a) Ioſephus lib. VI. belli cap. 6. & 17. (b) Idem lib. [illegible]

[illegible]. Vxores [illegible], [illegible] [illegible] cibum ex ore [illegible] [illegible] [illegible] poterant, cu [illegible] vigilarent qui ra- perent. [illegible] clausam [illegible] viderent, eos, [illegible] erant, cibum [illegible] ſuſpica- bantur [illegible] que rup[illegible] uebat, & ei [illegible] [illegible] contuſa dentibus & ma- ſticata ex ipſo pene gutture, antequam in ſtomachum traijcerentur, rapiebant, ipſos [illegible], ſtrangulantes. Pulſabant ſenes, [illegible] cibum ſuum defenderent, lacerabantur mulieres, quæ aliquid occultabant, [illegible] [illegible] miſeratio, vel cani erant capitis, vel in- fantiæ, ſed abſtractos pueros, & ex buc- cella pendentes humo [illegible]. Horrē- da etiam auditu [illegible] [illegible] panis confeſſionem, & vt [illegible] [illegible] [illegible]num abditum indicaret. Ad hæc [illegible] [illegible] fames totas domos & familias depa- [illegible] ædes plenæ [illegible] [illegible] [illegible] atque infantibus, [illegible] anguſtiæ [illegible] mortuis: adoleſcentes [illegible] & iu- uenes exlucci, velut mortuorum vmbræ per compita & fora vagabatur, & vbi quē caſus occupauerat, decidebant exanimes (a) Comedebant quidlibet, aut conaban- tur dentibus comminuere quicquid ſe of- ferebat, ad rabiē famis ſedandā. Non cin- [illegible], non calceamentis abſtinebāt: coria [illegible] mandebant: omnia denti- [illegible] [illegible]: denique ea colli- [illegible], quæ nullū, quamuis ſordidiſſimum [illegible] animalium non horreret, cōmede- [illegible]. Quid quod mater filium [illegible] [illegible] deuorare attentarit? quod [illegible] eius cū circumſtantijs, quis audiens lacrymas contineat? Vbi muro arctiſſime cincta ciuitate herbas colligere nō licuit, adhoc neceſſitatis quidā [illegible] compulſi, vt cloacas rimarentur, boumque [illegible] fimum in alimentum raperent, denique ſtercus collectum, quod ne [illegible] quidem tolerabile erat, in cibum verterent. (b) Profectò milites Romani poſtea in do- mos irrumpentes, prædæ cauſſa, vt inte- gras [illegible] tuorum familias, & plena mor- tuis tecta, quos fames confecerat, offen- derunt, ipſum [illegible] aſpectum vacuis manibus regrediebantur.

AT cur nō profugiebāt Ieroſolymitani? quo profugerent, cum vbique hoſtibus occurrerent? tentarunt tamen id aliqui, ſed inde noua illis calamitas. Nā cū quidā poſſeſſionibus ſuis, alij rebus [illegible] exiguo pretio venūdatis, aureos, ne [illegible] nes eos deprehenderent, tranſgluti[illegible], exonerati ventre, aurū [illegible] multū relin- quebant, quod quibuſdā [illegible] ceſſit, & v- [illegible] alij peſſimè, & exitio. (c) Poſtquā enim obſeruatum fuit, quendā ex tranſfugis è fimo ventris aureos colligere, totis ca- ſtris fama percrebuit, quod transfugæ au- ro pleni [illegible], [illegible] nocte viri duo- [illegible] [illegible] viſcera. Qua clade quæ fuit ſæuior? Vetuit crudelis Tito, qui vetuit, ſed occulte [illegible]. Quare multi comprehenſi, [illegible], [illegible] in [illegible] [illegible] aliquid. Sed pleroſ- que ſpes ex ſuſpicione auferebat.

[illegible]
Auri ſacra fames!

non terræ, ſed hominum quoque [illegible] viſcera. [illegible] ſupplicium plurimorū [illegible], & agnoſcas [illegible] diuitia [illegible] [illegible] poſt Chriſtū flagellatū [illegible]. (d)

(a) Ioſeph. lib. v. cap. 14. Lib. vi. cap. 1[illegible]. (c) Ioſeph. cap. [illegible] xvi [illegible] [illegible] [illegible] Ioſeph. lib. [illegible] d. Ioſeph. lib. 2. cap. 14.

Ante obſidionẽ Florus Præſes (*a*) Iudææ multos nobiles, verberibus laniatos pro tribunali, in Crucem egerat. Vrbe capta multi crucibus affigebantur. Et tãtus eorũ fuit numerus, vt ſpaciũ crucibus deeſſet, & corporibus cruces. Obſidionis tẽpore plurimi ſũt mortui, quos primo quidẽ ſepeliebant, deinde in valles ex muris præcipitabãt. (*b*) Quas circumiens Titus, vbi plenas cadaueribus vidit, altamque ſaniem tabefactis corporibus defluentẽ, ingemuiſſe dicitur, & extenſis manibus, DEVM teſtatum, non id eſſe ſuum factum, ſed in eo altiorem vim agnoſcere.

DE mortuorũ numero ita ferè hiſtoriã texit Ioſephus. (*c*) Quid opus eſt ſigillatim narrare clades? Mannæus Lazari filius tranſgreſſus ad Titũ, per vnã portã quæ ei credita fuerat, centũ, & quindecim millia, nec non octoginta dixit elata cadauera, ex quo die caſtra propè ciuitatẽ poſita fuerunt: nempe, ex die XIV. Aprilis, vſque ad Kalend. Iulij. Poſt hunc nobiles profugi, mortuorũ, egenorũ ſexcẽta millia portis eiecta nunciabant: aliorũ verò numerũ minimè poſſe comprehendi (*d*) Demq; Ioſephus captiuorũ & mortuorũ numerũ, ſubductis calculis, ita exertẽ enunciat. Captiuorũ omniũ, qui toto bello cõprehenſi ſunt, nonaginta & ſeptem millium numerus fuit. Mortuorũ per omne tempus obſidionis vndecies centum millia. Nec mirũ. Confluxerant enim Iudæi Ieroſolymã ex omnibus in quibus degebant regionibus, vt Paſcha celebrarent: hinc immenſa quædã hominum multitudo tũc in vrbe reperta fuit, quando ſubitò arcta *Obſidione* sũt cõcluſi. Vnde primò peſtifera lues ex loci anguſtiã enata multos abſumpſit: deinde fames plurimos: tandem, Crux & gladius. Hic iterũ talione perpende. In diebus azymorũ Chriſtũ crucifixerant: idẽ tempus ſupplicio eorũ fuit deſtinatum. Poſt mortuos numerandi eſſent captiui. (*e*) niſi eorum ſuperius numerus eſſet expreſſus Ex ijs autẽ, qui procero ac formoſo erant corpore triumpho reſeruabãtur. Ex promiſcua multitudine maiores annis VII. vincti in Ægyptum mittebantur, operibus deputandi. Plurimi per prouincias diſtribuebantur in ſpectaculis ferro ac beſtijs cõſumendi. Quiintra annum XVII. erant, vendebantur vili pretio. Ex populo ſeruati fuerunt plus quã quadraginta millia, quos Imperator, quomodo cuique gratiam fuit, dimiſit. (*f*)

CAPTA Ieroſolyma VIII. Septemb. poſtquã quos occideret, quidue raperet non habuit amplius exercitus, iuſſit Cæſar totã funditus ſubruere ciuitatẽ, (repeto quæ dicta, ad commiſerationẽ) relictis tribus turribus, quæ præter alias eminebant, & occidentalem muri partem. Hoc quidem, vt eſſet caſtrum, cuſtodiæ cauſſa, illic relinquendis. Turres, vt poſteris indicarent, qualem quamq́ue munita ciuitate Romanorũ, virtus obtinuiſſet. Aliũ verò totũ ambitũ ciuitatis, ita cõplanarunt diruentes, vt qui ad eã acceſſiſſent, habitatã aliquando fuiſſe vix crederent. (*g*) Neque ſolùm ciuitas euerſa fuit, ſed horti etiam, luci, ac arbores, quæcumque propè ciuitatem erant ad aggeres fabricandos. Erat ſane miſerabilis terræ facies, inquit Ioſephus: nam quæ anteà arboribus, vt paradiſus ornata fuerat, ea nunc deſerta, exciſis vndique lignis cernebatur: Nec vllus, qui pridem Iudæam viderat

ciuitatis,

(*a*) *lib. 9. c. 12. c. 14.* (*b*) *Lib. VI. c. 16.* (*c*) *Lib. VIII. c. 17* (*d*) *Ioſep. l. VII. c. 16* (e) *c. 15* (f) *c. 15* (g) [illegible]

[illegible]rigena, & ſuburbana pulcherrima [illegible] cum eius ſol[illegible] [illegible] tenerer, [illegible] vias pote[illegible] [illegible] non genere mutationem horrendam. Siquidem inſignia omnia pulcritudinis bellum deleuerat. Nec ſi quis ſubitò aduenisset, qui locum prius conſpexerat, quætere potuiſſet in tali buſto ciuitatem Ieroſolymitanam.

MEMBRVM III.
OBSIDIO IEROSOLYMITANA.

Figura Obſidionis, homini circa vitæ mortalis finem imminentis.

QVæ Ieroſolymitani ſuſtinuerunt in [illegible] Obſidione, expectanda ſunt [illegible] in extremis, iam quo ad Corpus, quàm quoad Animam maximè, ſi voluptatibus [illegible] ſeruiuit, vt diſſerit præclarè S. Gregorius. Et omnibus dici poteſt [illegible] *Venient dies in te*, id eſt, *tibi*, qui cumque es, pauperis, magnus: doctus, indoctus, [illegible] *& circumdabunt te inimici tui vallo:* [illegible] bunt duplicem Ciuitatem [illegible] & *Animam* arctiſſimè. Corpus [illegible] Mors, exercitus numeroſiſſimi [illegible], omnibus belli ducibus & [illegible] Imperatoribus ſuperior [illegible], & omnibus reportauit [illegible] & coactorum, qui ſubſequentur, [illegible]bellatrix. Inimica tua Mors, [illegible] inſidiatrix, & bonorum æquè ac malorum [illegible] ab vtero circumdabit Corpus tuum, tam benè nunc conſtitutum, tam valido carnis muro munitum, [illegible], tanquam [illegible] firma [illegible] morborum, dolorumque & [illegible] coangustauerit illud, id eſt, [illegible] reſtringerit, ad [illegible] proſternet, [illegible] & [illegible] lapidem ſuper lapidem, nullum erit membrum, nullus articulus, nulla particula, quæ non deſtruetur.

Animam verò, quæ eſt altera ciuitas, Cacodæmon cum ſuis ſatellitibus, qui ſunt ſuperbia, ira, odium, luxuria, & generatim ſcelera à peccatore commiſſa, circumdabit, & ante oculos poſita eorum enormitate, coanguſtabit, dolores doloribus cumulabit denique, proſternet, & non tantùm ſolo æquabit, ſed & infra terram ad inferorum barathrum deijciet: & ex [illegible] architectationibus cogitationum, ac imaginationum vaniſſimarum congerie non relinquet lapidem ſuper lapidem (a) [illegible], ait Papa Gregorius (b) *Animam à corpore exeuntem obſident. Quam vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos [illegible] iniquitatibus, quas perpetrauit, [illegible] ad [illegible] damnationis [illegible].* Super lapidem lapis non relinquitur, *quia omnis ab Anima cogitationum ſuarum conſtructio diſſipatur.*

Si quotidie peccator [illegible] perpenderet ſpiritualem iſtam *Obſidionem*, [illegible] maiorem animæ ſuæ curam gereret, diligentius ſalutem ſuam procuraret, ſe [illegible] vitam ſuam inſtrueret, & ad De[illegible] [illegible].

Ttt 3

(a) *Exempla* [illegible] *Obſidionum ſunt in* [illegible]*, Theodor*[illegible]*, T*[illegible] *Reg.* [illegible] *Gregorius* [illegible] *4. D*[illegible] *30.38.47.52. & 53.* (b) [illegible] *xxx* [illegible] *Euang.*

dam, ac Chriſti conſilia mores ſuos componeret: conuerſuſque ad pænitentiam, cum metu ac tremore, ſequutus conſilium Apoſtoli, (a) ſalutem ſuam operaretur. (b) *Qui conſiderat, qualis erit in morte,* monet D. Gregorius, *ſemper fit timidus in operatione.* Expectatio Obſidionis, incolarum vigilantiam acuit, eſtque incitamento, vt quam primum proſpiciatur vrbi de neceſſariis: aduehitur annona, inducitur præſidium, parantur arma, incitantur ciues ad defenſionem. Nobis imminet certo certius Obſidio, expectamus hoſtem in dies, immò, in momenta ſingula, iam morborum agmen præmiſit; viſus eſt in propinquo ad nos properans aduerſariorum corporis & animæ exercitus. Quid facimus? ſtertimus aut ſi vigilamus, ludimus? nulla nos exſtimulat futuri cura. *Abſcondita hæc ſunt ab oculis noſtris.*

NVLLI ſunt in nobis ſpeculatores hoſtium, qui ipſorum aduentum nuncient: nulli exploratores, qui Mortis diem & horam exploratam indicent: nulli emiſſarij, qui viam & aditus præoccupent. Quid itaque mirum, ſi imparatos nos, quia ſecuros, & de ipſorum aduentu nil cogitantes opprimat aduerſariorum exercitus? (c) *Deſolatione deſolata eſt [illegible], quia non eſt, qui recogitet corde.* Clamat Ieremias Propheta, (c) Cauſa, [illegible] certe, maxima perditionis hominum [illegible] incogitantia, quia non [illegible] gitant, aliquando, [illegible] vti deberent, *Mortem, Iudicium, Supplicium:* non recogitant Æternitatem. Claudunt oculos ne barathrum, [illegible] mas non videant, atque [illegible] in foſſam [illegible] plerumque [illegible] *Anima,* inquit S. Gregorius, *dum ſe prolixæ vitæ delectatione ſe deſerit, quid aliud [illegible] ad ignem vadit?* Aperi ergo oculos, ſi ſalutem amas, & ſequere conſilium [illegible] tum videndis æternæ, *Statue tibi ſpeculam,* ſpeculam orationis, meditationis, contemplationis: breuius, Recogitationis. In hac ſi conſtituamus oculum intellectus futura præuidentis, & hoſtium [illegible] nes contra nos contemplemur, [illegible] omni diligentiâ, dolore de commiſſis, & propoſito de non committendis amplius, veraque vitæ emendatione, ac in Deum fiducia præueniamus, Obſidionem [illegible] vel leuiter à noſtra ciuitate remouebimus, vel conſtanter abſque damno noſtro perferemus.

(a) *Ad Philipp. 2.* (b) *Lib. 3. Mor. cap. 10.* (c) *Cap. xii.*

COMMENTATIO VIII.

OBSIDIONIS AVERTENDÆ INDVSTRIA

Exercere Miſericordiæ opera erga Calamitoſos.

Pone quaſi noctem, vmbram tuam in meridie. Abſconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris.
Iſaiæ XVI. 3 4.

Membrvm I.

CONSILIVM ISAIÆ PROPHETÆ

Ad euitandam Obſidionem: & inde ſequutura mala.

CVM Iſaias Propheta vaticinaretur de *Obſidione*, clade, captiuitate, atque excidio Moabitarum, doleretque ipſarum ciuitates a Babyloniis capiendas, ac gentem pene interituram, ſuggeſſit illis quidpiam, quo exiſtimabat, imminentem calamitatem eos poſſe auertere. Quid autem id? conſilium ſalubre, quod non alij prudentes, ſed ipſe, conſulto Deo, daturus ſit. Nam cum dixiſſet: (a) *Et erit, ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon*. hoc eſt: Moabitæ trans flumen Arnon, vbi ſunt termini Moab, in Babylonem violenter ac celeriter abducentur captiui, eorum vrbibus [illegible] diſpergentur, ſicut diſperguntur aues nido auolantes, quando prædo inſidiator nidum inuadit; ſubdit vates. O Moab, *inito conſilium, coge concilium*. Quaſi dicat, inquit S. Hieronymus, vis cladem euadere, Deumque tibi propitium, ac protectorem reddere, vt obſidionem vel auertat, vel ſoluat, ac te ex inimicorum manibus eripiat? accipe conſilium. A quibus? Primùm quidem à popularibus tuis, qui prudentia excellunt, & ad conſilium adhiberi ſolent. Conſultate inter vos, conſilium capite, quid vobis faciendum; conuenite in vnum ac decernite prudenter, ne quid temere ac tumultuarie aggrediamini. Vniuerſim à me, tanquam bono, vobiſque fauente conſiliario. Quodnam eſt id? Audite [illegible] quæ ſuggero.

Pone, Moab, *quaſi noctem, vmbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris.* Senſus clariſſimus eſt iſte. O Moabitæ vultis eſſe ſalui? vultis euadere manus Nabuchodonoſoris? facite quod vobis ſuadeo. Nimirum, Iſraëlitas cognatos ac vicinos veſtros, patria exules ac profugos, tum ob metum Sennacherib, tum ob alio-

(a) Cap. xvi.

aliorum tyrannidem, tum maximè ob vaſtationem Nabuchodonoſoris, humaniter excipite, fouete, protegite, vicesque ijs rependite. Nam ſic Abraham pater illorum Loth patrem veſtrum excepit, iuuit, touit, & Codorlahomor captum libertati reſtituit. Mos eſt, *Ponere vmbram, quaſi noctem in meridie.* Quemadmodū enim meridies & æſtus ſignificat ſymbolicè ingentem afflictionē & calamitatē, nam in meridie maximè vrit ſol, ita vmbra ac nox ſignificat eius remediū. Hinc illa promiſſio Iſaiæ iv. *Tabernaculum erit in vmbraculū diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem a turbine, & à pluuia.* Suggerit autem Propheta, vt faciant *vmbram*, quaſi *noctem*, id eſt, denſiſſimam, quo inſinuat, officia Miſericordiæ erga afflictos, non debere eſſe rara, aut breuia, ſed ipſa, aſsidua, larga: vt ſcilicet, pietas, ſuſceptio, humanitas, non ſit leuis, tepida, anguſta, ſed copioſa, feruens, liberalis. Hic [illegible] conſilium Prophetæ [illegible] ſenij eſt a [illegible] mo [illegible] tatis, [illegible] h [illegible] niam ſuggerendum [illegible] omnibus vrbibus C [illegible] VM [illegible] illam Ciuitatem [illegible] atque ab eâ calamitatem [illegible] tere quæ expulſos [illegible] cipit eiſque benignè [illegible] Quæ [illegible] enſis vt demonſtrau [illegible] STANTIA Co [illegible] qui recipiuntur [illegible] qui bonis ſuis [illegible] cie perſequentis: [illegible] cepi, quod miſericor [illegible] ab omni aduerſitate [illegible] muni calamitate [illegible] relinquet communis [illegible] Iuſtus.

MEMBRVM II.

CONSILIVM PROPHETÆ ISAIÆ.

Exemplis Sacris, profanisque, & Auctoritate comprobatur.

OPTIMVM conſilium eſt, vt miſeria præueniatur miſericordia: ſic enim & illa euitabitur, & hæc remunerabitur. Vis euadere inſtantem calamitatem, & miſeriam? eſto miſericors in miſeros. Vis nō egere hoſpitio alieno? ſuſcipe peregrinos tuo. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Nazianzeni illud dictum celebratur. *Eſto calamitoſo* DEVS, *& Dominū in calamitate* DEVM *inuenies.* Vis exempla? Aperi ſacrum Codicem. ABRAHAM vt vidit, quos peregrinos putabat, Angelos, [illegible] occurrit, [illegible] duxit, neceſſaria apparauit, nihil omiſit, quod humanitatis, hoſpitalitasque [illegible] ingeſsit. Quare & ipſe peregrinans cū vxore in Geraris, exceptus eſt liberaliter à Rege, & ditior [illegible] Geneſis xx. LOTH Angelos quos [illegible] eſſe homines [illegible] etiam rogat [illegible] ingred [illegible] neceſſaria benignè [illegible], & contra [illegible] am Sodomitarum defendit, vt patuit. Vide ab eis [illegible] incendio Sodomæ liberatus fuit, & [illegible] Geneſis xix. RAHAB [illegible] ſue miſeratio in Iericho, [illegible] fideliter cuſtodiuit, [illegible] mus eius tota [illegible]

(a) Geneſ. xviii. (b) Geneſ. xix.

fuit ſeruata Ioſue ſecundo. IETHRO ſine magna prece recepit peregrinum & profugum Moſen hoſpitio, (a) Quanta inde illi totique familiæ benedictio? & filiæ nepotumque exaltatio? Quare vt hanc hoſpitalitatem commendaret poſteà legiſlator Moſes, præmiſit, Dominus Deus noſter amat Peregrinum, & dat ei victum & veſtitum: & vos quoque amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ Deuteronomij xx.

ETHNICI gloriabantur, quod ſummus Deorum, quos colebant eſſet ſummè hoſpitalis. Vnde proprium Iouis epitheton veteres voluerunt ξένιον, id eſt, hoſpitalem.

Iupiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur, canebat Poëta Iouem ſuum alloquens. Cicero quoque *Iouis Hoſpitalis* Numen nihil vnquam cælari poſſe, nec hoſpites offendendos, ne Hoſpitalis Iouis fidem implorent docet Orat. pro Diotaro. Sed magis ſe hoſpitalem eſſe per ſe perque ſuos demonſtrauit Dominus DEVS noſter, hoſpitalitatis ſummus remunerator. Quare inter illa ad quæ ſpecialiter Paulus Apoſtolus inducit nouellos Chriſtianos, eſt Hoſpitalitas. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim quidam placuerunt Angelis,* ſcribit Hebræis, cap. XIII. Commendat etiam Caium B. Ioannes dicens (b) Cariſſime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. Magnus peregrinorum amator cultorque fuit inter ſuos IOB, qui verè adfirmabat: *Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit,* Iob XXXI. MVLIER SVNAMITIS, quia Eliſæo tranſeunti domum aperiebat & humaniter recipiebat, ac vtcunque ſuſtentabat, filium à DEO per Prophetam impetrauit, ac deinde mortuum Eliſæus ſuſcitauit. Lib. III. Reg. 17. & Lib. IV. 4. ZACHÆVS gaudens ſuſcepit Chriſtum in domum ſuam: & Chriſtus eum magis gaudentem effecit, quando dixit: *Hodie ſalus huic domui facta eſt,* Lucæ XIX.

CERBONIVS Populonij Epiſcopus milites quoſdam tranſeuntes hoſpitio exceperat, eoſque à Gothis ſuperuenientibus abſconderat, ac in vita conſeruarat. Quod cùm Totilas Rex Gothorum audiſſet, iuſſit eum vrſis obijci coram toto populo, vt ab eis deuoraretur. Sed vrſus in illum immiſſus & irritatus, feritatis oblitus natiuæ, deflexa ceruice, ſubmiſſoque humiliter capite, lambere cœpit pedes Epiſcopi, *vt patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum DEI, & ferina eſſent corda hominum, & quaſi humana beſtiarum,* inquit S. Gregorius. (c) Quare populus & Rex ipſe ad venerationem illius permotus eſt: vt pluribus narrat, idem Pontifex. Qui de alio quoque refert, (d) Hic, cùm eſſet Paterfamilias cum tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat, ad menſam ſuam adhibens peregrinos. Quo meruit Chriſtum in ſua perſona recipere, à quo per viſionem audiuit, *Ceteris diebus me in mēbris meis, heſterno autem die me in meipſo ſuſcepiſti.* INNOCENTIVS Carthaginenſis hoſpitalitati mirè deditus, admirandum in modum, & planè per miraculū curatus fuit à vulnere periculoſiſſimo, vt fuſè, ac eleganter narrat S Auguſtinus, (e) qui ad illum diuerterat, veniens de tranſmarinis partibus. LEO eius nominus IX. Pontifex MAX. vir fuit pietate, innocentiâ, benignitate, gra-

(a) Exodi ſecundo (b) Epiſt. 3. (c) lib. 3. Dial. cap. 11. (d) Hom. XXIII. in Euang. (e) l. XXII. de ciuit. c. 8.

gratiâ, hoſpitalitate adeò inſignis, vt domus eius peregrinis & pauperibus ſemper pateret. Quodam tempore quod narrat Platina in vita cùm ante fores leproſum inueniſſet, eumque ex miſericordia collocari in lectulo ſuo mandaſſet, apertis mane à ianitore foribus, nusquam pauper inuentus eſt: Chriſtum pauperis ſpecie eo loci recubuiſſe eſt creditũ. Plura ſunt eius generis exempla apud Metaphraſten, Lipomanum, Surium, Baronium, quæ diligenter perſcripſerunt, Tilmannus Bredenbachus, Antonius Dauroultius, & recentiores alij Exemplorum Collectores, quibus perſuadeatur, quod propoſuit. Nabuchodonoſori Daniel, cap. IV. vt impendens exitium euaderet: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.*

QVID hic ogganniunt Euclionesſordidi, temporalium amatores magis, quàm æternorum. Immò, neque temporalium, neque æternorum. Quid ſuades dicunt vt recipiamus profugos: vt exules admittamus intra mænia! vt noſtris illos includamus ædibus, & foueamus? Profectò, metuendum eſt, ne, vel ob hoc ipſum periculum ab hoſtibus nobis immineat: & vrbi inſidientur noſtræ ob fugitiuos admiſſos. Cautè agendum eſt: non ſunt irritandi crabrones. Præuidit excuſationem friuolam Propheta, ideoque mox, ad illa, quæ initiò recitauimus, ſubiungit: *Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer, defecit, qui conculcabat terram. Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illum in veritate, in tabernaculo Dauid, iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iuſtum eſt.* Loquitur autem Iſaias ibi de *Sennacheribo*, qui quoniã imminebat Iudææ, multi ad fugam ſe accingebant, apud Moabitas aſylum quæſituri. Monet ergo Propheta, vt eos humaniter excipiant, ſi DEI gratiam & opẽ in ſuis calamitatibus promereri, atque experiri velint. Neque ſe excuſent dicendo, quod metuant ſibi à Sennacheribi, aut alio quopiam hoſte, ſi recipiãt profugos, fore enim, vt vaſtatores illi eum ob cauſſam in ſe bellum vertant: metũ illum inanem eſſe oſtendit Propheta; quoniam Tyrannus ille (quod vt oraculũ profert) breui finietur ac euaneſcet, quaſi puluis, licet numeroſiſſimũ inſtar pulueris, exercitum trahat ſecũ, ac citò conſumabitur alienorum inuaſor. Vetus autem ſolium Regni legitimo Regi præparabitur, id eſt, confirmabitur per miſericordiam DEI. Similis planè prophetia refertur verbis B. Brigittæ, reuelationibus claræ. Non habeo quod addam, niſi votum Eccleſiæ Germanicæ, Romano-Catholicæ.

DEVS, *qui conteris bella, & impugnatores in Te Sperantium potentia tuæ defenſionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus miſericordiam tuam: vt inimicorum ſuorum feritate depreſſa, inceſſabili Te gratiarum actione laudemus.*

NOTÆ.

§. I. LAVS Coloniæ Agrippinæ.] *Legendum Elogium Conſtantia Colonienſis in Religione Catholica editum* à Maximiliano Sandæo *Anno M. DC. XXXV. in quo inter cetera. An hæc fortaßè cauſſa, (cultus ac patrocinium Sanctorum Colonienſium)*

ſium) cur à communi ceterorum calamitate Vos exemerit, prodigioſè ingruentem capitibus veſtris tempeſtatem auertens, Soſpitator DEVS, *in quo ſpes locata erant veſtra?*

An potius vt ſupereſſet patria pulſis ſecurus aliquis in Imperio receptus, commune naufragantium Littus, Libertatis aſylum, CIVITAS REFVGII. *Quo nomine* COLONIAM *meritò in omnem poſteritatem celebrabunt ob Religionem ſedibus ſuis pulſi,* Mogoni, Francones, Vangiones, Buchonij, Thuringi, *totque alij, tam ſeculares, quàm Religioſi. Quibus nunquam è memoria labetur, apud Vos ſe reperiſſe refugium, quibus in patria nihil tutum: Veſtro beneficio receptos hoſpitio exules: Veſtra liberalitate altos pauperes: veſtra munificentia curatos agros: Veſtra pietate ſubuentum plurimis Sacri Ordinis hominibus: Veſtra caritate ſuppeditata neceſſaria peregrinis: Veſtra, hoſpitalitate recreatos, gauiſoſquè S. R. I. Principes: nullum hominum genus à veſtro benefaciendi promptiſſimo officio excluſos. Erant tunc temporis, tanquam exules:* Anſelmus Caſimirus, *Archiepiſcopus & Elector Moguntinus:* Franciſcus, *Bambergenſis & Herbipolenſis Epiſcopus,* Dux Franconiæ, Antonius, *Wormatienſis Epiſcopus:* Franciſcus Gulielmus, *Epiſcopus Oſnabrugenſis, Mindenſis, Verdenſis* Ioann. Adolphus, *Abbas Fuldenſis. Acceſſit tandem* Ferdinandus Bauarus *Archiepiſc. & Elector Colonienſis, vt tutior ageret.*

EODEM *tempore ſcripſit* Sandæus MARIAM IRIDEM MYSTICAM. *Quod Opuſculum continet Sermones habitos Coloniæ cum ob Suecicam irruptionem in Germaniam ſuperiorem, plurimi inde omnium Ordinum homines in eam vrbem confugiſſent mæſti & afflicti. Atque ex ijs multi ſolatium quærerent ex ambiguis aliunde allatis narrationibus, & incertis quorundam prædictionibus. Cùm autem aliqui nimium ijs fiderent, conſilium fuit docere, ſolidum afflictorum ſolatium eſſe* Prouidentiam DEI, *& ſecundum illam, Sodalibus Marianis,* DEIPARÆ Patrocinium. *Cùm ex diuinis Oraculis, & tot ſeculorum experientia habeatur, Victoriã, vt vt exterius aliquando res cadant, tandem penes illos fore, quos* DEVS DEIPARÆ *interceſſione, ſiue per aduerſa, ſiue per proſpera, ad bonum finem, in quo conſiſtit Catholicorum Victoria, perducet. Talibus autem in ſua clientela conſtitutis præparat, ſignificat, prædicit, operatur, Dum* DEO *ſemper & vbique* NICOPOEO *cooperatur* MARIA, IRIS MYSTICA, SYMBOLICA, PROGNOSTICA, NICOPOEA.

§. II. EXEMPLA.] *Inſpice Theatrum Vitæ,* Tit. Hoſpitalitas. *Vbi imprimis eſt Laus eius & commendata, tum exempla ex SS ris. Hoſpitalitatis præmia. Symbolum. Teſſera. Præceptum. Ritus & officia hoſpitalitatis. Nempe, vt recipiantur hoſpites hilariter, comiter, reuerenter, humiliter. Lege in eod. Theatr. Tit.* Humanitas. *Tit.* Peregrinus. *Erga hoſpites, liberales, fideles, humani, clementes, vrbani. Contrà improbi, moroſi, feroces, crudeles, perfidi, iniuſti.* Tit. *de ſignatis virtutibus ac vitijs. Hoſpitalitatem commendant mirè* S. Chryſoſt. *homil. 41. in Geneſin,* Ambroſ. *lib. 1. de Abraham, cap. 5.* Auguſt. *ſerm. 68. & 70. de tempore. Iterum* Ambroſius *lib. 2. Officior. cap. 21. & libro 3. cap. 7.*

§. *De* Sennacheribo.] *Legend.* Martinus de Roa *lib 4. Singular. cap. 5. vbi alio modo explicat hunc locum.*

LIBER VIII.

MILITIA CHRISTIANA

Eſt Fuga & Conſiſtentia.

ARS

FVGIENDI LAVDABILITER ECCLESIAE MILITANTIS.

COMMENTATIO I.

FVGA LAVDANDA. VITVPERANDA.

Qua, Qualiſqúe in Militia tum profana, tum ſacra ſit laudanda.
Qua, Qualiſqúe vituperanda.

MEMBRVM I.

CONTROVERSA

De Fuga Militari.

CVM nulla penè ſuſcipiatur expeditio militaris, certè, nullus ineatur conflictus, poſt quem, non dicatur alterutrum exercitiũ, vel aliquam illius partẽ, vel ſaltem quoſdam è militum numero, fugiſſe; aut, quod honeſtiùs enuntiatur, & ad conſeruandam Ducis ac commilitonum exiſtimationem, mollius, ſe ſubduxiſſe, paullulum deflexiſſe, aut, vt nunc ruſtici etiam didicerunt loqui, ſe *retiraſſe*, aut *retiratam feciſſe*, phraſi barbarica, quæſtionis eſt minimè vulgaris, quid de *Fuga militari* ſit ſentiendum.

AN nulla ſit probanda? An omnis contra officium ſit Ducis, vel virorum fortium? An aliqua, & quæ ſit diſciplinæ militari conſentanea? An omnis ad timiditatem pertineat? An aliqua aliquãdo à virtute imperetur? Deniqué, an eadem ſit ratio in hac re Militiæ profanæ & ſacræ in Eccleſia MILITANTE? Cuius tot membrorũ controuerſiæ pars altera, vt ſanciatur, & vt intelligant candidati *Militia Chriſtiana*, quid pro certo haberé opor-

oporteat, plurimum refert. Ne dum pugnandum fuit, pedibus ſalutem quæſiuiſſe, cum opprobrio dicantur: aut, cùm declinatione periculum prævertti poterat, ſe temerè caput obieciſſe diſcrimini conuincantur: quod æquè, ac prius illud eſt obnoxium iuſtæ reprehenſioni. Vt autem omnium illorum, quæ in quæſtionem veniunt, diiudicatio ſit facilior, diſpeſco *Fugam*, in *Simplicem* & *Artificioſam*: ſeu *Veram* & *Simulatam*, qualis eſt *Stratagematica*. Vtraque vel eſt totius exercitus, vel partis.

MEMBRVM II.

FVGA

In Militiâ malè plerumque ſonat.

NEGARI non poſſe videtur, *Fugam militarem* ex ijs eſſe, quæ in malam partem paſſim accipiuntur, ſiue ſit omnium copiarum, ſiue aliquarum tantùm. Vnde probro dari ſolet, militem fugiſſe. Lepidè Cornificius poëta, videns milites in bello, quod inter Auguſtum & Antonium gerebatur, fugere plerumque, appellabat eos *lepores galeatos*. *Ageſilaus* videns claudum militem quærentem equum, quo veheretur debilis, dixiſſe fertur: An non intelligis, in bello opus eſſe, non qui fugam adornet, ſed qui fortiter pugnantes in loco conſiſtant. (*a*) Quo ſignificabat, eos bello eſſe vtiles milites, quibus non eſt decretum, ex periculo fugere, ſed aut vincere in prælio, aut mortem oppetere. Generosè *Callicratidas*, (*b*) cum nauali pugnâ eſſet conflicturus, atque Hermon naucletus ſuaderet fugam, dicens, vt ab eo loco ſolueret, quod Athenienſium triremes numero longè plures eſſent: quid, inquiebat, tum poſteà? Fugere non tantum ignominioſum, ſed damnoſum etiam Spartanis eſt: contrà, fortiter pugnare & vincere honeſtiſſimum. Quod animo infixum habebat *Lacæna* illa, (*c*) quæ cùm filios ſuos è prælio fugam adornaſſe audiſſet, domum venientes vehementer obiurgauit, dicens: Quò itis ignaua, & fugitiua mancipia? oſtenſoque ventre, addebat: Num huc denuo ſubituri, vnde emerſiſtis?

RISVI ſe exponebat Antonius, (*d*) è prælio fugiens: cùm enim poſt Mutinenſem fugam, percontarentur quidā, quid ageret Antonius, reſpondit non nemo è familiaribus; id, quod *Canis in Nilo: bibit & fugit*. Conſtat enim in Ægypto, canes in Nilo currentes bibere metu Crocodilorum eo in fluuio regnantium. Neque negauit probroſum eſſe *Fugere* nobilis militum Ductor *Xenetus*, qui ciuibus exprobantibus ſibi, quod Imperator exercitus in bello fugiſſet, aiebat: At vobiſcum ô cara Capita, probrum cum exprobantibus communicans. Eſtque ea communis omnium gentium perſuaſio: hinc vbique malè audiunt *Milites fugitiui*, & quod facilitatem, habitumque importat, *Fugaces*; qui *Damis* comparantur pauentibus, & *Ceruis* timidis ac imbellibus. Quare obijci ſolet glorioſulis vel vna *Fuga*, quæ à Poëtis, vt *fœminea*, *fœda*, turpis

Ggg 3

(a) *Plutarch. in Lacon.* (b) *Plut. in Lacon.* (c) *Plutar. in Lacon.* (d) *Macrob. Saturn. lib. 2, cap. 2.*

turpis, timida, mollis, deſes, & *probroſa* proſcribi ſolet. Cùm *Pomponius* miles oſtentaret ore exceptum in ſeditione Sulpitiana vulnus, quod ſe paſſum pro Cæſare gloriabatur; breuiter & acutè, vt contunderet hominis iactantiam, Cæſar ſuggeſſit: *Ne vnquam fugiens reſpexeris*. Simili modo *Auguſtus* Imperator, militem ſaxo in expeditione percuſſum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen ſua geſta iactantem, compreſſit, dicens: *At tu, cùm fugies poſt hac, nunquam poſt te reſpexeris*.

HINC etiam animoſi & periti in bellis Duces, fugam militum, qua poſſunt arte, & quibuſcumqúe pœnis inhibere conſueuerunt, & præuertere. *Iulius Cæſar*, cùm maximè ferueret prælium; & animaduerteret, Martiæ legionis Aquiliferum iam ad fugam conuerſum, eum faucibus apprehenſum in contrariam retraxit partem, dexteraqúe ad hoſtem conuerſa; Quorſum, clamabat tu abis? illic ſunt cum quibus dimicamus. Ac ſic manibus quidem vnum militem correxit, voce autem tam acri legionum trepidationem diſcuſſit, vinciqúe paratas vincere docuit. Sed non ſemper parent Ducis imperio fugitiui milites. Narrat Paulus Iouius, (*b*) cum Galli ad Frangetum oppidum, inſtructâ acie Aragonios adoriri ſtatuiſſent, hos territos ab præconceptam opinionem de hoſtis virtute ac crudelitate, partim ardentibus, ac ſemiuſtis Frangeti, in tectis ſe condidiſſe, partim turpi fugâ dilapſos, adeò vt neceſſe eſſet, Regem ipſum *Ferdinandum*. II. Aragonium, ſua manu, alios laqueo ſuſpendere, alios intentato gladio vulnerare ac interficere. Itaque fuga vniuersè, niſi aliquæ interueniant circumſtantiæ, quæ probrum planè tollant, ignominioſa eſt militi. Quæ autem illæ ſint circumſtantiæ inueſtigandum eſt accuratè. Tum quia quoſdam ignaros diſciplinæ militaris, aut Theologicarum de bello aſſertionum, perperam ſæpe iudicare audimus cùm exercitum, aut ex illo partem aliquam fugiſſe intelligunt, aut contrà fortiter pugnando occubuiſſe, cùm fuga elabi potuiſſent. Tum quia de prælio ac *Fugâ* ſpirituali differendum eſt, cum analogiâ ad illa, quæ in corporali vel fiunt, vel fieri deberent, ex artis virtutis qúe præſcripto, ac regulis.

(a) *Macrob. lib. 2. Satur. cap. 4.* (b) *lib. 4. hiſtor.*

MEMBRVM III.

FORTITVDO HEROICA

Suadet interdum occurrere hoſti copioſo cum paucis, & præliari potius, quàm fugere. Exemplum *Iudæ Machabæi Heroïs Inclyti.*

IMPRIMIS illud ſtatuatur. Quando toti exercitui periculum imminet in bello iuſto, quamuis *Fuga* euadere poſſit, melius tamen aliquando eſt, & laudabilius, ſubſiſtere, ad pugnam ſe offerre, & heroicâ fortitudine præliari, quàm

quàm fugere. Exemplo ſit IVDAS MACHABÆVS, cuius in hac re animoſitas ac robur deſcribitur Machabæorum primo hunc in modum, cap. IX. *Viderunt*, qui cum Machabæo erant, *multitudinem exercitus* aduerſariorum, *quia multi ſunt, & timuerunt valdè: & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non manſerunt ex ijs niſi octingenti viri. Et vidit Iudas, quod defluxit exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum, & confractus eſt corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & diſſolutus eſt. Et dixit his, qui reſidui erant: Surgamus & eamus ad aduerſarios noſtros, ſi poterimus pugnare aduerſus eos. Et auertebant eum dicentes: Non poterimus, ſed liberemus animas noſtras modò, & reuertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus aduerſus eos: nos autem pauci ſumus. Et ait Iudas: Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus ab ijs. Et, ſi appropiauit, tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros: & non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Quaſi dicat, in fuga eſt dedecus noſtrum. Hanc hiſtoriam commentario exponens Nicolaus Serarius, in quæſtionem vertit, An Iudas rectè cùm haberet tam paucos, pugnauerit, & tantum in diſcrimen ſe coniecerit? An non ſatius fuiſſet, fugâ elabi? Reſpondet autem, rectè feciſſe Iudam, cùm heroicæ fortitudinis opus ediderit, ad quod rectè aggrediebatur: quia diuino auxilio, à paucis magnas hoſtium copias ſæpe fuſas ſciebat, reque ipſa expertus ipſe fuerat. Hoſtilibus viribus, vt obuiam irent Abraham, Gedeon, Ionathas, Dauid, alii, quantos ipſi exercitus eduxerunt?

HEROICA FORTITVDO non communem, tritamque *Fortitudinis* viam, ſed arduam magis, difficilioremque, DEI potius, quam ſuo ipſius robori confidens, ingreditur. Quemadmodum ſunt inter homines nonnulli, qui dicuntur *Heroes*, *Illuſtres*, *Diuini*, quoniam, licet ſint mortales, rerum tamen à ſe geſtarum magnitudine, quàm proximè ad DEVM immortalem accedunt; ita in virtutum quolibet genere, quædam dicuntur *Heroica, Nobilia, Eximia*, quoniam modum ordinarium, qui in reliquis cernitur, excedunt. Sic *Heroica* eſt *Caritas*; quam deſcribit Dominus in Euangelio, quâ diligitur DEVS ex toto corde, ex totâ animâ, tota mente, totis viribus, id eſt, quæ ad ſummam illius perfectionem virtutis peruenit: cui nihil deeſt: quæ eſt conſtituta in apice excellentiæ. Talis eſt *Dilectio proximi*, quâ diligitur, vt alter ipſe, qui diligit. Ita *Heroica Caſtitas* fuit in Ioſepho, Agnete, Cæcilia, Thoma Aquinate, Aloyſio Gonzaga: *Heroica humilitas* in DEIPARA, *Heroica Paupertas* in Franciſco: *Heroica obedientia* in Mauro Benedicti diſcipulo: *Heroicus zelus* in Apoſtolis. Atque ita *Heroica Fortitudo* cernebatur in Machabæo, de quo libro ſecundo hiſtoriæ Machabææ: cap. XV. *Machabæus autem ſemper confidebat cum omni Spe auxilium ſibi à Domino adfuturum.* Et mox, *Alloquutus eſt eos de lege & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerunt prius.* Quod clarius dicitur in Græco: Redigens ipſis in memoriam, etiam certamina illa grauiſſima, quæ perfecerant. Quæ ita redigebat commilitionibus in memoriam, vt ex ipſe ea recoleret, & magnificè deprædicaret. Tum quæ habentur Deuteronomij XXVIII. vbi multiplex promittitur

titur obſeruantibus legem benedictio, & tranſgredientibus maledictio.

AD militiam ſpectat iſta benedictio (a) *Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te corruentes in conſpectu tuo: per vnam viam venient contra te: & per ſeptem fugient à facie tua.* Illi oppoſita eſt maledictio pro præuaricatoribus, *Tradet te Dominus corruentem ante hoſtes tuos: per vnam viam egredieris contra eos, & per ſeptem fugies, & diſpergeris per omnia regna terræ.* Tum, quæ narrantur I. Machabæorum cap. III. quomodo Machabæus perambulauerit ciuitates Iudæ, & trucidauerit omnes impios, ac Apollonio Duce occiſo, eiuſque exercitu diſperſo, vicerit cum paucis potentiſſimum Syriæ exercitum. Tum, quæ ſcribuntur eodem in libro cap. IV. qua ratione Gorgias quæſiuerit Iudam: is verò ſuos hortatus fuderit hoſtes: rurſum verò, Gorgiæ exercitu partim cæſo, partim profligato, collegerit ſpolia: denique fuſis ad DEVM precibus, quo pacto deuicerit exercitum Lyſiæ. His ſimilibuſque Patrum factis & victorijs glorioſis animatus heros fortiſſimus Iudas, cum paucis in conſtipatiſſimum hoſtem irruit.

AT fuit ipſe *confractus corde*, ſiue *diſſolutus*, vt ſuperius eſt narratum. Non diffiteor. Sed fuit iſthæc naturalis quædam conturbatio, cui tamen, vt demonſtrant, quæ fortiter patrauit, neque ſuccubuit, neque ceſſit. *Difficile eſt*, vt ſcribit S. Hieronymus, *quin potius impoſſibile, perturbationis initijs carere quempiam, quas ſignificantius Græci* προπαθείας *vocant. Nos, vt verbum vertamus è verbo, Ante-paſſiones poſſumus ducere.* S. Thomas, *confractum corde*, interpretatur, *tedio affectum.* Addit autem, *quia vehementem zelum habebat, & ipſum proſequi non poterat.* Nec eſt, quod minus honorificè ſuſpiceris de fortiſſimo Heroe. quod fugere noluit, *ne gloriæ ſuæ maculam inferret*, vt dicitur verſu X. Siquidem, quemadmodum corporis viribus, fortunæ opibus, itemque gloria, & bona fama; ſic imbecillitate, inopia, infamia ac dedecore ad bonum præcipuumque finem, tanquam medio quodam vti licet. Quocirca, quod Iudas feciſſe dicitur iubetur expreſsè ab Eccleſiaſtico: (b) *Ne dederis maculam in gloria tua.* Et ab eodem Sapientiæ Doctore obijcitur Salomoni: *Dediſti maculam in gloria tua*, Eccleſiaſtici XLVII. Finis verò Iudæ præcipuus fuit, qui debet eſſe omnium iuſtè bellantium, nimirum, vt DEI gloria imprimis, Templi religio, ſacrarum ceremoniarum ſanctitas, tum Reſpublica, ac patriæ incolumitas, denique fortunæ iuſtè partæ, vxoreſque ac liberi defendantur ac propugnentur. *Statuerunt dimicare fortiter*, dicitur de Iudæ Socijs, *& confligere, vt virtus de negocijs iudicaret, eo quod ciuitas Sancta & Templum periclitarentur. Erat enim pro vxoribus & filijs, itemque pro fratribus & cognatis minor ſolicitudo: maximus verò & primus pro ſanctitate timor erat templi*, Libro II. Mach. cap. XV.

POSSE autem Duces ac Milites ſpectare Gloriam, docet S. Auguſtinus (c) diſtinguens eam in bonam veramque, & malam ac vanam. Illam probat in fidelibus; iſtam improbat in Romanis Gentilibus. Gloriam, quæ ex DEO, in DEO, propter DEVM & ad DEVM ſpectauit fortiſſimus Iudas, eumque in finem tot

ac

(a) *Deuteronomij XXVIII.* (b) *Cap. XXXII.* (c) *Lib. V. de Ciui. cap. 12. 14. 18.*

ac tantas expeditiones bellicas ſuſcepit, hoſtes deuicit, triumphos retulit. Profitetur vniuersè Ioſephus, Hebræorum hiſtoricus (a) apud Iudæos moribus fuiſſe receptum, vt in rectè factis non *Gloria* ſpectaretur, nec ad illam referretur labor & exercitatio, ſed bonitas ac virtus. In quo à Iuda, legum paternarum obſeruantiſſimo, minimè peccatum omninò certum reor. Cui & illud aſtipulatur, quod S. Thomas ſat rigidus morum cenſor, Iudæ facta dictaque expendens, ſcribat, non iſta eum dixiſſe, quod confideret de ſe, ſed de diuino auxilio. Cum autem dixit: *Non inferamus crimen* Gloriæ *noſtræ*, notat præclarus Interpres, ſenſum eſſe poſſe, quem ingerit Græca vox, quæ ibi habetur, *δόξα*: Nullam cuiquam *Gloriam*, DEVMque noſtrum calumniandi, & criminandi occaſionem demus. Ne dicant gentes, *Vbi eſt* DEVS *eorum?* (b) Ne impunè blaſphemet quiſpiam, vt Nicanor, dicens: *Ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma:* Ille qui *cum ſumma ſuperbia erectus cogitauerat commune trophæum ſtatuere de Iuda.* (c) Sed hic ei fortiter ſe oppoſuit, reſpiciens gloriam non tam humanam, quam diuinam, &, quod Scholaſticè dixit S. Thomas, non tam quæ in via, quàm quæ in patriâ.

HANC de Iudâ Machabæo exiſtimationem habuerunt Patres, Doctoreſque Eccleſiæ, à quibus vt fortiſſimus Dux & diuinæ gloriæ propugnator excellens celebratur. Eleganter S. Ambroſius, qui libro 1. Officiorum cap 41. ita diſſerit: ad officium bellicoſi Ducis perquam accommodatè: *Quæ fortitudo, non ſolùm ſecundis rebus, ſed etiam aduerſis probatur, ſpectemus Iudæ Machabæi exitum. Is enim poſt victum Nicanorem Demetrij Ducem, ſecurior aduerſus viginti millia exercitus Regis, cum nongentis viris bellum adorſus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, glorioſam magis mortem, quàm turpem fugam ſuaſit. Ne crimen,* inquiebat, *noſtræ relinquamus gloriæ. Itaque commiſſo prælio, cùm à primo ortu diei in veſperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validiſſimam manum aduertit hoſtium, aggreſſus, facilè auertit: ſed dum fugientes ſequitur, à tergo vulneri locum præbuit. Ita glorioſiorem triumphis mortem inuenit:* Neque legere me memini, aut audire vllum, qui *Iudæ Machabæi* factum improbarit; ſed potius inde, adiunctis alijs facinoribus ſanè egregijs, tanta nominis illius fama & Synagogæ olim temporefuit: & nunc Eccleſiæ Chriſtianæ, per omnes orbis partes viget, vt eius nomine decorari ſoleant Heroes illi, qui pro Religione contra infideles egregiè dimicant. IVDAE MACHABAEI ſplendidiſſimum, nomen ante annos DCC tos & plures, conſequutus fuit Witichindi Saxonis filius RVPERTVS. (d) Et, qui ex Domo Lotharingicâ Duces inuictiſſimi Regnum Ieroſolymitanum armis recuperarunt. Quorum primus fuit GODEFRIDVS, qui, vel Coronam regalem geſtare noluit, vt eſt apud Gulielmum Tyrium; (e) vel non niſi ſpineam geſtauit, vt cernitur in ſtatuis Oenipontanis. (f) BALDVINVS Ieroſolymorum Rex ſecundus, ita celebratur in epitaphio,

(a) *Lib. xvi. cap. 9.* (b) *Pſalmo LXXVIII.* (c) *lib. 2. Machab. cap. 15.* (d) *Auentinus lib. xv* (e) *de bello Sacro.* (f) *Stephanus Pighius in Hercule Prodicio.*

Rex Balduinus, Iudas, *alter* Machabæus.
Spes patria, Vigor Eccleſia, Virtus vtriuſque.

GVISIVS Dux magnanimus, ex eadem familiâ, qui, me puero, vbique celebrabatur, quod feliciſſimè hæreticorum copias in Galliæ Catholicæ viſcera ſæuientes deleuiſſet, eodem Machabæi nomine ac titulo ornabatur. Itaque, non eſt ſemper temerarium, ſed poteſt eſſe Heroicæ Fortitudinis facinus: interdum cum paucis præliari potius, quàm fugere. Sed velim notari τὸ *interdum*: nam aliquando poteſt eſſe temerarium, & vituperabile.

MEMBRVM IV.

PRVDENTIA MILITARIS

Docet, præſtare interdum, cùm impar eſt exercitus, pugnandi copiam negare: & moderatè ſuas copias ſubducere.

QVAMVIS *Fortitudo Heroica*, qualis laudatur in Machabæo, ſit commendatione digna; tamen eſt aliquando *Prudentia militaris* in Duce, negare pugnandi copiam: copias ſuas infirmiores ſubducere: continere militarem, ſiue audaciam, ſiue temeritatem, ne impar hoſti congrediatur. Id Sanè ſuadet Ratio, optima etiam in Militaribus ductrix, & ſequenda ſemper, quando vis maior ab alto, & afflatus DEI vehementiſſimus aliò non rapit, quod Machabæo contigiſſe exiſtimo. Profectò, Reipublicæ, Patriæ, Regni, aut Imperij maius bonum, aut certè, minus malum eſt ſpectandum in iſtiuſmodi deliberationibus. Quis autem dubitet id fieri potius cautione, quam præcipitatione? Sæpiſſimè præceps prælium adfert extremum exitium. Minus nocetur protelatione, quàm præcurſione dum periculum imminet graue, ac vix dubium. Non cenſetur Ducis eſſe prudentis periculum ſubire, cùm parua, ſpes eſt victoriæ. quid ſi nulla humanitus in tanta hoſtium multitudine, & tanta tuorum paucitate?

ANTIGONVS aliquando cedens hoſtibus imminentibus, aiebat, ſe non fugere, (*a*) ſed opportunitatem à tergo ſitam perſequi: nimirum, vt perſequimur hoſtem, ita perſequimur id, quod ſtudioſè expetimus. Significabat prudēs Imperator, non eſſe turpe fugere, quoties magis expedit dari locū hoſti, quàm conſerere manus. De Hercule narrat Plutarchus; (*b*) eum Troia redeuntem fuiſſe luctatum cum Antagora paſtore, verum, cùm Meropes Paſtori, Græci Herculi auxilium ferrent, multitudine tandem oppreſſum fugiſſe: nec id putaſſe dedecoroſum cum extrema ſuaderet neceſſitas, nec ſpes eſſet ſe tuendi.

(*a*) *Plutar. Apoph. Stobæus Ser. xxi.* (*b*) *in Græc. q. q.*

MEMBRVM V.

CAVTELÆ IN FVGA MILITARI

Ne Duci ſit ignominioſa: & damnoſa Reipublicæ.

DVM ſuadet *Prudentia*, *Militaris* vt hoſti cedatur, nec ineatur prælium, quædam obſeruanda ſunt, quæ fugam vel antecedant, vel comitentur, vel ſubſequantur.

I. NON oriatur *Fuga* à timiditate, aut temeritate Ducis, quod illi eſt dedecoroſum. C. Caligula aduerſus Barbaros minaciſſimus, cùm trans Rhenum, inter anguſtias denſumque agmen iter eſſedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore conſternationem, ſi inde hoſtis appareret, equum illicò conſcendit; ac properè verſus ad pontes, vt eos calonibus ac impedimentis ſtipatos reperit, impatiens moræ, timidiſſimus mortalium, per manus, ac ſuper capita hominum translatus, aufugit. quanto cum dedecore quis non videt? (*a*)

II. NON ineatur *Fuga* è prælio, quàm diu hoſtium impetus ſuſtineri poteſt. Contrarium eſt animi puſillanimis, ac fæminei, in Cleopatra reprehenſi. (*b*) Ad Actium Ambraciæ promontorium M. Antonius prælio nauali cum Auguſto decertabat. Æquo adhuc Marte, Cleopatra cum ſexaginta nauibus aufugit (vt quæ claſſe depugnandum ob hoc vnum cenſuerat, vt facilè effugere poſſet) Eam fugientem videns Antonius, perditam perditus cum quinque nauibus ſequutus eſt, proditis & derelictis iis, qui pro ſalute, & imperio eius non timidè decertabant. O perfidiam mulieris & viri in caſtris mulieroſi!

III. SI exercitus tuus animaduertatur multo minor hoſtili, honeſtius detrectabis prælium, quam, vt poſt acceptatum initumque fugias. Si tamen ſubduci poteſt exercitus ſine periculo, non delinques contra prudentiam aut fortitudinem, ſi etiam ex ipſo prælio eum ſubducas, & in tuto colloces. Huius *Cautelæ* exemplis ſcatet hiſtoria, Turcica, Hiſpanica, Gallica, Italica, Belgica, Iouii Thuani, Marianæ, Guicardini, Stradæ, Flori Germanici Waſſenbergii, aliorum, quæ accumulare non attinet.

IV. SI totus exercitus verè fugiat, colligendus eſt quàm citiſſimè miles, & firmandus, munienduſque: ac, ſi fieri poſſit, parandæ hoſti inſidiæ. Quæ ſi negligantur, diſſipari neceſſe eſt copias & hoſtiũ ſæuitiæ exponi. quæ inde ſtrages?

V. SI pars exercitus ſit fugata, altera vicit, victoriam ſibi vindicet, omniaque prouideat & apparet Dux, vt inſidias ſtruat, quod tunc maximè eſt opportunũ.

VI. DVX caueat ne vnquam exercitus diſſolutis ordinibus effuſâ fugâ ſe proripiat: exponit enim ſe ſuoſque manifeſto periculo & certo. In pugnâ pauci, certè, non omnes, in fugâ plerique omnes mactantur, aut in ſiluis inter feras pereunt. Poſt prælium illud celeberrimum inter Campſonem & Selymum paſſim vulgabatur, plures in *Fugâ*, quam in prælio deſideratos.

(a) *Plutar.* (b) *Idem in Antonio.*

VII. PERFIDI eſſent Milites, qui *Fuga* Ducem dererent. Quod aliquando ad vindictam factum legimus. C. Cornificius Poëta, Virgilij æmulus à militibus deſtitutus interijt, quod eos ſæpè fugientes, *Galeatos lepores* appellaſſet. (*a*) Mithridates (*b*) à Cn. Pompeio ad Euphratem fuſus, cum octingentis equitibus per Romanos erupit. Sed mox ijs dilapſis ſolus relictus eſt cum tribus: Vnde fugiens in Armeniam ad Tigranem Socerum contendit, à quo excluſus, prætericis Euphratis fontibus, fugam per Cholchidem continuauit.

VIII. FAS non eſt Militi fugam arripere, quam diu ordines manent, vel ſignum, vel Centurio, vel Dux ſubſiſtit, quamuis videat ſe in præſentiſſimo mortis periculo. Ad hoc enim poſt Sacramentum militare tenetur: ad hoc ipſum iureiurando ſe obligauit Duci & Reip. hoc Militis fidelis, & non ſolùm generoſi eſt proprium.

IX. QVANDO capta ſunt ſigna: quando exercitus pars magna profugit: quando Dux minimè alioqui timidus exemplo prætuit, neque in reſiſtēdo ſpes eſt reliqua, licet Militi fugere: neque hoc illi eſt dedecoroſum. Ita Caritas ſuadet, & vitæ amor naturalis, quam prodigere non conuenit: mori autem velle nulla ſui, vel Reip. vtilitate, & in mortem ruere belluinum eſt. *Demoſthenes* Athenienſium Orator, qui clypeo ſuo litteris aureis inſcripſerat, ἀγαθῇ τύχῃ, in pugnâ ad Chæroneam, vbi graui clade à Philippo Macedonum Rege Athenienſes ſunt affecti, fugit. Quod cum illi probro daretur, diceretúrque ῥιψάσπις eſſe, eluſit vulgato verſiculo:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων πάλιν μαχήσεται

Vir qui fugit, rurſum integrabit prælium,

indicans, vtilius eſſe patriæ, fugere, quàm in prælio ſine iuſta cauſsâ mori. Mortuus enim non pugnat: at qui *fugâ* quæſiuit ſalutem, poteſt porrò virtute infamiam, ſi quam contraxerat, delere, & in multis prælijs patriæ vtui eſſe. Itaque perperam faciunt, qui quoslibet milites ex prælio redeuntes ludibrio excipiunt, & rident vt *fugitiuos*, cùm aliquorum *Fuga* ex virtute eſſe potuerit. Prouerbio dici ſolet: Maiorem eſſe artem fugiendi, quàm pugnandi. Ingenioſè fugere, atque alibi victoriam ſequi, prudentis eſſe militis ac Ducis. Fuga Stratagematica non eſt ignauiæ, ſed induſtriæ: Fugæ conſilia, cum eam neceſſitas ſuadet, non repudianda, ſed amplectenda ſunt, quippe ſalutaria.

(*a*) *Euſeb. in hiſtor.* (*b*) *Plutarchus in Pomp.* (*c*) *Demoſthenes Plutar. in vita. Gellius lib. 17. cap. 21.*

NOTÆ.

§. I. FVGA eſt velox curſus. *Græcis*, ἀνάπαυσις, ἀναφυλή. *Hebr.* manos, *à radice* nos. *A fuga, ſeu fugiendo, dicitur perfuga; transfuga, lucifuga, noctifuga, ſolifuga, lucrifuga.* *Lege Theatrum, verbo,* FVGA. *Vbi de fuga inuenies omnis generis exempla, ſacra & profana. De* Fuga *militari legatur etiam Adamus Contzen lib. x. Polit. cap. 48.*

§. II. Ex-

§. II. Exempla turpiter fugientium, exhibet Theatrum. D. 31. *Hoſte nondum viſo*, D. 41. *Fugientium ex acie*, F. 256. *Prælio naua-li*, ibid. *Obſidione* ibid. Fugientium mode-ratè *poſt aciem deuictam, virorum fortium* D. 26. 27. *Cùm hoſtes præpotentes haberent*, D. 27. *Fugere, quàm ab hoſte præpotente occidi ma-lentium*. D. 16. 22. 28. Fugâ *qui mortem, pericula, & inſidias honeſtè vitarint*, D. 25. 26. 27. Fuga *exercitus ex errore paruo conciliata*, I. 32. 33. *& ſeqq. In pugnâ callidè ſimulata*, A. 70. H. 185. *& ſeqq.* H. 208. *& ſeqq.* Fugâ ſimulatâ *hoſtis deceptus*. H. 175. 181. 188. 201. 204. *Hoſtes in inſidias protracti*, I. 318. *& ſeqq.* Fuga *ſuorum ſtultè impedita*. S. 367. Fugæ è pugna *ſolers excuſatio*, F. 257. H. 209. P. 761. *Iocoſa*, V. 262. *Fugam qualiter excuſa-rit Antigonus*, D. 27. *&* M. *Craſſus*, ibid. *Fuga exercitus diuerſis ſtratagematis ſaluata*, M. 470. *ſeqq. Quibus ſaluti fuerit*, D. 25. *ſeqq.* Fugæ *hoſti via patefacienda, non claudenda*, F. 257. *Fugenti hoſti pons argenteus ſternendus*, F. 257. *Vltro hoſti prudenter via ad fugiendum patefacienda*, H. 219. *Occaſio militibus à pro-prijs Ducibus ſtudioſè ſubtracta* M. 492. *& ſeqq.* Fugæ *immortui*, M. 722. Fugæ *mæror obſtat & metus*: D. 27. E fuga *ad prælium & victoriam acclamatione retracti*, F. 174. Ex fuga *conuerſi & victores facti*, H. 188.

Fugiendo *pugnare ſoliti*, A. 176. *Fuga pe-riculum mortis fortiter prælatum*. A. 722. *Præ-ferentium exempla*, C. 434. D. 29. *ſeqq.* Fugere recuſantium, *& excuſantium* Ex-empla, D. 35. 435. Fugere nolentes, F. 256. 227.

§. III. MILITI *forti contra quattuor ho-ſtes fugere permiſſum. Frotho* III. *Danorum Rex edixit, vt quiſquis Militiæ deditus, ſpe-ctatæ virtutis titulum adfectaret, impeteret ad-uerſarium vnum, exciperet duos, tres modica pe-dis retractione vitaret, quattuor fugere non eru-beſceret*, *Saxo* l. 5. *In quocumque etiam periculo ignominioſiſſimum eſt fugere apud Cetas*, I. 167. *Fugere ſatius, quàm cadere cùm docuiſſet Ar-chilochus à Laconibus vrbe eiectus eſt*. F. 175. Fugiendum Manibus, *non pedibus cenſuit* M. *Brutus*, D. 35. Fugiens exercitus *difficul-ter ſiſtitur*, D. 41. 42. *Fugienti hoſti non inſi-ſtendum pertinaciter*, H. 220. 208. *Fugitiui ex acie filij à matre occiſi*. F. 137. *Fugitiui ſer-ui*. P. 243. *ſeqq. Eorum notæ, ſtigmata*. S. 139. *Pœna*, P. 416.

§. IV. FVGALIA *feſta erant in honorem Deæ* Fugiæ, *quorum meminit S. Auguſtinus* Lib. 2. de Ciuit. DEI *cap.* 6. *Dicit autem fuiſſe verè* Fugalia, *ſed pudoris & honeſtatis. Deam autem* Fugiam *dicit Perottus, fuiſſe Deam Vi-ctoriæ propter fugatos hoſtes.*

§. V. APOPHTHEGMATA de Fuga. *Saluti per fugam opportunè aliquando conſu-lendum, confirmauit prudentiſſimus Athanaſi-us, qui ab Alexandriæ Præfecto crebris inſidijs petitus, neceſſarios ſuos de eiuſmodi procellis al-loquens: Secedamus, aiebat, ad tempus. Nube-cula eſt, quæ citò euaneſcet. Socrates lib. 3. hiſt. Eccl. cap.* 12. *Theodor. lib.* 3. *cap.* 8. *Idem, cùm ei hæretici probro darent, quod fugeret, dicebat: ſi fugere mihi turpe, vobis, innocentem me perſequi turpius. Socr. lib.* 3. *Ethnicorum plura ſunt, qui-bus ſcatet Theatrum* V. H. *ver.* Fuga.

COMMENTATIO II.
FVGA
Occaſionum Peccata præcedentium.

MEMBRVM I.
EXERCITVS
Ex Occaſionibus Peccatum præcedentibus conflatus.

CVM certum ſit, non omnem FVGAM hoſtium, ſiue ante, ſiue in ipſo prælio, ſiue poſt conflictum, eſſe dedecoroſam; ſed quandam eſſe laudabilem in Militia profana, quæ eſt corporea; id tamen longè certius eſt in *Militia Sacra* & *Spirituali*, quam complectitur *Chriſtiana*. In hac enim ſunt nonnulla, quæ non niſi *Fuga* ſuperantur. Inter quæ primum locũ habet *Exercitus*, qui conflatur à Cacodæmone ex Militibus vndecumque aduocatis & mercede conductis, diciturque OCCASIONALIS. In quo ſinguli milites ſunt *Occaſio* alicuius peccati. Habet is Exercitus varios manipulos & cohortes. Nam cohors vna conſtat Occaſionibus Superbiæ, alia Gulæ, tertia Laſciuiæ, quarta Iracundiæ, atque ita deinceps ſecundum vitiorum numerum. Exempli cauſſa. Ad Superbiam *Occaſiones* ſunt, quæ integram cohortem efficiunt, cogitatio de ſplendore natalium, loquutio de nobilitate familiæ, maiorum ambitioſa numeratio: magnifica verba: oſtentatio ingenij, ſcientiæ, opum, honoris, dignitatis, ſimilium. Ad Gulam & intemperantiam *Occaſiones* ſunt, conuiuia, epulæ, comeſſatio, ſympoſia, lautitiæ ciborum, vini generoſitas, Ad Laſciuiam, cohabitatio promiſcua ſexus vtriuſque, aſpectus, nutus, nictus, riſus, conuerſatio mollis, cõfabulatio iucunda, multo magis, obſcæna, verborum blanditiæ, litterulæ, munuſcula, oris ſuauitas, totius corporis ad mollitiem compoſitio. Ad Iracundiam; prouocatio, irritatio, contemptus, ſcomma, irriſio, vilipenſio, vt vulgus loquitur. Aliorum peccatorum aliæ ſunt occaſiones.

ET ſunt duplicis generis. Nam aliæ vocantur *Proximæ*, id eſt, quæ antecedunt proximè, ac ferè immediatè Peccatum, vt viam illi parent; & nunquam penè reperiuntur niſi peccato ſubſequente: adeò, vt peccatum eatum potius videatur comes, quàm à tergo ſequens. Exemplũ dari ſolet in Eccleſiaſtico, qui domi alit *Agapitam*, titulo ancillam, reapſe *Concubinam*, ſaltem ante hac: nam frequenter cum illa eſt lapſus, auxitque ſuam familiam aliquot filiolis Leui. Illam, quam

diu

diu domi ſuæ detinet, aut in vicinia, immò in pago, aut oppido, vbi eſt, aut Vicarius, aut Canonicus, aut Paſtor, cenſetur habere *Occaſionem proximam* peccandi peccato luxuriæ. Aliæ Occaſiones nominantur *Remota*: quarum non eſt tanta cum peccato connexio, aut non tam infallibilis.

MEMBRVM II.

OCCASIONES FVGA DECLINANDÆ SVNT.

EX *Occaſionibus* vtriuſque generis collectus *Exercitus*, quam primùm præmittitur à Cacodæmone, & comparet, Chriſtiani Militis eſt, *Fuga* ſalutem quærere, & hunc exercitum fallere. Quod ſi maturè fiat & cautè, cenſetur deuictus: neque eſt alius eum diſſipandi, ac ſuperandi melior modus. Nam per ſe euaneſcit, tanquam ignis cuius non eſt amplius pabulum. Sic olim elephantorum & curruum falcatorum impetus vitabatur ſine noxa, ac dedecore. Hoc eſt, quod paſſim omnes morum & Pietatis Magiſtri præſcribunt ſimpliciter ſine vlla metaphora: *Fugiendas eſſe peccati occaſiones*. Hæ primum impetum faciunt: quem fruſtra alio modo, quàm declinando & ſubducendo te, auertere aut ſuſtinere tentas. Superaberis ſi expectes donec in te irruant. Vt *Occaſio* furem, quod vulgo ſpargitur, ſic quoque ſuperbum, iracundum, laſciuum & luxurioſum facit. Hic *Fuga* eſt laudabilis: quippe neceſſaria, & ſecundum artem Militiæ ſpiritualis.

IN qua exercitatus IOSEPHVS adoleſcēs venuſtiſſimus cùm hera illum prolectaret ad flagitium. qualis occaſio! profugit illicò, chlamyde quoque in illius manu relicta. O *Fugam* præclaram! Talis quoque fuit Caſtiſſimæ SVSANNÆ, ad quam ſuperandam, cùm inueterati dierum malorum, cohortem *Occaſionum* libidinis præmitterent, & illa fugere non poſſet alio modo, quàm ad mortis carnificinam properando, hoc elegit. O *Fugam* glorioſam! Qualis fuit tot Martyrum in vtroque ſexu Militiam Chriſtianam profitentium, quibus honores, diuitiæ, regales nuptiæ, regna & imperia, vt occaſiones negandi fidem, oblata fuerunt, ſed illi *Fuga* elapſi, mortem præoptarunt. Quod ſi inuiteris ab aduerſariorum Duce Diabolo, vt pugnam cum Occaſionum copijs incas, id tibi glorioſum fore ſuggerens, non obſequaris nec vitam periculo exponas, ob inanis ſpem glorioſæ, & oſtenta[illegible]m nil profuturam. Laudatur à Romanis C. Marius, qui in bello ciuili cum foſſâ cinctus obſideretur ab hoſtibus, continuit ſe, & pugnam detrectauit, tempus expectans opportunum. (a) Popedio autem Siloni dicenti, ſi magnus es Imperator, ô Mari! deſcende in conflictum: immò tu inquiebat Marius, ſi magnus Imperator, coge me nolentem ad certamē venire. Præclarum reſponſum, tibi vſurpandū quoties à Cacodæmone ad confligendū cum Occaſionibus prouocaris. Irridebit te, ſi id perſuadere potuerit, & de victoria certus, minus te æſtimabit inpoſterum,

(a) *Plutar. in Apoph. Rom.*

rum, vt Annibal Marcellum. Cùm enim poſt cladem à Romanis apud Cannas acceptam, Fabius Max. creatus eſſet Imperator, cum Claudio Marcello, viro audaci, ſemperque geſtienti cum Annibale confligere, Fabius potius ſperabat futurum, vt ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal, dixit ſe magis formidare Fabium à pugna quieſcentem, quàm Marcellum pugnantem: & hūc deſpexit, illum æſtimauit, qui deinde pugnam detrectando, & cunctando reſtituit rem. Idem tibi continget, ſi ſubducaſte, & abſtineas à conflictu cum Occaſionum exercitu, in te à Cacodæmone immiſſo.

PVGNARE velle cum Occaſionum cohorte, eſt velle ſponte Mundi Carniſque lenocinijs irretiri, & manus victas ad vincula, pedes ad compedes, velut mancipium offerre, hoſtis ludibrium. *Scipio Africanus* dicebat, cum hoſte non eſſe confligendum, niſi quando vrgeret neceſſitas, aut inuitaret ad ſpem victoriæ opportunitas (*a*) Neutra eſt, quando cum occaſionum exercitu eſſet dimicandum. Nam ſubducendo te, neceſſitatem declinas honeſtè: offerendo te ad conflictum, opportunitatem vincendi, quæ non niſi in *Fuga* eſt ſita, negligis, quod eſt imprudentis, & ignaui. C. *Domitius* (*b*) vbi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus, vt confeſtim aggrederetur, negauit id ſe facturum, quod id eſſet eo tempore intempeſtiuum. Exſtimulantibus te ad conſerendum manus cum Occaſionum phalange, exercitum vitiorum antecurſoria, denega prudenter, quod ſemper intempeſtiuum ſit pugnare cum hoc hoſtium genere. (*c*) Cùm *Antigonus* in arduis ac præruptis locis planiciei imminentibus exercitum haberet, (*d*) *Pyrrhus* poſitis circa Napham caſtris, poſtridie per caduceatorum, vt in campum deſcendens Martem experiretur, prouocauit. Antigonus verò reſpondit, ſuam Militiam non magis armorum, quàm temporum eſſe. Pyrrho, ſi illum ſuæ vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patere. Qui ab Occaſionibus peccatorum ſe ſubduxit, maximè ſi degit in Religione, poſita habet caſtra in loco prærupto, inter montes Sanctorum, in adiutorio Altiſſimi, ad quod non eſt acceſſus aduerſarijs: à quibus ſi ſolicitetur, vt deſcendat, & in medio nationum, & occaſionum prauarum conflictum cum ijs ineat, ridere illos poteſt, & reſpondere, *Militiam* ſuam non magis armorum eſſe, quam temporum: nullum autem tempus in hac vita mortali eſſe idoneum ad confligendum cum *Occaſionibus*, quæ non niſi *Fuga* vinci debent.

(a) *Plut. in Vita. Valer. Maxim. lib. v. cap. 2.* (b) *Plutarch. Apopht.* (c) *Antigonus.* (d) *Pyrrhus Plutar in Pyrrh.*

MEMBRVM III.
POENÆ MILITARES

Non fugientium Occaſiones proximas.

TANTVM abeſt, vt *Fuga* occaſionum prauarum, peccata antecurrentium, ſit Militi Chriſtiano futura fraudi, ac dedecoroſa, vt niſi illam maturè

ineat,

ineat, prævaricationis reus haberi poſsit, ac contra diſciplinæ militaris regulas egiſſe, ideoque pœnæ obnoxius puniri debeat. Sunt enim Occaſiones multæ, ex genere proximarum, quas niſi fugiant, qui ſub vexillo Chriſti militant, in peccatum graue incurrunt. Diſputant accuratè Doctores Theologi, qualis-nam ſit *Occaſio*, quam tenetur quilibet ſub pœna peccati mortalis fugere; ita, vt ſi non fugiat, reddat ſe confitens indignum abſolutione ſacramentali in foro conſcientiæ, & conſequenter, participatione Euchariſtiæ, quæ eſt commeatus in ſacrâ Militia, ſine quo, cum ſit alimonia ad vitam ſpiritualem neceſſaria, diu viuens valenſque ſupereſſe non poteſt. Eſt magnæ difficultatis iſthæc controuerſia, quæ multos torſit & etiamnũ torquet primæ notæ Magiſtros eximios; adeò vt vir doctiſſimus Martinus Nauarrus profiteatur,*(a)* ſe malle, quando ea ventilatur, diſcipulum, quàm Doctorem agere. Vt aliquid de re grauiſſima dicatur, ad quorumdam tum inſtructionem, tum conſolationem, præmittendum reor: Multum Confeſſarij prudentis ac docti iudicio, aliquid etiam conſcientiæ benè confitentis, ac contriti pœnitentis eſſe deferendum. Poterunt enim ij, ſi agant, vt conuenit, ſeriò, ope Spiritus Diuini, conſideratis diligenter, penſitatiſque circumſtantijs, ſtatuere certi aliquid, quod tutò in hac rerum humanarum perplexitate ſequantur. Sed certa ab incertis ſeparanda ſunt.

EST autem imprimis illud certum, Creaturas omnes poſſe homini eſſe Occaſionem peccandi: quicquid videmus, audimus, loquimur, tangimus, odoramur, quicquid animo verſamus, quicquid pertractamus mente, aut memoriâ retinemus, quàm eſt multiplex, & quàm latè patet peccandi *Occaſio*! Veriſsimum eſt illud Sapientis enunciatum. *Creaturæ* DEI *in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*(b) Nimirum, ea eſt hominis, præter fragilitatem, peruerſitas, poſt primi parentis culpam, vt creaturis quibuslibet abuti poſsit, ad ſuam perniciem: vt quicquid in rerum naturâ reperitur, maximè, quod ſub ſenſum cadit, non improbis ſolùm, ſed probis etiam, at incautis, à Cacodæmone, tanquam laqueus, & tendicula, ſeu decipula expanſa poni poſsit: denique, vt nihil non ſit mali alicuius occaſio. Quin etiam, vt monet, Sapientiam explanans Interpres egregius, Ioannes Lorinus, DEVS vno quodam modo (nam plures ſunt alij) nonnullos excæcare, ac indurare cenſetur, cùm operatur intra extra ue ipſos multa, immò, multis afficit beneficijs, ex quibus præſcit occaſionem capturos grauius peccandi. Contrarium accidit diligentibus DEVM, quibus *omnia*, etiam mala, *cooperantur in bonum*, vt D. Paulus obſeruat.*(c)* Impij autem bonis abutuntur in malum. Quod multis locis docet S. Auguſtinus. *(d)* Porrò, quum non omnis res creata ſit *Occaſio proxima*, aut per ſe peccandi, non eſt obligatio quamlibet, eo titulo, fugiendi: quod ſi fugienda eſſet quælibet, oporteret ex mundo hoc egredi, vt Apoſtolus loquitur: quod tamen hominibus non imperatur.

IAM verò, & illud eſt in confeſſo, quảnis ſcientiæ, diſciplinæ, inſtituta, arteſque, tum liberales, tum mechanicæ, multis ſint occaſio

(a) *Cap.3. de Satisf. nu.5.* (b) *Sap.xiv.* (c) *Rom.viii.* (d) *S. Aug. q.19 & 36. in Exod. lib.5. in Iulia. cap.3. Serm 83. de temp. 1. Corint.5.*

occaſio peccandi, non idcircò tamen eas eſſe per *Fugam* deſerendas. Aſpice *Militiam*, quàm multos illa abripit, perdit, damnat? Ergon' vita militaris ſtatim deteſtanda erit ac deſerenda. (*a*) Non ita ſenſit Ioannes Baptiſta, qui non iubebat milites ſigna deſerere, aut abſtinere à bello, ſed à peccatis, militiam profanam ferè comitantibus, & eſſe ſtipendijs ſuis contentos, Lucæ tertio cap. Quid dicam de *Vitâ Aulica*? vbique canitur: *Exeat aula, qui vult eſſe pius.* Quam multos aula præcipitauit in barathrum? non omnis tamen: nec omnes: poteſt eſſe *Aula Sancta*, vt fuit Theodoſij, Pulcheriæ, Mauritij. Nihilominus Arſenius cùm eſſet in Aulâ benè inſtitutâ, de ſalute ſuâ ſolicitus, & DEO factus ſupplex audiuit vocem cælitus miſſam: Arſeni, FVGE, TACE, QVIESCE. Nimirum, deuita Aulam *Fugâ*, & cum Aulâ turbas, ac frequentiam hominum. *Taciturnitate*, iactantiam. *Quiete*, rerum fluxarum ac fragilium ſolicitudinem. Quod de *Vita Aulica* dictum, locum habet, proportione ſeruatâ, in vitâ qualibet curiali, mercatoria; communi, ac priuatâ, in quibus continentur omnes aliæ, quæ non ſunt deſerendæ, quia peccatorum in qualibet illarum cõmitti communiter ſolitorum ſunt *Occaſio*, ſed occaſiones, quæ in ijs offeruntur, deuitandæ ſunt. Denique, obſeruandum eſt, quod experientiâ conſtat: rem quampiam vni eſſe *Occaſionem* proximam peccati, alteri verò non. Exemplum dant Theologi: in contubernio habere fæminam, iuueni, non autem ſeni, maximè decrepito: & nominant ad id Dauidem & Abigail iuuenculam. Idem cernitur reſpectu hominis alicuius verè contriti, &, qui actibus frequentatis firmauit propoſitam non peccandi; & alterius, qui abſque magno dolore, & emendationis firma voluntate ad ſacram Confeſsionem accedit. Hæc, & quæ in ijs continentur, diligenter perpendenda ſunt Conſcientiarum præſidi, dum quis ad tribunal Sacramentale accedens abſolutionem poſtulat, licet proximas habeat occaſiones peccandi mortaliter, quas dicit, ſe non poſſe fugere, ſeu relinquere, ſine ſcandalo, aut infamia, aliòue graui incommodo humano. At verò, ſi non fugiat, manet in periculo morali proximo peccandi lethaliter. In quo caſu, ita ſe gerere debet Confeſſarius, tum vt Iudex in ſacro illo tribunali; tum vt ſpiritualis Pater ad ſe confugientis hominis afflicti, & in ſtatu periculoſo conſtituti; ita quoque oportet eum habere rationem boni nominis, & commodorum ſui pænitentis, vt maiorem habeat Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ac boni communis, & quò referri debent omnia, Gloræ DEI, cui, ſepoſito omni reſpectu humano, potiores ſunt ſemper partes deferendæ. Itaque animaduertere debet: An *Occaſio* peccati, in quâ viuit, ſit proxima & voluntaria. Quod ſi vtrumque deprehendat, redditur pænitens abſolutione Sacramentali indignus, Quæ eſt pœna ſecundum diſciplinam Militiæ Chriſtianæ ſtabilita: & renuenti, aut obmurmuranti dicitur: *Qui amat periculum in illo peribit*, Eccleſiaſtici III. Iudicabit autem vir pius & Sapiens, *Occaſionem* eſſe proximam, quando talis fuerit ex ſuo genere, quæ frequenter homines ſimilis conditionis inducat ad peccatum aliquod certum mortale: vel quando experimento conſtiterit, habere in conſulente, aut confiten-

(*a*) *Vita militaris plena periculis.*

ſitente talem effectum. Exemp. C. nunquam penè cum hoc vel illa egiſti familiarius, quin peccaſti carnaliter: nunquam luſiſti, aut rariſſimè, chartis pictis, quin iuraſti, & blaſphemaſti: nunquam ingreſſus es tabernam iſtam, quin ebrius ſis egreſſus. Eſt quoque eadem *Occaſio* voluntaria illi, qui moraliter eam vitare potuit: cui nulla fuit ad illam ſuſcipiendam impoſita neceſſitas: qui illi addictus fuit, non coactus: inuitatus, non violentatus. Nam non voluntaria cenſeretur, quãdo moraliter vitari non potuiſſet: & quãdo appareret, eam homini deſignato illatam fuiſſe potius, quàm præſentatam, & ab ipſo acceptatam. Sic enim iudicari poſſet neceſſitas quædam & impotentia, quæ excuſationem mereretur aliquam. Ex quibus illud ſtatuunt Theologi; qui occaſiones proximas, & voluntarias non fugit, & in quo, poſt remedia à Confeſſario præſcripta, non apparet profectus & emẽdatio, eum à Sacramentali abſolutione eſſe repellendum. Quæ eſt pœna ſat grauis illi, qui non ignorat poteſtatem Clauium ſacerdotalium; illudque Petro & per Petrum ſacri tribunalis Iudicibus dictum: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, Matthæi XVI. Et vniuerſalius: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Matth. XVIII.

(.·.)

Membrvm IV.

DAMNA AB OCCASIONIONIBVS.

ſi cum ijs confligatur: & non fugiantur.

Qvamvis non omnium Occaſionũ ſit eadem ratio, cùm de *Fugâ* ineunda, ijs aduentantibus, agitur, & maior ſit neceſſitas fugiendi illas, quæ dicuntur *Proxima*, tamen *Remota* etiam Fugâ declinandæ ſunt, ſi cum vitiorum ſubſequentium exercitu fortiter feliciterque confligere ſit animus. Siquidem explicari ſatis non poteſt, quæ impedimenta adferant in Militiâ ſpirituali Militibus Chriſtianis pugnare cum vitijs & concupiſcentijs peroptantibus. Quælibet *Occaſio* metuenda, quælibet fugienda eſt: nam quælibet nocet, quamuis ſit minima. Licet enim tibi perſuaſeris, aut imaginatus fueris reperiri tam exiguam, vt nulla vel parua illius ſit habenda ratio, quælibet tamen ad aditum hoſti patefaciendum, qui te incautum opprimat; ſeu ad portam, vel maximò flagitio, quo intereas, patefaciendam, & turbanda virtutum caſtra, eſt ſatis. Perexiguus erat peſſulus oſtij quieſcentis Sponſæ, Canticorum V. tamen eo remoto, Sponſus præterijt. Hinc dolenter dicebat: *Peſſulum oſtij mei aperui, at ipſe declinauerat à me*: non niſi poſt ſuſpiria & lacrymas rediturus. Ah! quoties poſt confeſſionem ſacram, poſtque diuinam ſynaxim, dum quieſcit quis ſomno myſtico orationis abſorptus, ſuauiſſima contemplatione delinitus, diuinâ Sponſi interius alloquentis confabulatione detentus, vix vnius oculi palpebram paululum eleuat, quæ eſt occaſio videndi vanitatem;

vix verbum cum ſocio miſcet, quæ eſt occaſio diſtractionis; vix manum mouet, quæ eſt occaſio leuitatis; & omnis illa dulcedo ſpiritualis euaneſcit: non audit amplius Sponſum cæleſtem pulſantem, loquentem, conſolantem. Dicere poteſt: *Peſſulum oſtij mei aperui, & ipſe declinauerat à me.*. Tanti mali cauſſa, tantilla fuit occaſio, quis credidiſſet?

FERTVR in Dalmatiâ ſpeluncam eſſe profundiſſimam & horribilem, in quam ſi vel ſcrupus inijciatur, protinus, erumpit tam atra caligo, vt aër, quaſi nube condenſatâ, & tenebris cælum obſcuriſſimis inuoluatur. Haud ſecus parua licet mali *Occaſio* terribilibus tempeſtatum tumultibus conſcientiæ pacem, & animi ſerenitatem obnubilat ac conturbat. Id experiuntur, qui internam puritatem amant, qui tranquillitatem interiorem, omni diligentiâ, vitando etiam, quantum in hac mortalitate poteſt fieri, cum diuina gratiâ, peccata venialia, procurant: qui ad mentis perpurgatæ ſpirituales delicias, quas orando, meditando, confitendo, communicando, guſtant, ſemper anhelare auidiſsimè ſolent. Nam poſt admirandam quandam, & inuidendam ſuauitudinem, quæ omnes voluptates corporeas longo interuallo ſuperat, contingit, vt vnus oculi iactus curioſior, vnus riſus diſſolutior, verbum vnum liberius prolatum, lectiuncula vna libelli minus caſti, vna cantiuncula obſcæna turbet ſudum illud mentis cælum, & nubilo inuoluatur ratio, vt voluntati non ſapiant, ſicut antea, diuina: vt deſipiant ſpiritualia, vt in amarorem vertantur quæcumque ex cæleſti penu ad ſaturandam famelicam animam à ſpiritualibus Magiſtris, tanquam epularum illarum promis condis, apponuntur.

QVANTVLVS erat lapis, apud Danielem (a) qui de monte ſine manibus exciſus voluebatur? quantus autem, qui ab eo deiectus, diſsipatus, confractus fuit coloſſus? Statuam erigis aliquando in animâ Babylonico ſimulachro altiorem, ſolidioremque: cuius caput ex auro optimo Caritatis DEI, pectus & brachia de argento dilectioris proximi: venter & femora ex ære fortitudinis ac temperantiæ: pedes partim fictiles ex humilitate, partim ferrei ex timore DEI. Lapillus vnus ex monte ſine manibus abſciſſus: *Occaſio* perexigua, quamuis ſtudio non quæſita initio, nec procurata, à monte vanitatis, voluptatiſque, per negligentiam, te tuoſque ſenſus cuſtodiendi, indeque inaduertentiam, deuoluta, nec repulſa, incidit in pedes; demiſsionem, æſtimatione tui corrumpit: nimia ſecuritate timorem Domini labefactat: baſibus illis concuſsis, labitur auguſta illa, & Babylonica maior ſtatua, ac confringitur. Quis caſus feralis origo? *Occaſio* lapillo magis exilis. (b) Ecce, inquit Iacobus Apoſtolus, *quantus ignis*, id eſt, quantulus, quàm paruus, quàm penè nullus, vna nimirum ſcintilla, *quàm magnam ſyluam incendit*? quomodo graſſatur per arbores, proximas inuadit quercus, depopulatur pinos, in cinerem redigit cedros, platanos, cupreſſos: omnia abſumit. Talis eſt *Occaſio*, & potiſsimùm in genere laſci-

(a) *Cap.* 2. (b) *in Epiſtola ſua cap.* 3.

laſciuiæ; vt quidam de vagi fluxique amoris initio haud malè cecinerit.

Si digito attigero incendam ſyluam ſimul omnem. Omne pecus flamma eſt omnia quæ video.

vnus digituli contactus, vnius oculi aſpectus, vnius verbuli ſcintilla ſufficiens eſt, vt corporis humani, tanquam ſiluæ vaſtæ, viridis, humectæ membra omnia, & potentiæ, velut arbores, incendantur illicò, & laſciuiæ flammâ incinerentur.

IN *Militiâ*, vt reddantur hoſtiles fiſtulæ bombardariæ, ſclopi, immò, maxima tormenta bellica, inutilia, ſatis eſt exilis clauus, qui infligatur orificio. Quare, dũ eſt periculum, ne ingentes illæ machinæ in hoſtium poteſtatem deueniant, iubent armamentarij præfecti, omnes inclauari, vt loquuntur, ne ſint vſui. Debilis omnis *Occaſio* non minus officit homini virtutem amanti, quàm exilis clauus ingenti bombardæ. *Occaſiones* ſunt tanquam *lapides, tribuli, murices, ſepes*, aliaque impedimenta & obſtacula in viâ mandatorum DEI, ac virtutis. Quæ niſi ijs ablatis, complanetur, quomodo percurri poterit? quomodo miles armis onuſtus ſiue pedes, ſiue eques, per illam, more militari, id eſt, celeriter iter ſuum conficiet? Quærit Amos Propheta: cap. VI. *Nunquid poterunt currere in petris equi?* q. d. quemadmodum fieri nequit, vt in petris, aut viâ petris inſperſa, vel aſpera currant equi, ita fieri nõ poteſt, vt vos curratis, quamuis ſitis Equites Militiæ Sacræ, in viâ mandatorũ Domini, quæ ſaxea vobis eſt, quia occaſionibus peccatorum à vobiſmetipſis cõſtrata. Itaque hæc obſtacula prius remouenda ſunt. Eſt ſtratagema militare: dum animaduertitur exercitum aduerſariorum per certam aliquam viam iter facturum, murices occultè ſpargere, qui & equites impediunt, ne expeditè progrediantur. Sunt autem murices, tribuli, hoc eſt, machinulæ ferreæ, doloſæ, forma ferè tetragona, quæ in quamcumque partem incubuerint, vnum, aut plures aculeos infeſtos protendunt. Vnde circa mænia vrbis, quæ obſidetur, ferrei murices ſpargi ſolent, ne ſubita eruptione hoſtes impetum in præſidia faciant, vt eſt apud Maximum Valerium. (a) Tribulorum ad horrorem meminit Vegetius de re militari ſcribens libro tertio. Sic autem ſe habent *Occaſiones*. Quæ proinde ſunt cauſſa, cur in itinere virtutis labamur, vulneremur, opprimamur. Sed prudentis eſt, vel murices omnes auferre: vel ſi hoc nequeat fieri, declinãdo & quaſi fugiẽdo ad aliam partem diuertere, atque hoſtem circumuenire.

FVIT in hoc genere admiranda ſubtilitas ingenij matris omnium Euæ, quam ego ingenioſiſſimam mulierum, vna dempta MARIA Deiparæ fuiſſe reor: vtinam ad bonum ſemper fuiſſet vſa ingenio. Mãdauerat illi ac marito DEVS, vt fructu arboris cuiuſdam, quam ab eo præcepto, vetitam appellare ſolemus, ſibi tẽperaret: *ex omni ligno Paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Geneſis ſecundo. At Eua interdictum hoc referens Serpenti, callidè cum ea diſputanti, addidit: *Ne tangeremus: Præcepit nobis* DEVS, *ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Quomodo Eua? mentiris ne? in mandato DEI appendiculam illam non reperio. (b) Certè, S. Ambroſius libro de Paradiſo, nihil diſſimulans, exiſti-

(a) *Lib. v.* (b) *Geneſis. III.*

exiſtimat Euam artis rhetoricæ haud ignaram exaggeratione fuiſſe vſam: &, ex tædio ac odio præcepti, clauſulam illâ addidiſſe de ſuo, & inuidiosè amplificaſſe mandati duritiem. Siquidem Devs neque aſpectũ, neque tactũ ſed eſum tantummodò expreſſè prohibuerat. Melius ſuſpicari me iuuat de matre noſtrâ Eua, quæ cùm eo tempore integra adhuc eſſet & ſancta, valeretque ingenio, hanc fortaſſe adhibuit ratiocinationem. Tactus pomi, proxima eſſe poteſt ad comeſtionẽ occaſio. Itaque ſi comeſtio eſt vetita, vetitã quoque arbitror tactionem. Vel, Devs præcepit, ne hanc arborem tangamus ad comedendum ex eâ, ideoque religionẽ nobis iniecit & metum, vt ſtatuerimus ipſi nobiſcum, nulla ratione, nullo caſu, illam vel leuiter attingere, quo ſic quam longiſſimè àbſimus à comeſtione & violatione præcepti. Optima ratiocinatio, quâ vtinam frequenter vterentur, ſed practicè Adoleſcentes, atque ita ſecum forinarent meliores, quam vlla Dialectica profana præſcribit, conſequentias.

Prohibetvr mihi per *Magnum Mandatum* in lege, ne quicquam in me ſit, quod ad Dei mei amorem non referatur: hunc enim ſenſum habet illud; *Diliges Dominum* Devm *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*: id eſt, diliges Devm quantũ potes diligere: vt omnia quæ habes illi impendas. Nam *vt notat S. Auguſtinus*: (a) *cùm ait*, toto corde, totâ anima, tota mente, *nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui: ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illud eo rapiatur, quo totius dilectionis impetus ruit*. Igitur prohibetur euagatio omnis ſenſuum, potentiarum, facultatum, quæ à Dei perfecto amore cor poſsit auertere. Prohibetur mihi per *Secundam* Decalogi *Præceptum, vt non adſumam nomen Domini* Dei *mei in vanum*. Itaque non ſolùm prohibetur abuſus diuini nominis, & irreuerentia, quæ committitur à periuris & blaſphemis, per Devm, Sanctos, & creaturam aliquam abſque graui cauſſa, veritate, atque reuerentiâ iurantibus; verum etiam vetatur, vſurpatio nominis diuini, Iesvs etiam & Christi, dum de vanis & ludicri, & multo magis, dum de ſcurrilibus a c turpibus eſt ſermo: immò, omnis ſine fructu; quia inanis eſt, ſanctiſſimi nominis vſurpatio. Prohibetur mihi per *Tertium Præceptum*, Violatio diei feſti. Ergo otium, viſitatio tabernæ, obambulatio diuturna: his enim & ſimilibus ad violationem temporis ſacri facillimè peruenitur. Prohibetur mihi per *Quartum Præceptum*, parentum tum corporalium, tum ſpiritualium offenſio. Ergo, ne illos toruè aſpiciam, ne moroſè cum ipſis agam; ne animo illos auerſer, ne malum interius illis imprecer: ne quod contra ipſorum honorem vergit, vel mente voluam. Prohibetur mihi ebrietas. Ergo nè tabernas frequentem: ne ad illud conuiuium, in quo potandi imponitur neceſſitas, condicam: ne ad æquales hauſtus, vel inuitem, vel inuitatus reſpondeam: ne poculis certem *Noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in comeſſationibus eorum* præſcribit hunc in finem Sapiens, Prouerbiorum xxiii. Ita argumentabantur duo Principes eruditionis ac pietatis, Ambroſius & Auguſtinus, qui idcirco, vt occaſionem fugerent,

(a) *Lib. 1. de Doctr. Chriſt cap. 22.*

rent, ne quidem *in patria petiti ibant ad conuiuum*, vt refert Poſſidonius in Vitâ Auguſtini cauſſam addens, *ne in temperantia amitteretur modus.*

Prohibetur mihi luxuria. Igitur & præambula omnia: inuitationes, irritationes, illecebræ, mellita verba, promiſsiones blandæ, litterulæ coronatæ, ſimilia ſexcenta. Præcurrit occaſio: ſequitur peccatum. *Occaſio* eſt exordium in oratione. Vocularum prima probatio in aſſa muſica: fidium & neruorum, aut clauium attentatio in muſica harmonica & organica.

Denique, prohibetur mihi iurandi temerè, peierandi, Diabolum inuocandi, immò inconſultè nominandi, diris hominem deuouendi peſſima conſuetudo. Ergo & ludi, in quibus vix ab huiuſmodi linguæ præcipitatione abſtinetur. Quales ſunt ludi vetiti, nominatim, Alea, quæ plurimorum peccatorum eſt occaſio. Certè, S. Antoninus (a) obſeruat, monetque, quot punctis aleatorij cubi, ſiue taxilli diſtincti ſunt: numerantur autem omninò viginti & vnum, totidem ex eodem ludo peccata oriri. *Quot* inquit, *in taxillis ſunt puncta, tot ſcelera ex eis procedunt: vnum grauius altero.* Quare non eſt mirum ſubiungit, ſi vituperantur à DEO & toto mundo aleatores. Illa autem vnum & viginti ſcelera ordine enumerat: de quibus alibi, cum de ludis vetitis ſecundum Theologorum doctrinam egimus, eſt pertractatum. Hoc vniuersè nunc ſubiungamus: Euæ matris collectionem ex religione profectam, qua concludebat, vetitum tactum, tanquam occaſionem, quia prohibita erat comeſtio, optimam fuiſſe, & eſſe nobis perſæpè, ſi ſalui eſſe velimus, vſurpandam.

AB Euæ ingenioſâ illâ diductione, ducor ad alterius mulieris minus claram, ſimilem tamen aliquatenus conſequentiam, quæ latere potuit in Saræ vxoris Abrahami petitione à DEO confirmatâ: *Eijce Ancillam & filium eius*, Geneſis XXI. Ex ijs autem alter duntaxat erat culpabilis: cur igitur vterque eijciendus? Nimirum, inſinuabat: eijciendum peccatum & occaſionem, quia hac remanente, alteri ſemel pulſo commoditas redeundi ſuppeteret: filius ab ancillâ eiecta non auellitur. O quàm frequenter occinendum eſſet, aut imperandum, dum Vicarius Epiſcopi (vbi non poteſt Epiſcopus ipſe, viſitat Curionum ædes, dum Decanus, tanquam inſpector ſuorum & pater, Canonicorum & Vicariorum obit domos, dum Antiſtes examinat, quid in Sacerdotum ſuorum contubernijs agatur: *Eijce ancillã & filiũ eius.* Quàm ſæpe præcipere deberet Confeſſarius: *Eijce ancillam & filium eius*: Peccatum & occaſionem: laſciuiam & conſortium: luxuriam & cohabitationem; flagitium & illecebras. Iterum hic mihi occurrit Sanctiſſimus vir Auguſtinus, qui cùm eſſet Epiſcopus, fœminarum omnium, & quidem etiam ſororis & fratris filiæ contubernium familiaritatemque vitabat: cùm diceret, etiamſi propinquæ mulieres non eſſent ſuſpectæ, tamen quæ ad eas ventitarent, occaſionem dare poſſe ſuſpicionis.

CVM DEVS prohiberet Iſraëlitis vſum fermenti in ſolemnitatibus Paſchalibus Exodi XII. addidit, ad omnem occaſionem tollendam: ne retinerent in domibus

(a) *Anton. 1. p. tit. 1. cap. 23. §. 6.*

bus ſuis fermentum. Quod S. Paulus de fermento malitiæ exponit, 1. ad Corinthios V. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit frumentum in domibus veſtris.* Prohibita eſt ſeueriſſimè omnibus quidem Chriſtianis, ſed adoleſcentibus potiſsimùm lectio librorum hæreticorum, magicorum, turpium & obſcænorum. Ergo non ſunt retinendi in ædibus, multo minus in ſinu, aut manibus, Ouidius de arte amandi, Amadiſius, Fauſtus, Fortunatus, Speculum vpupæ, Tibullus, Catullus, Propertius, Horatius non correcti, Ioco ſeria, libellus peſtilentiſſimus, quia fœdiſſimis narratiunculis referriſsimus.

NOLEBAT DEVS, vt populus Iſraëliticus aſcenderet in montem Sinai. Satis igitur videri poterat, ſub pœnâ capitis id inhibere, & mandare, ad montem ne accederent. Verùm, DEVS, omnis occaſionis tollendæ cauſſâ terminos appoſuit, & aggere quaſi perpetuo montem cingi iuſſit. *Conſtitues terminos populo per circuitum: & dices ad eos: Cauete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem morte morietur,* Exodi XIX. Prohibitio eſt grauiſsima ne quis ingrediatur lupanar, aut quæ lupanaribus non ſunt diſsimiles domos, in quibus omnia libidinibus æſtuant. Ne labaris, & vt occaſionem fugias, non ſolum limen non tangendum eſſet, ſed neque per ſuſpectæ domus plateam eundum, & quam longiſſime à contubernio illo recedendum, neque nunquam oculus in feneſtram illius tabernæ conijciendus.

NAZARÆIS ſuis DEVS olim vinum prohibebat, & ne occaſio ſupereſſet, aut irritamentum, extendebat mandatum ad omne id, quod cum vino affinitatem habebat. Numerorum VI. *A vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione: & quicquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes, ſiccaſque non comedent. Ab vua paſſa, vſque ad acinum, non comedent*: id eſt, ne acinum quidē vuæ, ſeu nihil omninò, quod vuæ eſt comedēt. Vnde patet non potuiſſe comedere vuas paſſas, ſeu ſiccas. Ne videlicet ab acinis ad vuas, ab vuis ad vinum tranſitum facerēt. Nimirum, omnem etiam minimam occaſionē gulæ & peccati cuiuslibet oportet fugere. Nā vt rectè ſcribit Gloſſator in illud Iob. (a) *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſsitas, neceſsitatem deſperatio, deſperationem damnatio.* Occaſiones igitur quantumſcumque minimæ patentem aditum ſceleri cuiuis maximo faciunt.

AT, dicis, parua *Occaſio* paruum eſt foramen, vt ſiſtatur in eadem metaphora. Admitti id poteſt: ſed Diabolo ac peccato perinde eſt, ſiue intret per portam, ſiue ſe immittat per feneſtram, ſiue aſcendat per murum, ſiue illabatur per tectum, dummodo ad animam penetret. Quid iuuat arcem animæ mœnibus propugnaculisque eſſe cinctam, ac portis aheneis concluſam, ſi oſtiolum, aut foramen pateat, per quod hoſtis irrepat? Ita proximè capta eſt arx munitiſſima, in monte ſita, Herbipolenſis, cum Suecus in Franconiam duxiſſet exercitum.

VT quis non capiatur ab hoſte propugnaculum aliquod expugnante, neceſſe eſt, vt ex-

(a) *Iob. XXXI.*

vt extra eius ſepta ſe proripiat, nec in vllo eius angulo vel cauerna ſubſiſtat: ſi maneat alicubi, in poteſtatem veniet aduerſarij. Id alicubi indicatum reperio in diuinis paginis. Philo Hebræus vir acutiſſimi ingenij, maximè, cum allegorici Scripturæ ſacræ ſenſus ſunt eruendi, obſeruat in Bibliorum Codice hanc eſſe loquendi formulam (a) *Moſes eductus eſt foras: Ioſeph egreſſus eſt foras.* Quis autem intus egreditur? nemo ſanè. Et tamen non ſine cauſsâ coniunguntur illa duo in narratione diuinitus inſtituta, in qua ſicut in oraculis, nullum eſt iota ſuperfluum. Nempe, ſignificare voluit per allegoriam ſcriptor diuinus: vtrumque, omninò, ac penitus fuiſſe egreſſum. Eſt vitium, inſtar arcis, propugnaculi, aut palatij, in quo manſionem ſuam habet peccator. In eo autem ſunt interiora conclauia & concamerationes, ſunt etiam porticus, propylæa, xyſti. Illa deſignare poſſunt, diuerſos modos, quibus vitium committitur. Iſta, quia aperta & anteriora ſunt, habent, ſe vt *Occaſiones*, quæ ſunt in propatulo. Aliqui igitur egrediuntur, & relinquunt peccata; ſed non proripiunt ſe ex ambulacris: non manent in cubilibus, ſed remanent in porticibus; nempe, occaſionibus ideoque veniunt in poteſtatem hoſtis facillimè: quia non ſunt *egreſſi foras*. Quod oſtendit, omiſſa metaphora, *Occaſiones* impedire vitæ emendationem. A vitijs enim non declinabit, qui in occaſionibus, quas euitare deberet, perſeuerat.

NON eſt quidem quælibet *Occaſio* peccatum, immò, nec earum congeries, per ſe loquendo, præcipitat tamen facile non fugientem in peccatum, ſi ſubſiſtat. Et licet non ſit, vt ita loquar, corpus peccati, haud male tamen dicitur vmbra peccati. *Et vmbræ protegunt vmbram*, Iobi xl. Ac ſanè cum occurrit vmbra, non dubitatur vicinum eſſe corpus. Non eſt quidem *Occaſio* peccatum internum in animâ; vocari tamen poteſt externum, quod eam obſidet, vt expugnet. Quod inſinuat S. Paulus monens Hebræos: (b) *Deponentes omne pondus*: ecce internum: *& circumſtans nos peccatum*: en externum occaſionis. Non eſt *Occaſio*, qua talis, mors ipſa, ſed concipi poteſt, vt territorium mortis. Ita, vt quicumque inter occaſiones oberrat, ſi non eſt mortuus, certè, verſetur in *regione vmbræ mortis*, vt eſt apud Iſaiam, (c) tanquam vnus ex ijs, qui *in tenebris & vmbra mortis ſedent*. Lucæ I. Non eſt *Occaſio* crudelis latro interiora diripiens, ac trucidans, ſed (d) *Latrunculus* ille, qui prætergredientes obſeruat, ac ſibilo prodit. Quod ſymbolum licet ſumere ex Oſea, qui, *Fur*, inquit, *ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris*. Oſeæ, VII. Idcirco benè monent rerum Spiritualium Magiſtri, ne vllus in fugiendis peccati *Occaſionibus* ſit tardus aut deſes: fore alioqui, vt quamuis exercitatus videatur ſibi Miles, facillimè in manum hoſtilem aduerſariorum, Peccati, Mortis, Cacodæmonis incidat. Neque eſt quod quiſquam ſibi blandiatur, & concipiat fiduciam reſiſtendi fortiter & alacriter dum occaſiones non fugit. Nam qui in occaſionibus perſiſtens, contra illas

Pars Tertia.

(a) *Philo lib. 2. Allegor. legis.* (b) *Cap. 12.* (c) *Cap. IX.* (d) *Latrunculus.*

& peccata ſe fortiter acturũ ſibi perſuadet, ſimilis eſt ſtolido illi adoleſcenti, qui egregiè exercuerat ſe aliquamdiu in arte pugillatoriâ, & tantum ſe profeciſſe opinabatur, vt vana peritiæ ſuæ æſtimatione inflatus, cunctis ſe præferret, ideoque nulli non ſeſe opponeret. Sed ad manum veniens, experiebatur, aliud eſſe ſine hoſte, ictibus à magiſtro oſtenſis artificioſè aërem verberare, aliud cum antagoniſta peritiore contendere.

QVID fugiam occaſiones, dicis, antequam ſit periculum? cui declinem hanc vel illam? leuis eſt, parum poteſt. ſi impetum faciat metuebor, ſic me defendam. Stolide, non conſideras, quam peritus ſit aduerſarius cum quo pugnabis, quos ille ictus librat urus ſit, quomodo circumuenire aſſuetus luctator ſoleat. Senties, cum mortaliter vulneratus fueris, quantum præſumptione virium peccaueris. Illud etiam perpendendum eſt, quod alibi demonſtramus, *Occaſionem* eſſe ſimilem vado fluminis aut fluminí, à cuius traiectione ingentem exercitum parua militum manus remoratur, reſiſtit, repellit, ſuperat. Vaferrimus Dæmon cum ſuo exercitu ad hoc vadum te expectat: in anguſtijs malorum occaſionum deprehenſum aggreditur, & facilè vincit. Profectò, experientia quotidiana docet, in Occaſionum conflictu hoſtes infernales plerumque obtinere victoriam: & quoslibet, quamuis diu in *Militia Spirituali* verſatos, tunc tamen minùs circumſpectos ſuccumbere. Vt vel ob hanc cauſſam abſtinendum ſit à pugna cum Occaſionibus: quod qui non facit, ob temeritatem tamen, licet victor redeat, vituperio eſſet dignus, an & ſupplicio? Certè, Romanus Conſul in expeditione Capuana, caput filio à ceruicibus præſcindi [illegible]dauit, quamuis reuerteretur inter triumphales applauſus victor, quia ſine [illegible]dato, ſe ſuosque præliando diſcrimini expoſuiſſet. Et ſane prope [illegible] temeritatis eſt, velle in media [illegible] occaſionum, inter puellarum greges, vel cum vna tantummodo, agendo quotidie familiariter, alloquendo blandè, arridendo feſtiuè, ridendo [illegible], colludendo petulanter, defendere calumniam, pugnare cum luxuria, ſuperare cohortem cogitationum turpium ab omni parte irruentium. Quæ inſania eſt iſta, fauorem DEI velle aucupari diſpoſitionibus contrarijs? velle virtutem acquirere inter vitiorum occaſiones continuas? Concipiet ne flammam lignum, niſi prius exſiccatum fuerit? introducetur ne forma in materiam ſi qualitates diſponentes proximè non præceſſerint? Dicebat nuper quidam facetè vir ingenio, illos qui non fugiunt Occaſiones peccatorum, & profitentur, abſtinere ſe velle à peccatis, videri haud diſſimiles ijs, qui lauare vellent faciem, & nollent eam madefacere, ambulare ſuper oua, ſed nullum ex ijs conterere: equitare in duobus ephippijs, aut ſellis: vno oculo aſpicere ſurſum cælum, altero deorſum terram.

DENIQVE, vt quidpiam concedam in Militia Chriſtiana me [illegible]. Qui *Occaſiones* non fugit, licet peccata ſe [illegible] velle dicat, immò, vitet, diuidit cor ſuum, diuidit animam ſuam, diuidit mentem ſuam: nam partem vnam ad *Occaſionem* conuertit, alteram ad DEVM dirigit.

rigit. Quamobrem, cui curæ eſt ſe totum Deo tradere, viriliter contra Peccatum, & Cacodæmonem agere, periculum omne euitare, ſalutem æternam in tuto conſtituere occaſiones fugiat. Siquidem, quod minimè eſt prætereundum, *Occaſiones* peccatorum conſtituunt ſalutem velut in ambiguo. Vt enim in agris frequenter lites, contentionesque oriuntur de terminis: ob quam cauſſam Principes vicini perpetuis implicantur, ob finium iura controuerſijs, ſic illis euenit apud Dei tribunal, qui in *Occaſionibus*, id eſt, cõfinijs peccatorum verſantur. Qui ergo amat ſalutem, & in ea ſecuritatem, ad conſpectum copiarum, quas ex Occaſionibus colligit aduerſarius infernalis, & ante exercitum peccatorum præmittere ſolet, fugam arripiat. Sic hoſtes ipſe ſuos in fugam conuertet. Neque certius poterit dare τεκμήριον, quod diligat Dominum Devm ſuum ex toto corde ſuo, & ex tota animâ ſua, & ex tota mente ſua, & ex totis viribus ſuis.

COMMENTATIO III.

FVGA

Rerum diuerſiſſimarum.

SVB Fuga *Occaſionum*, tanquam ſub genere, continentur plurimæ ſpecies, quippe, rerum diuerſiſſimarum, quæ ad peccandum poſſunt eſſe Occaſio, ſiue proxima, ſiue remota. Titulos adponam, adiunctis aliquot tum ſententijs, tum exemplis, quæ Commentationum, immò, librorum poſſent eſſe argumenta, & copioſa materia.

Membrvm I.

FVGA GLORIÆ

Eccleſiaſticæ, Religioſæ, Politicæ.

PONTIFICATVS.

GREGORIVS Magnus Papa, cùm Pontificatum palam repudiare ſibi integrum non eſſet, inhibente populo, Fvga clandeſtina ab Vrbe ſecedere decreuit. At cùm exilium omne diligenti ſeptum cuſtodia videret, dolio ſeſe exportari fecit in vicinum montem, & in eius antro latuit (*a*). O fugam gloria glorioſiorem!

(*a*) *Vit. 11. Mart. Marulus.*

EPISCOPATVS.

I. EPHREM Niſibenſis, Eremita do-ctiſſimus, & libris ſcriptis clarus, oblatum Epiſcopatus honorem vt com-modius fugeret; nam fugæ, quam cir-cumſpectabat, occaſionem quærebat; inſaniam ſimulauit. Vnde fuga elapſus, tantisper latuit, donec alius Epiſcopus legeretur. (a)

II. GEMINIANVS Mutinenſis Clericus (b) defuncto Antonio Epiſcopo, à po-pulo electus fugit. Dum autem lataret, & quæri dignus fuit, & inuenirí. Iou-niani Imperatoris filiam à Dæmonio li-berauit. Attila Italiam vaſtante, ſuos non repugnando incolumes ſeruauit: ip-ſo enim orante hoſti, apertis portis, vr-bem mediam innoxius percurrit.

ABBATIÆ.

ODDO Cluniacenſis Monachus à Bennone Abbate proximè decel-ſuro ſuffectus, cum fugam pararet à [illegible] comprehenſus, Epiſcoporum iuſ-ſu, regimen [illegible] accepit, & multis miraculis nobilitatus eſt, DEO humilitati eius gratiam conferente.

PRESBYTERATVS.

ISAAC Monachus cum [illegible] deter-[illegible] Presbyteratum, de Scythi [illegible] fugit in Ægyptum [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſed quid [illegible] gebatur fugâ elabi non poſſit. Cùm e-nim fratres in Ægyptum [illegible], illum quæſitum profecti eſſent, & aſellum quē ſecum habebant, per deſertum [illegible] ad ſpeluncam ipſius ſubſtitiſſet, conſe-quuti, dum aſellum comprehenſum, Monachum inueniunt. Ille vbi ſe [illegible] animalis indicio deprehenſum [illegible], fruſtrum vocis abnuens, Presbyterato-ficium ſuſcepit.

REGNI.

CHRISTVS Dominus noſter Rex Regum, cum quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia [illegible], præter mulieres & paruulos in deſerto Bethſaidæ aluiſſet, & cognouiſſet [illegible] venturi eſſent vt raperent eum, & face-rent eum REGEM *fugit* iterum in mon-tem ipſe ſolus, Ioannis vi.

IMPERII.

TRYARIVM MATERNVM, poſt Commodi Imperatoris mortem, quia Pertinax Senex [illegible] [illegible] videbatur, Exercitus [illegible] creare volebat. Re [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] bus, relicta veſte, [illegible] hendérant [illegible] (d)

P. ANNIVS T[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] dignitatem, [illegible] [illegible]. (e)

D[illegible]

(a) Sozomen. lib. 3. [illegible] cap. 34. (b) [illegible] (c) [illegible] [illegible] (d) [illegible] lib. 4. [illegible] ex Herodiano (e) [illegible] [illegible]

Dvcatvs.

Iacobvs Tevpvlvs, cùm mortuo Ioanne Dandulo Venetorum Duce, à Populo in Ducem poſtulatus eſſet, vulgi, vt exiſtimabat, temeritatem, vehementer auerſatur per Fugam clandeſtinam, vrbe egreſſus, Marochium ſe contulit: alij (b) in Africam fugiſſe ſcribunt: vbi diſſimulata perſona, tam diu latuit donec ſedato tumultu, Petrus Gradonicus ex Patricij ordinis ſententia Dux fuiſſet declaratus.

(a) *Sabellicus lib.7. Ennead 9.* (b) *Fulgoſius lib.4.cap.1.*

Membrvm II.

FVGA PERSEQVVTIONVM.

S. Athanasivs (a) in Militia Chriſtiana multarum palmarum heros, non dubitauit ex prudentiæ Chriſtianæ, & fortitudinis Euangelicæ inſtinctu, Fvgam arripere, cùm id res poſtulare videretur. In grauibus ac diuturnis, ſub Conſtantio Imperatore Arianorum fautore, tempeſtatibus iactatus, & incredibiles calamitates perpeſſus, magnam orbis terræ partem fugiendo peragrauit. Arianorum pertinacem iram & ſummum vitæ diſcrimen fugiens, in ſiccâ ciſterna quinque annis ſe abdidit. Conſtantio mortuo, vix Alexandriam reuerſus, a Iuliano Apoſtata exagitatus, & ab Arianis denuo vexatus, iterum fuga ſalutem quæſiuit. Interempto Iuliano, rediit ad ſuum Epiſcopatum, ſed mox noua tempeſtate exorta, rurſum fugit, & in paterno ſepulchro quatuor menſes delituit. Cùm tamen repetitam eius fugam quidam reprehenderent, & timiditati adſcriberent, ipſe Apologiam ſcripſit, & inſcripſit De Fvga ſua, in quâ cauſam ſuam agit, hîc neruoſæ Orationis ambitu.

In lege præceptum erat, vt conſtituerentur Civitates Refvgiorvm vt qui quomodocumque ad necem quærerentur, ſeruari poſſent. In conſummatione porro ſeculorum, cum adueniſſet illud ipſum Verbum Patris, quod Moſi antea loquutum fuerat, rurſus hoc præceptum dedit: *(b) Cum vos perſequuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Pauloque poſt ſubijcit: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, conſiſtentem in loco Sancto (Qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Hæc cum ſcirent Sancti eiuſmodi tenuerunt ſuæ conuerſationis inſtitutum. Quæ enim nunc præcepit Dominus, eadem quoque ante ſuum in carne aduentum loquutus eſt in Sanctis: & hoc inſtitutum homines ad perfectionem ducit: Nam quod Devs iuſſerit, id omnino faciendum eſt. Ideoque & ipſum Verbum propter nos Homo factum, non indignum putauit, cum quæreretur, quemadmodum & nos, abſcondere ſe, & cum perſequutionem pateretur, Fvgere, & inſidias declinare. Cum autem definitum tempus a ſe ipſe adduxiſſet in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, vltro ſe ipſum tradidit inſidiantibus. At vero

 Sancti

(a) *In Vita S. Athanaſ. 2. Maij.* (b) *Matt. 10.*

Sancti homines, cum hanc quoque formam à Saluatore didiciſſent (ab ipſo enim & antea & ſemper omnes docebantur) aduerſus perſequutores vt legitimè certarent, FVGIEBANT, & ab illis quæſiti, ſe abſcondebant. Cum enim præſtituti ſibi à Diuina Prouidentiâ temporis finem ignorarent, nolebant inſidiantibus ſe temerè tradere; ſed contrà, cùm ſcirent quod ſcriptum eſt: *In manibus* DEI *eſſe hominum ſortes, & Dominum mortificare, ac viuificare,* potius in finem vſque perſeuerabant, *circumeuntes*, vt ait Apoſtolus, *in melotis, & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, in ſolitudinibus errantes, & in ſpeluncis, & cauernis terræ latentes*, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipſum definierat, DEVS, cum ijs loqueretur & inſidiantes cohiberet, aut certè perſequutoribus eos traderet, vt cumque illi placuiſſet.] Ita ſe tuebatur contra aduerſarios, fortiſſimus inter Chriſtianos Miles, cùm fugiſſet aliquoties Athanaſius.

S. CYPRIANVS Martyr inuictus, quamuis ipſe non fugiſſet, illorum tamē, qui prudenter ſe ſubducunt, & fugiunt, cùm id ſalus propria & proximi poſtulat, patrocinium ſuſcipiebat, ſcribens ad Thibaritanos. (a) *Nemo*, inquiens, *cùm populum noſtrum fugari conſpexerit, metu perſequutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſunt, quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt. Vbicumque in illis diebus vnuſquiſque fratrum fuerit, à grege interim, neceſſitate temporis, corpore, non ſpiritu ſeparatus, non moueatur ad* FVGÆ *illius horrorem, nec recedens & latens, deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus non eſt, cui* Chriſtus *in* FVGA *comes eſt.* Idem S. Pater Sermone de lapſis. *Qui exit de Babylone & cedit, delicti particeps non fit. Plagis verò & ipſe perſtringitur, qui ſocius criminis inuenitur. Ideò Dominus in perſequutione ſecedere &* FVGERE mandauit, *atque, vt id fieret & docuit & fecit. Nam cùm Corona de* DEI *dignatione deſcendat, nec poſſit accipi, niſi fit hora ſumendi; quiſquis in Chriſto manens interim cedit, non fidem denegat, ſed tempus expectat. Qui autem, cùm non ſecederet, cecidit, negaturus remanſit.*

CHRISTVS D. Diſcipulis & ſe ſequentibus dixit: *Cùm vos perſequuntur in ciuitate illa*, Fugite *in aliam*, Matthæi x quod vt mandatum interpretantur SS. Athanaſius, & Cyprianus. Cum Iconij factus eſſet impetus Gentilium & Iudæorum cum ſuis Principibus, vt Apoſtolos contumelijs afficerent, & lapidarent, confugerunt illi ad ciuitates Lycaoniæ, Actuum XIII. Saulus ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos, poſtquam circumfuſus luce de cælo in Paulum fuit mutatus, & ex Zelatore Legis Iudaicæ factus Vas electionis perſequutionem ſtatim paſſus eſt. Quid ille? cum nondum tempus aduenisset Martyrij, *fugit*: & quidem ne ab vllo detineretur, per murum ciuitatis Damaſci in ſportâ dimitti voluit, ſicque euaſit manus inſidiantium. Actibus. ix. PAVLVS Eremitarum auctor & Magiſter, declinandæ cauſsâ perſequutionis, fugit, & in ſpeluncam ſe abdidit: quantus inde [?], quam glorioſus euaſit Bellator?

(a) Epiſtola LVI.

NOTÆ

NOTÆ.

In quibus Auctores & Erotemata.

DE FVGA *in Perſequutione variè aperitur: multa ſunt, quæ de eâ in quæſtionem veniunt. Accipe* Problema, *quod texit* Franciſcus Mendoza *lib. iv. de florib. Philoſoph.* Vtrum *Fuga* aliquando à Fortitudine imperetur?

TERTVLLIANVS libro de fuga in perſecutione abſolutè negat fugam ab homine forti capeſſendam. Pulchrior, *inquit*, eſt miles in pugna amiſſus, quam in fuga ſaluus: malo miſerandum, quam erubeſcendum. *Vnde addit, qui martyrium fugiunt, Chriſtum negare.* Negatio, *ait*, eſt martyrij recuſatio. *D. Athanaſius in Apologia pro fuga ſua, abſolutè adfirmat, fugam eſſe actum fortitudinis. Et cum multam hanc rem exempla adduxiſſet, tandem concludit:* Illa documenta exhibent, fugam nequaquam metu ſuſceptam eſſe, ſed magnam vim fortitudinis in ea contineri. *Quapropter addit:* Qui in fugâ moriuntur, non moriuntur inglorij, nam & hi quoque adoream martyrij conſequuntur. *Inter hos duos Patres adeò diſſentientes, caduceator, ſeu pacificator intercedit S. Auguſtinus epiſtola* Clxxx. *ad Honeratum. Qui, vt erat ingenioſus, ingenioſe diſtinguit. Et ſicut quandam* Fugam *indecoram fatetur, ita aliam glorioſam teſtatur, remque totam feliciter declarat Auguſtini partes S. Ambroſius toto libro de fuga ſeculi, S. Thomas 2. 2. q. ... art. ... Abulenſ. in cap. 10. Matth. q. ... 8. egregie proſequuntur. PARS igitur quæſtionis affirmatiua, quod fuga aliquando à fortitudine imperetur* Dictis, Exemplis, Rationibus *probatur. Dictis. Res ſacra eſt. de virtute agimus. Confugiamus ad virtutū omnium ſacrarum Sacras litteras. Pſalmo* Lxvii. Rex virtutum dilecti, *Hebraice*, Reges virtutum fugerunt, fugerunt. *Vtraque verſiculi pars emphatica eſt. Prior.* Reges virtutum, *id eſt, fortiſſimi, robuſtiſſimi, magna virtute præditi. Sicut alibi,* Dominus virtutum nobiſcum: *&*, Altaria tua, Domine virtutum. Domine Deus virtutum exaudi. *Poſterior.* Fugerunt, fugerunt: *id eſt, valdè fugerunt, per epizeuxim, ſicut alibi* Conſolamini, conſolamini populus meus: *id eſt, valdè conſolamini. Quid ergo, Reges magna virtute fugerunt? plane fugerunt: & quidem fuſa fuga, laxis habenis, equis & quadrigis, remigijs Dedaleis, fugerunt, fugerunt. Ergo fuga actus eſſe poteſt fortitudinis. Pſalmo* xvii. Deus, qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea: *hoc eſt, Deus promptiſſimas mihi reddidit manus ad bellandum, brachia ex ære fuſa, ne vllis ictibus frangantur, totum corpus robore ac virtute, plusquam ſeptemplici thorace muniſſimū, ne vllis ingruentium telorum procellis obruatur. Quid deinde?*

Qui perfecit pedes meos quaſi ſeruorum:

id eſt, qui roborauit pedes meos, quaſi ceruinos. Quid iſtud eſt fortitudinis? Pedes ceruorum timidi & fugaces ſunt. In quo fortitudo iſta ſita eſt? niſi fortè (a)

Venenoſa in lingua, pedibuſque fugacibus?

Abſit. Sed plane oſtendit Vates, non omnem fugacitatem timiditatem eſſe, ſed in fuga aliquando fortitudinem collocari.

QVAM bene cum Vate regio colludit alius? Abacuc iii. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum *hoc eſt: Deus mihi fortitudo eſt. Cur ita? An quia confert vim ad reſiſtendū? animos adſtruendū?*

virtutem

(a) *Virgil. xi. Æneid.*

virtutem ad diſperdendum? nequaquam. Sed quia confert pedes velociſſimos ad fugiendum, pedes ceruorum, [illegible] vt eſt in Hebræo, Angelorum: quaſi in fugacitate ceruina fortitudo Angelica conſiſtat. Mirum eſt Apocalypſis XII. *datas fuiſſe Mulieri alas duas Aquilæ magnæ vt fugeret in deſertum, cum ad fugam aptiores videantur alæ columbinæ, quam aquilinæ. Columbæ enim imbelles ſunt, aquilæ bellatrices. Sed nihil mirum, cum & generoſam & bellatricem Aquilam non dedeceat fugam aliquando maturare: præſertim, cum non conſulat timori fugiendo, ſed artem oſtendat.*

Bellicoſus miles *inquit Chryſologus, loquutus de fuga Chriſti Domini in Ægyptum,* quod in pugna fugit, artis eſt, non timoris. Fuga illa, *inquit Ambroſius* [illegible] *de fuga Hebræorum Ægypto,* erat tractus innocentiæ, pietatis aſſumptio, via virtutis per Aduerſa, *ait Cyprianus,* eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat. Expedit plus benè timere quam malè fidere. *Addit Athanaſius, fortius aliquando eſſe à morte fugere, quam in mortem ruere. Rationem adiungit:* Quia qui in mortem ruit, multis ſe eripit è miſerijs, quibus ferendis non erat par. Quia mortem fugit, maioribus ſe calamitatibus exponit, quibus deuorãdis animũ geſtat capaciſſimũ.

VENIO ad exempla. Quis Tartaros timoris arguat, quod fugiendo [illegible] *ant? Quis Horatios ignauiæ condemnet, quod fugam capeſcendo victoriam capeſſant? Quis Parthos timiditatis inſimulet, quod verſis in fugam equis inſequentes hoſtium cuneos verrant, iuxta illud Mantuani:*

Fidentem [illegible] *fuga Parthum verſiſque agittis.*

illudque Horatianum:

Et vers[illegible] *animosum equis Parthum.*

Demoſthenes datus aliquando in fugam, adeò non erubuit, vt percontantibus, cur fugeret? dixerit, Seruo me patriæ. *Antigonus hoſti cedens,* Non fugio hoſtem aiebat ſed [illegible] tem bellandi à tergo ſe [illegible] *ru eſſet illa fuga, ſed artis. Fa*[illegible] *Pœnum vincere irruendo, cedendo* [illegible] *liuit. Fuga plane obtinuit, quod* [illegible] *neret.*

QVID ſacra moror? Ioſue cap. [illegible] *armatus præſidio fortium bellatorum* [illegible] *circum ſeptus, oraculo de cælo* [illegible] *formidaret nihil minus vrbem* [illegible] *rus fugit terga vertit, & quam* [illegible] *bem irruendo expugnare* [illegible]

Iſrael contra Beniamin [illegible] *xx pugnam in fugam vertit,* [illegible] *tis fuſus ac fugatus fuerat pugnan*[illegible] *fudit & fugauit fugiendo, vt* [illegible] *fuga, quã in pugna bellica* [illegible]

Dauid, vt rectè colligit G[illegible] *cies fugit à facie Saulis. De qua* [illegible] *eſt, vt erubuiſſet, vt potius eam* [illegible] *nibus de* [illegible] *DEVS* [illegible] clauit. ibi, *Pſalmo* LV *quod Hebraicè* [illegible] fugam meam annunciaui tibi.

HINC eſt quod miratur Ch[illegible] *tos Pſalmos à Dauide ſic inſcriptos* [illegible] *uid cum fugeret à facie A*[illegible] *ait Chryſoſtomus* Ceteri h[illegible] quam alio [illegible] tant: Dauid [illegible] *tell*[illegible] *non fuiſſe à timore ort*[illegible] *ne profe*[illegible]

Percurrite [illegible] *metu fugam aliquando ſuſce*[illegible] *timoris, ſed alumnam for*[illegible] *fratre ſuo Eſau, M*[illegible] *Achab, Dauid à Saule* [illegible] *tarũ ad* [illegible] *requi*[illegible] D. *Paulus A*[illegible] *& dimiſſus Chr*[illegible] perſequut[illegible]

in aliam. *Et iterum*: Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. *Imò & ipſe recens natus fugit in Ægyptum: & ſæpe aliàs à Iudæis in mortem requiſitus, eorum ſe eripuit è conſpectu Matth. XI. Marci. III. Lucæ III. Ioan. XI.* Quid ergo, *inquit Athanaſ.* adeò inſanire poſſunt iſti animoſi ac pompatici Bellatores, vt Deo Domino timiditatem obijciant? Quis eos ſic inſanientes ferat? Melius eſt, vt de ignoratione Euangelij malè audiant.

FESTIVVM *eſt, quod Arator antiquus Poëta & poſt eum, Beda, Gloſſa, alij que Interpretes, in ſporta, qua Paulus è muro dimiſſus eſt, excogitarunt.* Sporta, *inquiunt*, plerumque è palmis contexitur. In ſporta igitur Paulus fugit, quia eius fugã non timor & imbecillitas, ſed fortitudo, & palma conſequuntur. *Quadrat illud Gregorij magni lib XXXI. Moral. c.14.* Paulus receſſum à certamine petijt, & pugnaturus felicius ad alia ſe bella ſeruauit. Non loco virtus, ſed locus virtuti defuit: & idcirco fortiſſimus miles ab obſidionis anguſtia certaminis campũ quæſiuit. *Nota eſt in hanc rem illa paræmia quam ex Græco tranſtulit Tertullianus*: Miles qui fugit, iterum præliatur.

AD *hæc triplex addatur ratio.* Prima. *Metus ſæpe numero fugam impedit, ac refrenat; nam appetitu timente ad cor omnes ſpiritus vitales, tãquã ſatellites ad regiam conueniunt: quibus proinde ſpiritibus reliqua mẽbra deſtituta nequeunt ſe in fugam explicare. Vnde Leones feras ſe perniciores venãtur; rugiunt, & quas curſu prendere non poſſunt, rugitu terrẽ faciunt, & conſternant, ne in fugam acta ſibi à dentibus auferãtur. Quo illud Dauidicum ſpectat*: Catuli Leonũ rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi, *pſal. CIII. At fortitudo metum temperat, & coërcet. Vnde Ariſtotel. Ethicor. 2. cap. 7. & S. Thomas 22 q.113 ar.3. definitur*, Mediocritas circa metum & audaciã; *hoc eſt, virtus, quæ metum & audaciam moderatur. Ergo fortitudo poteſt fugam imperare. Probo cõſeq. Quia qui tollit impedimentũ fugæ, poteſt ad fugam expedire. Ergo ſi fortitudo tollit metum, qui fugam impedit: ipſa ad fugam expedit.*

Secunda. *Non magis alienus videtur à fortitudine actus fugiendi, quam à caritate actus reſiſtendi. Nam ſicut fortitudo non deficit in arduis, ita caritas non immutatur in aduerſis. Sed reſiſtentia & pugna poteſt eſſe actus caritatis, tã propria, quam aliena, vt ex Magiſtro ſententiar. ac D Gregorio M. Rubard. quodl. 2. q.27. teſtatur. Nam malos ſuaſores poteſt quis per vim repellere ex motiuo proprie caritatis, & ex motiuo alienæ impium aggreſſorem per violentiã remouere. In hoc enim genus caritatis eſt eſſe crudelem. Ad hunc enim finem Chriſtus gladium miſit in terrã: præceptum intulit caritatis: ac ſi hæc duo, Caritatẽ & reſiſtentiã contraria nõ eſſe indicaret. Ergo etiam fuga poteſt eſſe actus fortitudinis.*

Tertia. *Vbicumque datur bonum arduũ ac difficile ibi datur tota ratio terminatiua fortitudinis. Hæc enim vt docet S. Thomas verſatur circa pericula, quæ retrahere poſſunt voluntatem à ſequela rationis. Sed fuga aliquando eſt magis ardua ac difficilis quam ipſa periculorum tolerantia, vt D. Athanaſ. diſſerit. Vnde Elias l. III. Reg. 19. petebat mortem fugiens mortem*: ſufficit mihi, Domine, tolle animam meam. *Ac ſi mors facilior illi videretur quam fuga mortis. Ergo fortitudo poteſt aliquãdo ad fugã inclinare.*

NIHILOMINVS *dicendum: Fugam eſſe poſſe actum Prudentiæ, aut alterius virtutis, non tamen Fortitudinis. Quod ſit prudentia probant hactenus allata. Vnde Chriſtus D. Matthæi X. poſtquam præcepit*: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, *ſtatim addidit, vt ingenioſi interpretes recentiores obſeruarunt*, Cum vos perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam. *Ac ſima-*

ſi manifeſtè indicaret, fugam aliquando prudentia partem eſſe. Et cum Iacobo mater ſuaderet: Geneſis XXVIII. Fuge in Meſopotamiam, *pater ſuaſit.* Vade in domũ Bathuelis, *qui interpretatur ſapientia. Quaſi fuga illa, vt interpretatur S. Ambroſ. à prudentia ac ſapientia dirigetur. Hinc etiam in hiſtoria Græca & Romana commendantur, maximè à prudentia, qui fugam maturè inierunt.*

QVOD *autem non ſit* Fortitudinis *ſed timoris multis probatur teſtimonijs. Poëta paßim. Virg.* VIII. *Æneid.*

—— *pedibus timor addidit alas.*

Homer. Iliad. XI. *appellat fugam frigidi metus ſociam. Lacedæmones ſuis militibus ad pugnam prodituris ſoleas ſine calceo, induebant, ne ad capeſſendam fugã timor pedibus alas adderet. Aliquãdo etiã è collo militi anchoras religabant, vt ſtirent, eodem veſtigio, ac collato pede aut vincẽdum, aut moriendum, nunquam verò fugiendũ. Inter Romanos fortißimi habebantur, qui nunquam è bello fugerant. Lucius Dentatus teſte Liuio centum ac viginti prælijs cum hoſte congreſſus nullam accepit auerſo pectore cicatricem, ideò Romanus Achilles appellatus. Probus Imperator, Vopiſco auctore, cùm de præda repertus eſſet equus, qui centum ac decem milliaria currere diceretur, & per octo & decem dies curſum continuare, crederentq́; omnes Probum ſibi illum reſeruaturum, dixiſſe fertur: fugitiuo militi potius, quam forti Imperatori eum equum conuenire. Atque adeo illum repudiaſſe, ac illius nomẽ in vrnam conieciſſe à militibus ſortiendũ: quaſi illud fugæ præſidium, tanquam ſibi indecorum, aſpernaretur. Tertulliani hæc fuit ſententia, lib. de fuga in perſequutione:* Pulchrior eſt miles in pugna amiſſus, quàm in fuga ſaluus: malo miſerandum, quàm erubeſcendum.

QVI *fugit perſequutores teri*[illegible] *poteſt parabola Euangelica:* Quis rex iturus cõ[illegible] bellum *Luc.* XIV. alioqui rogat ea quæ pacis ſunt. *Si enim Rex torrenus cum* [illegible] *pacem init cum imparem ſe viribus ani*[illegible] *maduertit, cur non idem faciat Chriſtianus, vt cum Tyrannorum ſæuitia ſuam imbecillitatem cæſuram timet, relictis bonis, eam redimat, FVGA ſibi cõſulat aut ſe occulat, non temerè ſe offerat certamini. Quod multi incautè fecerunt, ideoque corona proximi miſerabiliter ceciderunt.*

Agit enim Chriſtus ibi, de perſequutione externa, qualem ipſe cum Apoſtolis pertulit. Si hoſtes veniant μετ' εἴκοσι χιλιάδων, *ſi longis, & exquiſitis tormentis; non prudenter occurres* ἐν δέκα χιλιάσι, In decẽ millibus *Itaque* ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην: oportet rogare pacem. *Fugiendum in Perſequutione & periculo confirmat Exemplis varijs* Theatrum Vitæ humanæ. D. 25. P. 298. & F. P. 255.

LEGENDVS Iacobus Pamelius, *qui inter* Paradoxa Tertulliani *ponit num. x.* Fugam in perſequutione non eſſe licitam. *Quem errorem docuit lib. 1. ad vxorem cap. 3. num. 17. lib. de Corona Militis cap. 1. num. 18. Sed latius eum deducit libro integro eius argumenti, quem inſcripſit,* De Fuga in perſequutione ad Fabium. *Hunc vero librũ, vt tradit S. Hieronym. Sophroni. Niceph. & alij, ſcripſit Tertullianus contra Eccleſiam, iam tunc hæreticus. Eum latè docteq́; cõfutat* Pamelius, *in illum Adnotationibus: Ad calcem autem Argumenti ſubijcit Antidotum ex ipſo Tertulliano adhuc Catholico, cuius verba adnumerat. Notanda ſunt iſta ex lib. de Patientia cap. 3.* Carnis patientia in perſequutionibus præliatur. Si Fuga vrgeat incommoda Fugæ caro militat. Si & carcer præueniat, eſt in illa paupertate lucis patientia mundi. *Vide etiam Bellarminum lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vbi dicit:* Tertullianus initio Catholicus ardentiſ-

ſimi

ſimi Zeli, deinde in Montani, hæreſim prolapſus, contra Eccleſiam non pauca ſcripſit. *nominatim* De Fuga in perſequutione.

COMMENTATIO IV.

FVGA SECVLI.

Per Auerſionem à Peccato, Conuerſionemq́; ad DEVM.

MEMBRVM I.

FVGIENDVM EST SECVLVM.

Non Sermone magis & linguâ, quàm opere, & effectu.

CVM *Seculum*, ſeu *Mundus* ſit locus omni genere prauarũ *Occaſionum* pleniſſimus, illum qui fugit, cenſetur, & peccata, & peccatorum cauſſas, opportunitates, *occaſioneſq́;*, tam proximas, quàm remotas fugere. Vnde FVGA SECVLI eſt fugarum perfectiſſima, ceteras omnes virtute cõplectens. Per illam igitur glorioſiſſima de hoſtibus omnibus, qui fugiendo ſuperãdi ſunt, obtinetur victoria. Quod argumentum copioſiſſimè, & elegantiſſimè pertractauit S. Ambroſius, qui ſuper verbis Rebeccæ matris, Geneſis cap. XXVII. dicentis filio Iacob. *Surge*, FVGE *in Meſopotamiam* (myſticè locum interpretando) ſcripſit librum integrum, cuius eſt titulus. DE FVGA SECVLI: in quo docet, fugiendum eſſe *Seculum*, *Mundum*, *Carnem*; & quomodo, vt quis perueniat ad gratiæ ac virtutis perfectionem.

Frequens, inquit D. Ambroſius, *nobis eſt ſermo, de effugiendo* Seculo: *atque vtinã quàm facilis ſermo, tam cautus & ſolicitus eſſet effectus. Sed quod penius eſt, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effuſio mentem occupat, vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites animoq́; voluas. Quod cauere difficile eſt homini, exuere autem impoßibile. Denique, voti eam magis eſſe rem, quam effectus teſtatur Propheta dicendo:* Declina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. *Non enim eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum; ſed noſtra cogitationes, quæ improuisò effuſæ mentem animumq́; confundunt, atque aliò trahunt, quam tu propoſueris, ad ſecularia reuocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexerunt. Vnde ipſo in tempore, quo eleuare mentem paramus, inſertis manibus, cogitationibus, ad terrena plerumque deijcimur.* (a) Deinde, docet in Seculo occaſionibus peccandi hominẽ vbiq; eſſe expoſitum.

Pſal 118.

tum. *Quis inter tot paßiones huius corporis, inter tantas illecebras huius ſeculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis auertit: audiuit auris, & intentionem inflexit: inhalauit odor; & cogitationem impediuit: os libauit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adoleuit.* Quod remedium?

FVGA SECVLI.

MEMBRVM II.

FVGA SECVLI.

Quid ſit? Quæ Ciuitates Refugij? Quod Fugæ Seculi præmium?

DOCET Lex, *fugiendum Seculum;* DEVM *ſequendum. Quid enim aliud docet, cùm dicit*: (a) Diſponetis vobis ciuitates ad refugium, & erunt vobis refugia: *Et infra*: Sex ciuitates ad refugia erunt vobis: *tres ciuitates dabitis trans Iordanem, & tres ciuitates dabitis in terra Chanaan.* Quæ ad fugiẽdum Seculum, & quæ in illo ſunt occaſiones malorum, ſecundum myſticum intellectum præclarè accommodat, & exponit S. Doctor. Tum verò declarat capite IV. Quid ſit fugere Seculum, cum exhortatione, vt fidei ſuffragio ſubnixi accedamus ad ſedem gratiæ, hoc Seculum, & eius cogitationem fugientes, neque FVGERE erubeſcentes: cùm glorioſum ſit ita fugere: quemadmodum ex fuga Iacob, & aliorum Sanctorum demonſtratur.

Accedamus itaque fidei ſuffragio ſubnixi, & eius remigijs ſubleuati ad ſedem gratiæ, fugientes hoc Seculum & eius contagionem. Hoc eſt autem fugere, *abſtinere à peccatis, ad ſimilitudinem & imaginem* DEI *formam virtutum adſumere, extendere vires noſtras ad imitationem* DEI, *ſecundum menſuram noſtræ poßibilitatis. Vir enim perfectus imago & gloria eſt* DEI. (b) *Vnde & Dominus ait*: Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. *Hoc eſt igitur ſimilem eſſe* DEI: *habere iuſtitiam, habere ſapientiam, & in virtute eſſe perfectum.* DEVS *enim eſt ſine peccato. Et ideò, qui peccatum fugit, ad imaginem eſt* DEI. *Non eſt igitur dubium, quod is, qui à peccato abſtinet, fugit. Vnde & Apoſtolus clamat*: Fugite fornicationem. (c) *Perſequuntur enim nos peccatorum illecebræ: perſequitur libido. Sed tu fuge, tanquam furioſam dominam. Quæ ſi comprehenderit, nec die, nec nocte requieſcere ſinit: exagitat, vrit, incendit.* Fuge Auaritiam, *ne te interius comprehendat.* Fuge Inuidiam, *quæ non ſolùm alienos, verùm multo magis eum, quem poſſederit, lacerare conſueuit.* Fuge Perfidiam, *ne te ſuis inuoluat retibus.* Vnde Dominus ait: (d) *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Quod ſi in alia perſequentur vos, in aliam fugite. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat Filius hominis.*

Etenim quamuis propter infirmitatem carnis, fugam nobis ſuadere videatur, tamen melius fugit, qui fugit illecebram ſecula

(a) *Num.* 35. *Ioſue.* 20. (b) *Matth.* v. (c) 1. *Cor.* vi. (d) *Matt.* x.

ſecularem, vt non teneatur diuitiarum ſiaruni ſolicitudine, non theſauri contemplatione, non vitæ iſtius cupiditate; ſed directa animi intentione feſtinet (*a*) ad gloriam regni cæleſtis, properet ad coronam: nec terrenarum contuitu à ſui paſſione corporis reuocetur. (*b*) Fuga ergo Mors eſt, vel celebrata, vel adumbrata. (*c*) Et fortè illas exprimit Refugij legitimi ciuitates, vt confugiamus ad virtutum culmina, quas pro præmijs bono fæneratori alibi diſpenſat, dicens: (*d*) *Quia in modico fidelis fuiſti, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.* Lex nouit ſex ciuitates; ſed qui legem impleuit, quia potuit dicere. (*e*) *Non veni ſoluere legem, ſed implere* perfectiorem numerum remunerationis indulget.

(a) *Præmium fugæ Corona.* (b) *Fuga eſt Mors vera figurata.* (c) *Præmium ciuitates Refugij.* (d) *Luc.* 19. (e) *Matth.* 5.

MEMBRVM III.

FVGA SECVLI GLORIOSA.

Exempla fugientium glorioſè. In ſeculo, quà Seculo, non eſt niſi Peccatum, Malitia, Nihil.

NOn erubeſcamus fugere. Glorioſa enim hæc fuga eſt, fugere à facie peccati. Sic fugit Iacob, matre ſuadente. Dixit enim Rebecca (*a*) *Exſurgens fuge in Meſopotamiam.* Sic fugit Moſes à facie Regis Pharaonis, (*b*) ne eum aula regia coinquinaret: ne irretiret potentia. Denique *pretioſius Ægypti diuitijs exiſtimauit opprobrium Chriſti* (*c*) Sic fugit etiam Dauid (*d*) à facie Regis Saul, à facie Abſolon. (*e*) Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & inſidiatori pepercit, & parricidæ ſalutem rogauit. Sic fugit & populus Hebræorum, (*f*) vt fides eius & vita inter fluctus ſibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis aſſumptio. Audeo dicere: ſic fugit Ionas (*g*) in Tharſis, non corporis fugâ, ſed mentis aſcenſione, qui vſque ad Chriſti aſcendit ſimilitudinem, vt fieret Typus Chriſti. (*h*) *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & Filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ.* Nā ſi ſic non fugiſſet, nunquam de ventre ceti eſſet editus. Fugiamus hinc, vbi Nihil eſt, nempe, Malitia, quæ nihil eſt: vbi inane eſt omne quod magnificum putatur eſſe: vbi & qui ſe putat quid eſſe, nihil eſt, (*i*) & omninò non eſt: *Vidi*, inquit, *impium ſuperexaltatum & eleuatum vltra cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat.* (*k*) Fugienda & declinanda ſunt *Mala*: mala autem in terris iniquitates: fugiamus terrena ne nos comprehendant iniquitates, quæ etiam Sanctum comprehenderunt Dauid, ſicut ipſe teſtatur dicens: *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, (*l*) Qui idcirco fugere volebat, ſi non vt Aquila, (*m*) ſaltem *ſicut Paſſer* (*n*) Sed adhuc laqueus quo tenebatur contritus non erat. *Perijt*, inquit, *fuga à me* (*o*) Vnde illas pennas quærebat accipere, quibus euolaret: (*p*) *Quis dabit mihi pennas, ſicut*

(a) *Geneſ* 27. (b) *Exodi* 2. (c) *Hebr.* 11. (d) 1. *Reg* 24 (e) 2. *Reg.* 13. (f) *Exod.* 14. (g) *Ionæ* 2. (h) *Matth* 12. (i) *Gala.* 6 (k) *Pſ.* 36. (l) *Pſal* 39 (m) *Pſ.* 41. (n) *Pſ.* 113 (o) *Pſ.* 141. (p) *Pſ.* 69.

ſicut columba, & volabo & requieſcā? vbi volatus, ibi requies. (*a*) Qui non poteſt, vt Aquila volare, volitet vt paſſer. Qui non poteſt ad Cælum, volet ad montes: fugiat ante valleſtria, quæ citò corrumpuntur humore, & ad montes tranſeat. Tranſiuit ad montem Segor nepos Abrahæ, & ſaluus factus eſt. (*b*) Quæ autem non potuit aſcendere, affectu fæmineo reclinata, ſalutem amiſit. Et Dominus dicit, *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* (*c*) Vbi Mons Sion & Ciuitas pacis Ieruſalem non terrenis, ſed viuis conſtructa lapidibus, & decem millium Angelorum frequentiâ illuſtris: primitiuorum Eccleſia: (*d*) perfectorum domicilium, iuſtorum patria.

(a) *Pſ.* 69. (b) *Gen.* 19. (c) *Luc.* 21. (d) *ad Hebr.* 12.

MEMBRVM IV.
FVGIENDVM SECVLVM.

Quam primùm. Citò. Velociter. Fuga velox Seculi fœcunda virtutum eſt. Seculum Meretrix.

IAM verò, volens fugere, velociter fugiat, ne comprehendatur. Velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebræus Ægyptum. (*a*) Qui parturit, pariat: ne onuſto & degrauato iniquitatibus mentis vtero, fugere non poſſit: (*b*) Et fugiat, non quaſi lactentem ferens, ſed quaſi expeditum: non paruulum geſtans, ſed perfectū Chriſto exhibens. Fugiat, non quaſi feriatus in Sabbato, ſed tanquam operarius in negotio: nec tanquam ſterilis in frigore, ſed tanquam opimus in meſſe. Ideo enim dictum eſt: *Orate, ne fiat fuga veſtra hieme vel Sabbato.* (*c*)

FVGA hæc fœcunda virtutum eſt, non effœta meritorum. Fuga hæc neſcit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem ſolicitudinis, diſſolutionis ocium, laſciuiæ ferias, torporem lenitudinis; ſed vitæ cæleſtis requirit impigrum viatorem, regni ſuperioris competitorem ſtrenuum, diuitem agricolam, qui fructus ſuos cogat, & cogendo diripiat. Didiciſti quomodo hinc fugias quid moraris? Dicit tibi Euangelium: (*d*) *Progenies viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere ab ira ventura?* Et dicit hoc de illis, qui veniebant ad baptiſmum pænitentiæ. Ergo *Pænitentia Fuga* eſt bona. *Gratia* DEI *Fuga* eſt bona, in qua eſt aſſumptio fugientis. *Deſertum Fuga* eſt bona, ad quod fugit Elias, Eliſeus, Ioannes Baptiſta. Fugit Elias (*e*) mulierem Iezabel, id eſt, effuſionem vanitatis: & fugit ad montem Oreb quod ſignificat exſiccationem, vt ſiccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis. Vtique nôn mulierem fugiebat Propheta tantus, ſed *Seculum:* nec mortem timebat, qui ſe obtulerat quærenti; & qui dicebat ad Dominum: *Recipe animam meam,* (*f*) tædium vitæ iſtius ſuſtinens, non cupiditatē: ſed fugiebat Secularem illecebram, & maculoſæ conuerſationis contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis ſacrilegia. Salomon quoque Mulieris illius ſpecie corruptelam Seculi huius exponit, & meretricias artes declinandas edocet. (*g*) Hæc eſt Mulier aliena & fornicaria, à qua te, vt cuſtodias, adhortatur: *Ne declines in vias ſeculi cor tuum, ſed colloces illud in manu Domini, in qua eſt Cor Regis.* (*h*) Qui enim ſeipſum

(a) *Iſaia* 8. (b) *Exod.* 12. (c) *Matth.* xxiv. (d) *Matt.* 3. (e) 3. *Reg.* 19. (f) 3 *Reg.* 9. (g) *Prou.* 7. (h) *Prou* 7.

ſcipſum regit, quod pluris eſt, quàm alijs imperare) cor eius in manu DEI eſt, & quocumque DEVS vult, conuertit illud.

MEMBRVM V.
SECVLVM FVGIENDVM.

Multis de cauſſis. Præcipua, eſt Malitiæ locus: Officina improbitatis. Fuga ſpiritualis.

EST ſanè non mediocris cauſſa cur hinc fugere debeamus, vt perueniamus à malis ad bona, ab incertis ad fidelia, & plena veritatis, à morte ad vitam. Fugiamus malitiam ſeculi huius, in quo (*a*) *ipſi dies mali ſunt*, & fugiamus impigrè. Hoc eſt autem fugere, ſcire quo tendas, ableuare ſe à Sæculo, ableuare ſe à corpore, ne iterum fruſtra ſe aliquis extollat, & inflatus mente carnis ſuæ, non teneat caput, & dicatur de his: *Fugerunt, & non viderunt* (*b*) Hoc eſt fugere hinc, fugere *Seculum*, mori elementis huius mundi, abſcondere vitam in DEO, declinare corruptiones, non attaminare cupiditates: neſcire quæ ſunt Mundi iſtius, qui nobis varios gignit dolores, exinaniuit, cũ repleuerit, cùm exinaniuerit, replet Quis non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis, quæ interire neſciat?

FVGIAMVS hinc. Potes animo fugere, etſi retineris corpore. Potes & hic eſſe, & ad eſſe ad Dominum, ſi illi adhæreat anima tua, ſi poſt ipſum cogitationibus tuis ambules, ſi fide, non ſpecie vias eius ſequaris, ſi ad ipſum confugias. Eſt enim Refugium & Virtus: cui dicit Dauid, (*c*) *Ad Te confugi, & non ſum deceptus.* Ergo quia DEVS refugium, DEVS autem in cælo, & ſupra cælos; vtique hinc illò confugiendum eſt, vbi pax, vbi requies ab operibus, vbi epulemur Sabbatum magnum: ſicut dixit Moſes: *Et erunt Sabbata terræ vobis eſca.* (*d*) Epulatorium enim & plenum iucunditatis & tranquillitatis eſt, requieſcere in DEO, & eius delectationem videre. Qui ergo confugimus ad DEVM, ad Mundum reuertemur? Qui peccato mortui ſumus peccata repetemus? Qui renunciauimus *Seculo*, & viui eius, iterum in luto eius hærebimus? *Fugiamus hinc quia tempus breue eſt.* Audi quomodo fugias *Et qui habent vxores, ita ſint, ac ſi non habeant: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui hoc mundo vtuntur, tanquam qui non vtantur. Præterit enim figura huius Mundi* (*e*) Non ergo cum prætereunte figura mundi opera noſtra prætereant, ne etiam ipſi prætereamus, ſed maneamus in veritate. Si maneamus in Chriſto, manemus in veritate: & cum eo manebimus, & non præteribimus.

(***)

(a) *Eph. 1.* (b) *Coloſſ. 1. Iob 9.* (c) *Pſal. xlv.* (d) *Leuit. 25.* (e) *1. Cor. 7.*

MEM-

MEMBRVM VI.

FVGA SECVLI

Figurata in Iacobo Patriarcha, Dauide, Suſanna, Paulo, Loth, aliiſque Sanctis Veteris, ac Noui Teſtamenti.

FVGIAMVS ergo hinc, ſicut fugit de patria S. *Iacob.* (*a*) Sciebat enim veram patriam eſſe ſuperiorem. Fugiamus ſicut cerui ad fontes aquarum, quos ſitiebat *Dauid.* Sitiat & anima noſtra (*b*) Quis eſt ille Fons? Audi dicentem: *Quoniam apud Te eſt* FONS *vitæ:* (*c*) Huic Fonti dicat anima: *Quando veniam & parebo ante faciem tuam?* (*d*) Fons enim DEVS eſt. Sed qui hunc Fontem deſiderat, effundat ſuper ſe animam ſuam, vt nihil paſſioni carnis relinquat, ſed vbique anima ſuperfluat. Pulchrè eam effudit *Suſanna*, quæ à venereis ſolicitata presbyteris, potuiſſet flammas in ijs reſtinguere, niſi libidinis profluuium in ijs redundaſſet. Cum vndique obſideretur, ingemuit & dixit: (*e*) *Anguſtiæ mihi ſunt vndique: ſi enim hoc fecero, morte æterna peribo; ſin autem, non effugiam manus veſtras.* Melius tamē iudicauit, crimen fugere potius, quàm periculum vitæ. Suſanna ergo fugit Seculum, & ſe DEO credidit, ad illam arcem ciuitatis æternæ fugiens, quæ totum mundum complectitur: quoniam intra DEVM ſunt omnia. Fugit & *Paulus*, vt euaderet, *per feneſtram in ſporta dimiſſus* (*f*) (ſpartum enim triplex rumpi non poſſe nouerat (*g*) Sed fugit, vt Euangelium Domini toto orbe prædicaret. Et ideò in Paradiſum raptus eſt. (*h*) Et nos fugiamus per feneſtram, audientes præcepta Domini, & viſu ſobrio, atque oculorum caſtitate ſeruantes. Fugiamus ſicut *Lot* (*i*) Sodomitana crimina amplius, quam ſupplicia formidans. Magis enim pius certa ſcelerum fugit contagia, qui Sodomitanis domum clauſit: nec cohabitans nouerat eos, quorum flagitia neſciebat, & opprobria auerſabatur: nec fugiens reſpexit eos, quorum conuerſationes non deſiderabat. Fugit ergo ſicut Lot, qui renunciat vitijs, abdicat ſe incolarum moribus: qui poſt ſe non reſpicit: qui ſuperiorem illam ciuitatem ingreditur introitu cogitationum ſuarum, nec recedit ex ea donec moriatur Princeps Sacerdotum, (*k*) qui tulit peccatum mundi. Mortuus quidem ſemel eſt, ſed moritur vnicuique, qui baptizatur in morte Chriſti, vt *conſepeliamur cum eo, & in nouitate vitæ illius ambulemus.* (l)

BENE fugis, ſi cor tuum non imitetur peccatorum conſilia, & cogitationes eorum. Benè fugis, (*m*) *ſi oculus tuus fugiat calices & phialas, ne fiat liuidus, dum moratur in vino: ſi oculus tuus aliena declinet, & lingua tua veritatem cuſtodiat.* Benè fugis, *ſi non reſpondeas imprudenti ad imprudentiam illius.* (*n*) Benè fugis, *ſi auferas greſſum pedum tuorum ex ore inſipientium.* Citò enim malis ducibus erratur. Sed ſi vis benè fugere longè fac vias tuas ab eorum ſermonibus. Denique, ab ira ventura fugiendum eſt, quam declinare

(a) *Gen.* 18. (b) *Pſ.* 41. (c) *Pſal.* 35. (d) *Pſ.* 41 (e) *Daniel.* 13. (f) 2. *Cor.* 11. (g) *Ecc.* 4. (h) 2 *Cor.* 11.
(i) *Gen.* 19. (k) *Num* 35. (l) *Rom.* 6. (m) *Prou.* 23. (n) *Pro.* 26.

clinare poterunt, qui per pænitentiam ſibi ſpem locauerint euadendi, & reconciliationis futuræ fidem hauſerint, per Dominum N. IESVM CHRISTVM, cui regnũ eſt à ſeculis, & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

¶ ITA de Fuga Seculi diſſerit D. Ambroſius, docens in quolibet etiã ſtatu Seculari poſſe Chriſtianũ fugere Seculum, modò auertatur à peccato, & cõuertatur ad Deũ.

COMMENTATIO V.

FVGA MVNDI

Per ingreſſum in Statum religioſum.

HÆc eſt *Fuga Seculi*, ſeu *Mundi* magis peculiaris, qua non tantùm animo, ſed corpore etiam Mundus deſeritur, per vitam religioſam, quæ in Ordine vel Inſtituto religioſo, ab Eccleſia Catholica approbato ducitur. De hac accuratè ſcripſit Hieronymus Platus, libro I. de *Bono ſtatus religioſi*, qui cùm cap. V. diſſeruiſſet de Occaſionibus peccatorum, quæ ſunt in Mundo, ſeu tribus Mundi malis, quæ Ioannes Apoſtolus commemorat: *(a)* nempe, *Concupiſcentiâ carnis*, *Concupiſcentia Oculorum*, & *Superbiâ vitæ*, capite VII. agit de *Fuga Mundi* per religioſam vitam. Vnde quædam excerpſi, quã Fugam militarem ſpectant, & quã cenſeri poſſunt ex principijs de fuga militari ſuperius approbatis.

(a) *1. Ioan. 2.*

MEMBRVM I.

FVGA MVNDI NECESSARIA.

Ex principijs bellicis probata Militia, Corporalis & Spiritualis.

CVM in Mundo ſint peccatorum omnium occaſiones, meritò cuique Animæ gemendum & clamandum eſt in cælum: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo & requieſcam.* *(a)* Nam qui has tantas miſerias tanta æternæ ſalutis pericula verè cognoſcat, non poterit non exanimo cupere, quàm longiſsimè ab ijs quamque celerrimè euolare. Ad hunc autem volatum nullius auis aptæ ſunt alæ niſi Columbæ, cui propria & naturalis eſt, tum ſimplicitas, tum timiditas. In iſto enim bello ac conflictu cum peccatis, nullum firmius eſt præſidium, quàm timendi, nec vlla melior vincendi ratio, quàm FVGIENDO. Sic enim idem ille, qui columbæ pennas expetierat: Vir bellicoſiſsimus, & vtriuſque Militiæ peritiſsimus, *Ecce*, inquit,

(a) *Pſal. 54.*

quit, *elongaui* FVGIENS, *& manſi in ſolitudine*. Itaque hoc faciunt etiam, atque maximè faciunt Religioſi. Elongant enim ſe à turba & populo, & manent in ſolitudine, remoti ab hominum oculis, remoti à negocijs terrenis, & ab omni ſtrepitu & perturbatione mundanâ.

FVGÆ huius neceſsitas, quodque damnum ſit non fugiendi, ſumi poteſt ex *Fuga* Loth, (*a*) qui quoniam fugit ex loco infami, cum parua familiâ ſeruatus fuit, & incendium Sodomiticum euaſit: duo eius generi quia non fugerunt, incendio cum ceteris inuoluti ſunt: vxor *fugâ* euaſit cum marito, ſed cùm retrò reſpexiſſet, verſa eſt in ſtatuam ſalis. Quid perditus ille locus aliud ſignificat, quam *Mundum* varijs libidinibus ac deſiderijs inflammatum: in quo ſcelerum colluuies, nox atra, & cæcitas inhabitantium.

(a) *Gen.9.*

MEMBRVM II.

FVGA MVNDI

Dirigenda ad Montem Perfectionis Euangelicæ, qui eſt Status Religioſus.

QVo hæc *Fuga* dirigenda ad Montem, vt mandatum fuit Loth Eſt hic Mons Euangelicæ perfectionis culmen, ſeu *Status religioſus*, in quo ad perfectionē noctu diuque contenditur. Mons eſt ſtatus religionis perfectione altiſsimus, ſupra terrā, & res terrenas. Fuga iſta minimè eſt dedecoroſa. In hominum quidem pugnis, ac congreſsibus, *Fuga* turpis & fœda iudicari ſolet, propterea, quod qui aduerſario cedit, is ſe imparem victumque fateatur: quod hominum iudicio inter probra numeratur. At verò in conflictu cum vitiis, ipſum *Fugere*, vincere eſt: non ſolùm, quia fugiens hoſtibus ſe ſubtrahendo, ſalutem & incolumitatem ſuam tuetur: ſed etiam, quia eo ipſo, quod fugit, hoſtem frangit ac ſuperat. Cùm enim vitia quæque ſuam materiam, quaſi illecebræ fomitem habeant, qui eam materiam à ſe remouet, eo ipſe iam vicit. Vicit enim non ſolùm rem ipſam, quam contempſit, ſed, quod multo amplius eſt, ſeipſum, & cupiditatem ſuam. Itaque tantùm abeſt, vt hoc fugæ genus, abiecti, aut puſilli ſit animi, vel timorem arguat atque ignauiam, vt ſine magna conſtantia ac grauitate fieri non queat, ſitque omninò opus magni roboris atque neruorum. Quare glorioſam aſſerit S. Ambroſius hanc *Fugam*. S. Hieronymus autem Epiſt. XXXIV. non ſolùm vt fugiamus, hortatur, ſed etiam vt nudi fugiamus Nam qui res aliquas mundi retinet, non ille Mundum fugit, ſed locum mutans, Mundum ſecum portat. *Ioſeph*, inquit, cum tunicâ Ægyptiam Dominam effugere non potuit. *Adoleſcens*, qui opertus ſindone ſequebatur IESVM, quia tentus fuerat à miniſtris, terrenum abiecit operimentum, nudus euaſit. *Elias* igneo curru raptus in cælum, melotem reliquit in terris. Loquitur Sapientiſsimus vir Eccleſiaſticus cap. XIII. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea*. Quam diu verſamur in Seculi

rebus,

rebus, & anima noſtra poſſeſsionum & redituum procuratione deuinctus eſt, de DEO liberè cogitare non poſſumus. Plura non accumulo. Breuiter.

FVGÆ bonæ ſpirituales omnes ſpecie ex obiectis diſtinctæ continentur in *Fugâ Mundi* per Religionis ingreſſum. Qui enim ſic fugit, is fugit imprimis occaſiones peccandi, quia fugit omnem vanitatem per votum paupertatis. Idem fugit fornicationem, per votum Caſtitatis. Fugit prauum conſortium, per bonorum ſocietatem. Fugit peccatum omne per obedientiam mandatorum, & exequutionem conſiliorum Chriſti.

LEGI poteſt Libellus, quem olim ſcripſi, cuius eſt titulus, MVNDVS FALLAX. *Caue. Videtur. Decipit. Vaneſcit. Mutat. Ludit. vera Simia: verus Morio.* Illi præfigitur Epiſtola dedicatoria. Scripta *Vranio Coſmopolitæ*, cui in eâ ſuadetur Mundum fugere. Lecto libello iſto, & dedicatoriâ, Adoleſcens nobilis, in paucis mihi ſincerè dilectus, ita accinuit:

MVNDE *vale Laruate : tibi tua ſigna relinquo,*
Si qua ſub infido Te Duce ſigna tuli.
Ex quo detraxit ter Maximus Æmilianus
Perſonam, nuda fronte venena patent.
Sæpius haud falles. dixi. Tibi ſigna relinquo,
Non vltrà, ſub Te milito. Munde vale.

Sicque Religionem Societatis IESV Romæ eſt ingreſſus.

Eundem libellum cùm legiſſet Vir Religioſus, in Ordine Canonicorum Regularium S. Auguſtini Præpoſitus, ac Viſitator celebris, remiſit, adiuncto ſuo ſenſu, ac cenſurâ:

Reddo, Pater, librum grates ago, verſiculosque
Addo, cùm deſint aurea dona. Vale.

I.

Noſſe cupis MVNDVM? Sandæi *volue libellum,*
Mundum *vbi* Fallacem *dicis, & eſſe docet.*
Fallitur anteferens ſolidis pereuntia : fallit,
Omnia dum fucis illinit, atque tegit.
Fallaci, & *Falſo* Mundo *quis credat ? habeto*
Res tibi Munde *tuas, plenus vbique dolo es.*

II.

Fallacem Mundum Doctor Sandæe Libellum,
Quem ſcribis, liceat dicere, pace tuâ,
Rectius audiret Muſarum illuſtre Theatrum,
Toto vbi cum cætu doctus Apollo venit;
Rhetorem, & Hiſtoricum, Medicum, Iuriſque Peritum.
Ethologum hoc ſpectas, Theiologumque libro.
Antequàm detegitur Mundus Laruatus *eodem*
Fallere ne videar, non modò plura loquar.

III.

Omnia arbitror vt Stercora *Ad Philip. 3. 8.*

Sordidus & Mundus *cùm ſint contraria Mundi*
Eccur fex hominum Sordida nomen habet
Fors quia quæ ſordent ea Mundo munda *videntur*

Quæ ſunt munda, *illi* Sordida *at eſſe ſolent.*
Pulchrius an quicquam cælo eſt, aut mundius aſtris?
Turpius an quicquam ſordidiusque luto?
Et tamen Immundo Mundo *cæleſtia ſordent:*
Munda *velut*, tellus *ſed* lutulenta *placet.*
Stercora ſunt Paulo, quæ Mundo munda *putantur.*
Munditiem Paulus: Stercora Muudus *amat.*

QVI fugit Mundum, velociter fugiat, vt monet Ambroſius, & quam primum ac celerrimè aſcendat Montem perfectionis. *Fuge dilecte, mi & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aramotum,* Cantico. VIII.

Carpe fugam pedibusquè leues prauerte capellas.
Anteuola ceruos, anteuola hinnuleos.
En iuga vicino cælos tangentia cliuo,
Thuris vbi madido cortice gutta tumet;
Cedrus vbi, Laurusque, & copia plurima Myrrhæ,
Mixtaquè puniceis Cynnama læta crocis.
Huic fuge pennigeris ſuper alta cacumina plantis,
Seu tua, Mons Amana, Libane ſiue tua.
Alta ſuper iuuenum faſtigia Seraphicorum,
Cherubicoſquè apices, Aſtraquè ſumma ſuper.

Herman. Hugo lib. 3. Deſid.

COMMENTATIO VI.

FVGA

Laſciuiæ, Luxuriæ, Incontinentiæ, Voluptatum, Carnis, Mollitiei, Turpitudinis, Obſcænitatis, Veneris.

FVGITE FORNICATIONEM.

1. Corinthiorum VI. 18.

MEMBRVM I.

Delineatio Exercitus Laſciuiæ, cuius Ductor eſt Aſmodæus.

PRÆTER Occaſionum prauarum copias, quas *Fuga* ſuperandas in ſuperioribus demonſtrauimus, eſt alius Exercitus, cum quo, eodẽ prorſus modo, *Fugâ* decertandum eſt, ſi victoriam conſequi velimus. Exercitus ille eſt *Laſciuia*, ſiue *Luxuria*, ſuis conſtans agminibus, quæ per manipulos diſtincta in campũ educit Aſmodæus, noti nominis in Luciferi Legionibus Ductor, cuius eſt celebris mẽtio in Tobiæ hiſtor. c. III. Hũc aio fuga ſuperandũ. Verùm, vt id fiat, ſecũdũ præſcriptum

ſcriptũ Militiæ Chriſtianæ ſpiritualis, & cautè, neceſſariũ eſt Ducem ipſum, eiuſque copias agnoſcere, ne, dum in campo comparet, nõ agnitus vobis imponat. Sic igitur accipite. Cùm ſupremus copiarum omniũ, ex vitijs, peccatis, & concupiſcentijs conflatarũ, cũ quibus nobis perpetuò eſt pugnandũ, Imperator ſit, qui ſummus eſt Cacodæmonum, is præficit in diuerſis legionibus diuerſos ſub ſe malignos Spiritus, tãquam Legatos Præfectos, Tribunos, Cẽturiones. Horum diſtinctio, licet à multis rebus trahi poſſit, vt alibi ex profeſſo tradimus: ad noſtrũ tamẽ inſtitutum facit partitio à Vitijs, quorum agminibus præſunt, & ad quæ potiſſimùm impellere, aut excitare homines conniuntur, vt ſatis probatur auctoritate & experientia.

SIC dicuntur Spiritus *ira, triſtitia, acedia, cenodoxia, gaſtrimargia, ſuperbia, fornicationis*, de quibus fusè Ioannes Caſſianus libro V. Inſtitutionum, & ſequentibus; ac in Collationibus, ſignatè, ſecunda ac quinta. Collatione autem VII. cap. XVII. ita Serenus Abbas diſſerit. *Hoc noſſe debemus, non omnes Dæmones vniuerſas hominibus inurere paſſiones, ſed vnicuique vitio certos Spiritus incubare. Et alios quidem immunditijs ac libidinum ſordibus oblectari, alios blaſphemijs: alios iræ, furoriquè peculiarius imminere: alios paſci triſtitiâ, alios cenodoxiâ, ſuperbiaquè mulceri: & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipſe gaudet, inſerere.* Non eſt tamen magnoperè ambigendum, quin ad plura flagitiorum genera eorum quilibet nos incitare poſsit, & interdum id faciat. Iis tamen vnum potiſſimùm, in quo ſinguli occupantur, & ad quod laqueos, tendiculasque ſuas omnes conferant, propoſitum eſt, vt idem Abbas Serenus Collatione XXXII. animaduertit, adiungens, tot eſſe in immundis Spiritibus, quot in hominibus ſtudia. Enumerat autem deinceps *Dæmones* quoſdam *ioculares, & ridicularios*, quoſdam *truculentos & noxios*: quoſdam *tumidos & ambitioſos*: *mendaces* nonnullos & *blaſphemos*, qui ſunt hæreſeon auctores. Tum verò ſubiungit, quæ huc maximè ſpectant.

INCENSORES *libidinum atque luxuriæ quoſdam Spiritus eſſe Propheta commemorat*, Spiritus, *inquiens*, fornicationis decepit eas, & fornicati ſunt à DEO ſuo. *Nocturnosquoque, ſiue diurnos, ac meridianos Dæmones ſimiliter Scripturarum auctoritas docet. De quorum diuerſitate perlongum eſt, ſi voluminis omnia Scripturarum volumina perſcrutantes ſigillatim percurrere*: qui per *Prophetam*, Onocẽtauri, *qui* Lamiæ, *qui* Vlulæ, *qui* Strutiones, *qui* Ericij *deſignantur: qui* Aſpis, *qui* Baſiliſcus *in pſalmo*: *qui* Leo, .. *qui* Draco, *qui-ue* Scorpius *in Euangelio nuncupetur: qui* Princeps mundi huius, *qui* Rectores tenebrarum harum, *qui-ue* ſpiritualia nequitiæ *ab Apoſtolo nominentur. Quæ vocabula nec caſu, nec fortuitò indita illis debemus arripere, ſed ſignificatione iſtarum ferarum, quæ apud nos, vel minus noxiæ, vel magis pernitioſæ, illorum ferocitates rabieſq́; diſtingui exiſtimandum eſt: & ex ſimilitudine nequitiæ virulentæ, ſeu principatus, quem iſtis inter cæteras feras ſiue ſerpentes quadam excellentia malitiæ ſuæ conferr, illos quoque eorum vocabulis nuncupari. Vt ſit, licet, alius quidam, ob vehementiam furoris, & rabiem ferocitatis ſuæ*, Leonis *appellationem*; *alius* Baſiliſci, *ob illud mortiferum virus, quod priusquam ſentiatur, interimit*; *alius verò, ob teporem malitiæ ſuæ*, Onocentauri, *aut* Ericij nomen, *Struthionis-ue* ſortitus ſit. Qui-

businſinuat Abbas iſte quod apud D. Athanaſium dicebat S. Antonius: *Diuerſam & partitam eſſe Dæmonum malitiam, nequitiam-ue. Quidam enim ad ſummum nocendi verticem peruenire: alij ex comparatione priorum, videntur eſſe leuiores. At verò omnes pro virium ſuarum facultate, diuerſa contra ſingulas cauſſas, ſeu virtutes ſumpſere certamina.*

MEMBRVM II.
ASMODÆVS FORNICATIONIS SPIRITVS.

QVAMVIS Dæmones ſint incorporei, & quiſque eorum homines ad diuerſa flagitia ſolicitare poſſit, niſi aliud interueniat imperium: tamen, vt inter eos, ſub Lucifero Imperatore ſit aliquis ordo, & ordinatius, atque ita potentius & efficacius homines oppugnent, facta eſt, vt in Militia ſolet, operarum, Vitiorumque diſtributio: ita vt aliqui præſint huic vitio, & ad illud ex officio incitent mortales, alij iſti, nonnulli alteri alicui. Quemadmodum autem, Eccleſiæ totius Protector, & Militiæ Chriſtianæ DVX ſupremus ſub IMPERATORE CHRISTO eſt MICHAEL Archangelus, ſingulis autem Eccleſijs particulatim vnus eſt adſignatus Angelus, qui illius peculiarem curam gerit: ſingulis etiam Regnis, prouincijs, ciuitatibus, vt ex Danielis Prophetia facilè colligitur; ita ſimilis diſtributio eſt Cacodæmonum. Vnus aliquis infeſtat Germaniam, qui tot ſibi ſubiectos habet, quot ſunt prouinciæ, regiones, vrbes: diuerſus ab hoc Galliam: alius Hiſpaniam, qui ſub ſe continent, quicumque ijs in regnis morantur. Atque ita *Aſmodæus* putatur fuiſſe Ductor illorum omnium, qui Mediam incolebant vicinaſque prouincias. Certè, S. Hieronymus (*a*) Perſarum illum Principem cum quo Angelum bonum pugnare oportuit Danielis x. vbi ſic ſcribitur: *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi* (adiutori tuo) *viginti & vno diebus, & ecce* MICHAEL *vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta Regem Perſarum:* cenſet fuiſſe Dæmonem, qui inſeſſam Perſidem teneret. Vt ex eius mente videatur is fuiſſe Aſmodæus, aut ſimilis quiſpiam ex Luciferi exercitu. *Principem regni Perſarum*, inquit Ioa. Caſsianus (*b*) *aduerſariam poteſtatē fuiſſe, quæ fauebat genti Perſarum, inimicam populi* DEI, *minimè dubitandum eſt.* Atque ita quoque opinatur Abbas Tuitienſis Rupertus. (*c*)

ERAT præterea idem *Aſmodæus* Geniorum illorum malignorum Princeps, & Ductor, vel inſtigator, qui ad libidinem, carniſque voluptates humanum genus inflammant. Ita vt fuerit, & ſit etiam-nū principalis ille omniumque importuniſſimus *Spiritus*, qui à Propheta *fornicationum* appellatur. Oſeæ IV. *Spiritus* fornicationū *decepit eos.* Vbi aliqui per illū Spiritū intelligunt *ſtimulum carnis*: nempe, vehementiſſimā inclinationem, & impulſū ad fornicandū. At Serenus Abbas apud Caſsianum ſimpliciter dicit eſſe Dæmonem incitantem

(a) *S. Hier. lib.* VIII *in Iſa. cap.* 24. *& in cap.* 10. *Daniel.* (b) *Ioan. Caſſian Colla.* VIII. *cap.* 13 (c) *Ab. Rup. lib.* IX *de vict. ver. cap.* 6.

citantem ad fornicationem, contra quem quotidie ſupplices occinimus *A Spiritu fornicationis libera nos Domine.* Quamuis præclari Interpretes nonnulli ſignificari velint per illum Spiritum, ardorē & impetū animi ad idololatrandū, hoc eſt, fornicādum ſpiritualiter cū idolis: eſt enim idololatria fornicatio. (a) Sed receptū eſt apud Magiſtros vitæ Spiritualis, per *Aſmodæum* intelligi Principem ac directorem, gubernatoremque omnium illorum Dæmonum, qui laſciuiæ negociū agunt, & ſunt maximè varij, nec vnius denominationis. (b) Vocantur enim alij *Molles, Scortatores, fornicarij, mœchi, adulteri: alij inceſti, ſacrilegi, cinædi:* alij fædis, & caſtorū aures vulnerantibus vocabulis. His omnibus præſidere *Aſmodæum* deſumitur ex

Sacra Scriptvra, Tobiæ tertio, vbi *Dæmonium, nomine Aſmodæus,* occidit ſeptem viros mulieroſos, quibus tradita fuerat Sara Raguelis filia, deinde Tobiæ iunioris vxor. Habet enim ampliſſimam poteſtatem Dæmonium illud, & omnes ei ſubiecti Dæmones in luxurioſos. Nam vt dicitur Tobiæ vi. *Hi qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt* Devm *à ſe & ſuâ mente excludant, vt ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet Dæmonium poteſtatem ſuper eos.* Siquidem à iuſtiſſimo Iudice Deo ita eſt ad luxuriæ deteſtationem ſancitum, vt *Dæmones* ijſdem, qui fuerūt ad illud flagitium inſtigatores, eorundem deinde, quos deceperunt, ſint carnifices. Quos ante titillabant ſuaſores peſſimi, & iucundiſſimo illecebrarū melle permulcebant, eoſdē ſæuiſſimis poſtea doloribus lancinant, & ad libitum torquent. Ob quā cauſſam, ipſorū aliquando dicuntur Reges Iob. xli. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Quoniā igitur *Aſmodæū* Hebræus textus Regē malorū Spirituum nominat, & eidē in libidinoſos & impuros datū ius legimus, haud malè colligitur, ad eius pertinere regimen, regnūque fœdiſſimos illos Dæmonas, qui cōmouēdis libidinibus, ſpargēdiſq; laſciuiæ igniris miſſilibus Lucifero operā ſuā addixerūt, nūquā quieti, nūquā nō ad caſtitatē profitentiū vexationes diurnas & nocturnas vigiles. Atque ita, qui Dæmonijs criminū mortiferorum auctoribus nomina imponunt, Luxuriæ Præpoſitū ac Regē *Aſmodæum* cenſent. Inter quos eſt auctor libri, qui inſcribitur, Serpens antiqvvs.

Scio diſputari poſſe, ac ſolere, An qui in Militiā Luciferiana certorū flagitiorū Principes, ſiue Duces ſunt, ij omniū, qui toto terrarum orbe ad flagitia illa impellunt, gubernationē habeant, & principatū obtineant? An verò regimen illud, cū eminentiâ poteſtatis, certis tantùm prouincijs ac regionibus circūſcribatur. Nihil in alterutrā partē, vt irrefragabile, decerno. Si tamen prius illud adfirmetur, magna profectò, & latè patens eſt *Aſmodæi* poteſtas: plurimi ab eius nutu ſatellites vbique pendent, qui incredibili quadam celeritate vniuerſum peruolitantes, ad libidinē vbicumque obuios quoſlibet incitant, & quos ſuperarunt, accuratè retecitant. Id ſenſiſſe videtur S. Bernardus, qui in deſcriptione Principum Tartarei Pharaonis nominat *Genium Luxuriæ,* qui omni immūditiæ & turpitudini carnis præeſt, qui non eſt alius ab *Aſmodæo.* Poſterius ſi dicatur, erit quidem eius ditio reſtrictior, & pauciores ſub ſe habebit ſatellites: nihilominus

(a) *Theodo. Theophy. Cornel.* (b) *Theodoretus, Theophylact. Cornelius.*

hilominus quilibet *Rex luxuriæ* diu poteſt *Aſmodæus*. Vt enim Nero vel Phalaris rectè à nobis nominatur crudelitate infamis tyrannus, vbicumque degit: haud ſecus Dæmonnm quiſquis eſt, qui ſiue in Germaniâ, ſiue in Italia, ſiue alibi obſcænis præeſt voluptatibus, & cogit milites, atque ad laſciuiam per ſe, ſuoſque Cupidines, ac Genios malos prolectat, accommodatè nuncupatur *Aſmodæus*.

MEMBRVM III.

SPIRITVS FORNICATIONIS CVR DICTVS ASMODÆVS.

HEBRÆI Ductorem copiarũ Luxuriæ vocant *Aſmodai*. Cuius nominis variæ adferũtur cauſſæ à litteratis Theologis, inter quos nomen habet & laudẽ, ſi quis alius, Nicolaus Serarius idiomatis Hebræi peritiſſimus. *(a)* Is ita appellari exiſtimat, *Primò*, quod. Luxuria, cuius eſt procurator ac præſes ſit peccatum abundãs, ſeu peccati abundantia, hoc eſt, peccatũ nequiſſimũ: & ſane Latinis nequitia & luxuria, ſeu laſciuia, non niſi nomine diſtinguuntur. Hinc illud Poëta in laſciuium

Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem.

quare Dæmõ *Aſmodai*, idem eſt, quod *Nequiſſimus*, & ad nequitiam vehemẽtes ſolicitans: ab Hebræis ſcilicet vocabulis, *aſcham*, quod iniquitatẽ, & peccatũ, ac *dai*, quod abundãtiã ſignificat. *Secundò*, quod perditor ac vaſtator ſit truculentiſſimus, à *Schamad*, id eſt, perdere, & vaſtare, Pſalmo XXXVI. Deuteronomij II. IV. VI. VII. IX. *Tertiò*, vt ſit *Aſmodæus* quaſi *metiens ignem*, concupiſcentiæ ſcilicet, diligenter notando quam ea ſit impura, immoderata, inflammata. Siquidem, *eſch*, Hebræis eſt ignis: *modach*, metiri. *Quartò*, vt *Aſmodæus* ſit idem, quod *Ignis Media*, quoniam reſidebat is Dæmon in Media, & ibidẽ libidinis ignẽ ſtruebat, inflammabat, & circũquaque illius ſtricturas ſpargebat. Nã re uerà, vt monet Papa Gregorius: *(b) Libido, more ignis, ſuccenditur, & ſi negligenter extinguitur, adiacens ſtipula velociter inflammatur.*

OMNES iſtæ cauſſæ accõmodatæ ſunt, vt obſeruat & explicat vir doctiſsimus, ad deſcribendum legionis libidinoſorũ Dæmonum Ductorem. Qui optimè tamen, ſecundum nominis etymon, indigitatur VASTATVR; ob duo quædã ad peccati illius, & *Aſmodai* inſtigatoris deteſtationẽ facientia. PRIMVM eſt, quoniã Dæmon, per illud peccati genus, cuí præſidet maximam plurimamque hominibus vaſtitatem inferre ſolet. Vagatur enim longè lateque libido per omnes orbis terrarum prouincias, omnes omnium hominũ ordines, ætates, ſtatus: graſſatur æquè per vtrumque ſexum; vbiq; incendiũ excitat. Ipſius peſtis adeò eſt præſens & noxia, vt certiſsimam, niſi quam citiſsimè occurratur, integris familijs, immò ciuitatibus perniciciem adferat; vt conſtat ex Pentapoli, Sodomæis & Gomorrhæis; illius ad hominum & maxime adoleſcentum animos, deuaſtandos, adeò varij multiplicesque ſunt modi, adeò tecti & blandi, adeò ſuaues

ac

(a) Serar. Tobiæ 3.

(b) Pſal. 118.

ac iucundi carni & ſanguini, vt mortalium in ſeculo degentium pauciſſimi ſint, ſi tamen aliqui, qui contagionis interdum aliquid non attrahant. Eſt illa Ioannis Caſſiani prudens obſeruatio quam experientia comprobat, duo præſertim vitiorum genera, eſſe quodammodo homini cognata, &, vt ipſe loquitur, inuiſcerata, nimirum, *Superbiam & Libidinem*, quæ duabus reſpondent hominis partibus, Animo & Corpori. Et Superbia quidem animum occupat, & in ea ſedem figit: Libido in corpore potiſſimùm dominatur, & faciliùs, quàm illa merum exercet imperium, & tyrannide premit. Siquidem Superbia excellentiam aliquam ſiue veram, ſiue cogitatione fictam, aut imaginatione apprehenſam requirit, quæ nec omnibus, nec ſemper ſeſe offert. Libido autem carnem, quam omnes & ſemper vbique circumferunt, tantummodò poſtulat, vt graſſetur. SECVNDVM eſt iſtud, quod libidinum Præſes quos blandiſſimis initio voluptatum lenocinijs irretiuit, poſtea poteſtatis ſuæ factos, grauiſſimè cruciat: veriſſimus idcircò corporum & animarum *Vaſtator*. Notum eſt illud Apocalypſis XVIII. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quod vindicatrix Iuſtitia per Cacodæmonem voluptatis antea ſollicitatorem exequitur.

* * *

MEMBRVM IV.

SVB ASMODÆI SIGNIS PROPVDIA.

CERTE, non ſunt, niſi propudia. Sunt ſub eius ſignis Veneres omnes, earumque miniſtri ac inſtrumenta; miniſtri, lenones, productores, ganeones, Epicurei; inſtrumenta, verborum obſcænitates, carmina feſcennina, philtra, ſordidæ cogitationes, proſtibula, theatra, & quicquid flagitioſos incendere amores conſueuit. In eiuſdem caſtris morantur Dæmones ſuperius nominati ſpurcitiarum omnium in improbis auctores, his enim tanquam ſatellitibus obſequentiſſimus vtitur *Aſmodæus*. Quieſt ille ipſe Venereorum Præſul; quem ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, COMVM vocabant veteres, Genium nequiſſimum ac diſſolutiſſimum; comeſſationum nocturnarumque ſaltationum præfectum: in cuius militiâ auctorabantur iuuenes, qui coronati noctu cum facibus muſiciſque inſtrumentis ad amicarum fores ſaltandi canendique gratiâ concurrebant, procaciterque laſciuiebant, vt foras nonnunquam effringerent. *Aſmodæo* militabat ille, & Como obſequebatur nequam Spiritus, quem in S. Iuſtinam Virginem immittebat Cyprianus, tum magus, deinde Sanctus apud D. Gregorium, Nazianz. Orat. XVIII. Eiuſdem imperio ſubditus erat ille, quem ad Virginem expugnandam Gazenſis adoleſcens magicis artibus ſubtus domus limen defixerat. Qui à S. Hilarione interrogatus, cur in adoleſcentem ipſum ingreſſus non eſſet: vt quid, reſpondit intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris Dæmonem? Quod ſcribit S. Hieronymus in vita B. Hilarionis. Ille etiam, qui quendam ve-

luri amoris furorem & inſaniam pudiciſſimæ Virgini, vt in S. Baſilij vita legitur, excitauit. Ille quoque, apud Palladium, cap. xix. qui caſtam quandam coniugem vt adultero conciliaret, tantas intuentium oculis præſtigias effundebat, vt illa non fœmina, ſed equa videretur. Ille item, qui apud eundem Palladium, (a) Euagrio Caſtitatis cultori incredibiles in carne, vt ad carnales voluptates illiceret, creauit moleſtias.

Nec alius fuit, quàm *Aſmodæus*, aut eius fidus ſatelles, qui plurimis, importuniſſimiſque contra caſtitatem cogitationibus, turpiſſimiſquè imaginationibus, *Antonij* adoleſcentis mentem puriſſimam deturpare ac polluere, quamuis fruſtrà, ſtuduit: & deuictus fuit tam glorioſè, vt noua mutatus metamorphoſi, quis, qualis ue, & quàm imbecillis eſſet, ſpectandum ſederit, puer nigellus & horridus. Certamen deſcribit ac triumphum in Antonij vita Athanaſius, cum hac teterrimi duellatoris confeſſione. Dæmon ille ad Antonij ſe genua prouoluens, humana voce flebat, dicens: Multos ſeduxi, plurimos decepi, nunc autem, vt à ceteris Sanctis, ita & à tuo ſum labore ſuperatus. Quem cùm interrogaret *Antonius*, quis-nam eſſet, qui talia loqueretur, reſpondit: Ego ſum *Fornicationis* Amicus: ego multimoda aduerſus omnes adoleſcentes arma ſuſcepi. Hinc & *Spiritus fornicationis* vocor. Quantos pudicè viuere volentes fefelli? quot tenuiter incipientes ad ſordes priſtinas redire perſuaſi? Ego ſum propter quem Propheta lapſos increpans dicit: *Spiritu fornicationis ſeducti eſtis.* Et reuera illi per me fuerunt ſupplantati. Ego ſum, qui te ipſum ſæpe tentaui, & ſemper repulſus ſum. Hic idem vocatur à Militiæ Spiritualis Anteſignanis *Spiritus Carnis*, de quo S. Bernardus Sermone de vii. Spiritibus: *Quoties importunè, vt aſſolet, carnalis cogitatio mentem pulſat: verbi cauſſa, cùm de potu, de cibo, de ſomno, ceteriſquè ſimilibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes humano quodam inardeſcimus deſiderio, certum ſit nobis* Spiritum Carnis eſſe, *qui loquitur, & tanquam aduerſarium repellamus eum, dicentes*: Vade retro Satana: quoniam non ſapis ea quæ Dei ſunt, *ſed magis ſapientia ſua inimica eſt* Dei.

(a) *cap. Lxxxvii.*

Membrvm V.

FVGIENDVM SVBITO

ad conſpectum agminum, quæ ducit Aſmodæus.

Qvam primum prodit in campum ille in Tartareo Luciferi Exercitu Præfectus, qui multorum ductor eſt agminum, ſiue is vocetur *Aſmodæus*, ſiue *Spiritus fornicationis*, ſiue *Spiritus Carnis*, & iam è longè apparet acies, præcedentibus cogitationum moroſiſſimarum velociſſimis antecurſoribus, comitantibus formarum ſpecioſarum illecebroſis ſtipatoribus, & ſubſequentibus ſuauiſſimis titillationum pediſſequis, arripienda eſt *Fuga* Militibus Chriſtianis, ſi velint eſſe victo-

victores. Hunc pugnandi cum hoſte periculoſiſſime modum præſcribit Paulus Apoſtolus, & eſt maximè conformis diſciplinæ ſacræ Militiæ. Audite regulam Artis militaris, in qua exercitatiſſimus fuit Doctor Gentium, & quæ nullam patitur exceptionem: FVGITE FORNICATIONEM I. ad Corinth. VI. Per *Fornicationem* autem intelligit omnem *laſciuiam, luxuriam, turpitudinem*, quâ vel anima cogitatione, delectatione, conſenſu, vel corpus fœditate aliqua maculatur. Nam cum præmiſiſſet: *An neſcitis, quia iniqui*, id eſt, impij ac ſceleſti hom[illegible]*s regnum* DEI *non poſſidebunt? Neque fornicarij neque adulteri: neque molles, neque maſculorum concubitores regnum* DEI *poſſidebunt. Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis, quoniam, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna, qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt:* Subiungit FVGITE *fornicationem. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus-Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à* DEO, *& non eſtis veſtri: Empti enim eſtis precio magno: Glorificate & portate* DEVM *in corpore veſtro.* Attendite, quam ſeriò, quàm grauiter, ac ſeuerè poſt enumeratas ſpecies laſciuiæ cōcludit. O Milites Chriſtiani! ſic igitur apud vos ſtatuite, omni ſtudio atque conatu, ſcortationem, & quodcumque tandem libidinis peccatum vobis eſſe fugiendum: tum quia peccatum eſt, vt cetera; tum quia præ ceteris, proprio corpori ignominiam infert & contumeliam, illud turpiſſimè inquinando. Vnde S. Auguſtinus. (*a*) *Quod Libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus euidenter oſtendit, quia, cùm omnibus vitijs prædicauerit reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit:* Reſiſtite, *ſed, fugite fornicationem.* Sic & alibi in Diuinis Scripturis legimus: *Noli in faciem Virginis intendere, ne te ſcandalizet vultus eius,* Eccleſiaſtici IX. Et B. Ioſeph; *vt impudicam dominam poſſet euadere, pallium, quo apprehenſus fuerat, reliquit & fugit. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.* Et S. Ambroſius, ingenioſè exponens, quomodo inſequentem hoſtem, qui in nobis eſt, fugiamus, (*b*) *Tranſeamus*, inquiens, *& nos ignem libidinis, quem timens Paulus, ſed nobis timens, qui caſtigando corpus ſuum, fecerat vt iam non timeret ſibi, ſed dicit nobis.* Fugite fornicationem. *Fugiamus ergo, tanquam ſequentem; quæ non poſt nos, ſed in nobis ſequitur. Nosmet ipſos videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiſcum illam portemus. Volumus enim plerumque fugere, ſed ſi non penitus excutimus animo, tollimus eam magis, quàm relinquimus.* Omninò autem ex animo eſt euellenda omnis turpitudo. Emphaſim autem obſeruat S. Chryſoſtomus in imperatiuo, *Fugite.* Non dixit, ait, *abſtinete à fornicatione, ſed* Fugite, *hoc eſt, ſtudium ponite, vt à malo liberemini*: omni contentione adnitimini, omnes neruos intendite: vires omnes exerite, vt hoſtem veſtigia veſtra prementem euadatis. Et Theodoretus: *Non dicit*, odio habete, & auerſamini, *ſed* Fugite, *ſciens, quam ſit acre & vehemens hoc peccatum. Ei enim fugiendo repugnandum eſt.* Similia habent S. Anſelmus, alijque Patres, apud

(a) *Serm. D. xxv. poſt Trin. & Lib. de honeſt. mulie. c. 1.* (b) *Lib. de pænis. c. 14.*

quod eſt *Axioma militare:* Vitia quælibet pugnando, ſolam Libidinem fugiendo; vel, Libidinem ſolâ fugâ vinci.

QVID aſt autem *Fugere* libidinem, laſciuiam, luxuriem? clariſſimè, eſt illecebras, obiecta, occaſiones illius peccati, voluptatem omnem illud præcedere ſolitam, illius quodlibet abominari, & auertere oculos, aures, cogitatum, atque ad contraria ſenſus, mentemq́ue conuertere. Quod ni facias, & repugnare velis cogitationibus illecebroſis, magis commouebis imaginationem, per illamq́ue corpus, & flammam excitabis in concupiſcentiæ fomite, quam deinde nulla diligentia extinguere poteris. Vt experientia conſtat, & communi Patrum auctoritate ſtabilitur. Nullus autem ex antiquioribus rem hanc pertractat fuſius, & ad praxim accommodatius, quam Ioannes Caſſianus, qui tum Inſtitutionum ſexto, tum Collatione quinta, ſuadet tandem libidinem per carnem graſſantem, vigilantia & ſobrietate, victu cultuq́ue imprimis horrido, & aſpero, inediis, ieiuniis ac aliis corporis afflictationibus, denique ſolitudine, hoc eſt, vt ego interpretor, *fuga* ſuperandam eſſe: ſic impetus illius importunos repellendos: nec in alio decertandi modo ſpem eſſe victoriæ. Cauſſa autem, cur vitium libidinis *fuga* magis, quàm congreſſu & pugna expugnetur, quamuis ſatis ſit declarata; addi tamen hoc poteſt, quod primam radicem retegit, quoniam libido, ſiue laſciuia, aut magis vniuerſè, Voluptas carnis, cum naturali affectione noſtra maximam habet coniunctionem, atque ita iucunda quadam neceſſitate voluntatem trahit ad peccatum. Vnuſquiſque enim, vt loquitur B. Iacobus Apoſtolus, *in Epiſt. cap. I. tentatur à concupiſcentia ſua, illectus & abſtractus.* Hinc eſt, quod Caſſianus *Collatione* IV. *Cap.* 7. vocet hanc cum Aſmodæo pugnam *Inuiſceratam.* Et S. Hieronymus epiſtola X. ad Furiam idem conſiderans, libidinem inſitam nobis à DEO quodam ſenſu aſſeuerat.

Omnia alia peccata, inquit, *extrinſecus ſunt: &, quod foris eſt, facile abiicitur. Sola libido inſita à* DEO, *ob liberorum procreationem, fines ſuos egreditur: redundat in vitium, & quadam lege natura in ſcelus erumpit. Ac proinde grandis virtutis eſt, & ſollicita diligentia, ſuperare, quod natus es: in carne non carnaliter viuere: tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem, Argi, vt fabula ferunt, centum oculis obſeruare. Hoc eſt, quod Apoſtolus verbis aliis loquebatur: Omne peccatum, quod fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat,* I. Corinth. VI.

DENIQVE libido magis, quàm cetera vitia ſuperatur *Fugâ*, quoniam in eo peccati genere magis, quàm in quolibet alio viget delectatio moroſa. Neque enim ſolùm actio externa ab interno deſiderio in peccato luxuriæ diſtinguitur: de quo illud Chriſti Matthæi V. intellige: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo:* verùm etiam ipſa delectatio, quâ oblectatur animus de cogitatione turpi. Hæc enim ipſa ſæpe eſt mortalis, tametſi factum repudietur. Itaque, ipſum ſubſiſtere, hoſtem cõtemplari, illi oculis internis inhærere, eſt vinci. Siquidem, vt docet S. Auguſtinus, (a) quod magno conſenſu approbant DD. Scholaſtici: *Totus homo damna-*

(a) *Lib. XII. de Trin. c. IX.*

damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. Vnde eſt illud S. Hieronymi (a): *Perit & mente Virginitas.* Quare laudat Caſſianus (b) *diſtrictam*, vt ipſe vocat, Sententiam S. Baſilij. *Et mulierem ignoro, & virgo non ſum.*

(a) *Epiſt. ad Fauſt.* (b) *lib. vi. Inſt. Cap. 19.*

MEMBRVM VI.

FVGA IOSEPHI PATRIARCHÆ.

PVGNANDI eum modum per FVGAM ſequutus generoſiſſimus adoleſcens Ioſeph Iacobi Patriarchæ filius, cum eſſet XXVII. annorum, & ad flagitium ſolicitaretur ab hera, illaque apprehendiſſet *laciniam veſtimenti eius*, vt dicitur Geneſis XXXIX. id eſt, oram, ſeu extremitatem pallij; Ioſeph, *relicto in manu eius pallio, fugit, & egreſſus eſt foras.* Potuiſſet ſanè Ioſeph vt notant ſacri Interpretes, quippe, iuuenis in florenti ætate robuſtus, fæminæ pallium ſuum per vim extorquere, ſed noluit, tum ex reuerentia, ne vim heræ ſuæ inferre videretur, aut dici poſſet intuliſſe: tum, quoniam ſciebat, præſentiſſimum remedium contra tentationes libidinis eſſe non colluctationem vllam, ſed celerrimam relictis omnibus *fugam*: tum, ne mulierem, vel tangeret, vel ab illâ tangeretur. Quoniam vel ipſe mulieris tactus, quaſi contagioſus, & venenatus eſt iuueni fugiendus, non minus, quam rabidiſſimi canis morſus, iudicio D. Hieronymi (a). In hac Ioſephi FVGA militari conſiderat Rupertus Abbas aliquot illius virtutes planè heroicas, adoleſcenti caſto vehementer commendandas. *Prima* eſt, Temperantia quædam eximia, quia iuuenis florentiſſimus, pulcher, ac validus, & à domina ſua ampla pollicente amatus, ac ſecretò rogatus, non redamauit, ſed amantem repulit, & conſtantiſſimè in caſtitatis propoſito ſtetit. *Secunda*, Iuſtitia, ac fidelitas, quoniam hero iniuriam inferre non voluit, nec eius thorum in tanta occaſione violare. *Tertia*, Prudentia, quia apprehenſus aufugit. *Quarta*, Fortitudo, quoniam furias inſanientis amaſiæ, carceres, mortemque ipſam non timuit, & præ ſua caſtitate contempſit. *Quinta*, Conſtantia, quia quotidie ab impudentiſſima hera interpellatus, quaſi adamas reſtitit, & immobilis ſtetit. Quamobrem S. Chryſoſtomus ſcribit, magis ſe mirari facinus heroicum Ioſephi, quàm quod tres Pueri in fornace Babylonica illæſi permanſerint. Et ſanè *Ioſeph* non minus, quàm illi in media flamma nō fuit combuſtus, ſed purior, integrior, robuſtior, & clarior effulſit. Vt meritò acclamari poſſit Ioſepho, quod quidam è ſacro Prædicatorū Ordine caſtiſſimus religioſus ſibi in grauiſſimis tentationibus victori ſibi acclamari audiuit ab ipſis Aſmodæi ſatellitibus: *Viciſti, viciſti: quia in igne fuiſti, & non arſiſti.*

ELEGANS eſt de hac Ioſephi *Fuga* Elo-

(a) *lib. 1. contra Iouin.*

gium, quod contexuit facundiſſimus Antiſtes Mediolanenſis Ambroſius, qui ita diſſerit (a) *Magnus vir* IOSEPH. *qui venditus, ſeruile tamen neſciuit ingenium: adamatus, non redamauit: rogatus non adquieuit: apprehenſus* AVFVGIT. *Qui cùm ab vxore domini ſui conueniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit. Ac ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt. Contagium enim indicauit, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſiret. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit. Ille dominus fuit, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non ſenſit: quem nulla mortis formido deterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm crimino ſa potentiæ eligere conſortium.* Ad Ioſephi quoque exemplum prouocat S. Gregorius, (b) monens vt carnis illecebras conemur vincere: in quo, vt viri ſimus, IOSEPH *ad memoriam redeat, qui tentante ſe domina, ſtuduit carnis continentiam, etiam cum vitæ periculo cuſtodire. Vnde factum eſt, vt quoniam membra ſua benè nouerat regere, regenda quoque omni Ægypto præeſſet.*

GENEROSA fuit hæc IOSEPHI contra Aſmodæum dimicantis *Fuga*, ſimulque artificioſa, qui veſtem reliquit, ne in hoſtis manus veniret. Diſputatum fuit nuper, quis ſecundum artem militarem ingenioſiſſimè fugiſſet? Cuius dijudicatio ex multorum exemplis quorum *fuga* varia laudem habuit, deſumenda eſt. Ego palmam Ioſepho deferendam iudico. Vos comparationem inſtituire cum epiphonemate. Vt commodè fugeret *Tryphon*, aurum ſparſit, quo ſic milites inſequentes moraretur. *Demetrius Phalereus* in viâ anguſtâ, cùm hoſtes tergum exercitus inuaderent, omnes currus oppoſuit & incendit, hoſtes ſic moratus, donec euaderet. *Mithridates* fugiens cuiuſdam vrbis ſupellectilem in publico poſuit, quæ perſequentes tardauit adeò, vt nollent ducibus incitantibus ad perſequendum parere. *Crœſus* flammâ Cyrum à perſequendo retardauit. *Iphicrates* à tergo foſſam fecit, ne perſequentes inſtarent. *Galli* currus ſerico, alijſq; oneratos mercibus reliquerunt, vt Cæſarianis de prædâ contendentibus, euaderent, & ijs cladem inferrent, quod fecerunt. *Antigonus* olim ſic Gallos quoque decepit: valdè enim fraudibus & cladibus obnoxia eſt auaritia. *Fromo* Danorum Rex victus ab Anglis, ſparsâ pecunia victorem remoratus eſt. Sed quicquid fuit artificiorum, quicquid ingenio inuentum in omnibus ijs *fuga* ſe eripientibus, cernitur exaggeratâ quadam ratione excellentius in fuga Ioſephi, qui cùm nihil haberet ad manũ aliud veſtem abiecit, ſicque hoſtem euaſit, & perſequenti illuſit.

* * *

(a) *lib. de Ioſeph. cap. 5.* (b) *Hom. xv. in Ezech.*

MEMBRVM VII.

FVGIENDA MORTE LVXVRIA.

QVID ſi pedibus fugere *Aſmodeum* eiuſque ſatellites non liceat? Quoniam tam eſt neceſſarium *fugere Fornicationem*, vt ſine *fugâ* hoſtis ſuperari nequeat, reſpon-

reſpondet grauiſſimus Doctor Ambroſius: *Fugiendam morte fornicationem, per quam filij* DEI *fiunt filij Diaboli.* Id fecit apud Ethnicos caſtitatis amore, quis credat? adoleſcentulus, immò, puer, omni dignus commendatione DEMOCLES, qui in balneo, vt ſtuprum Regis Demetrij euaderet in aquam feruentiſſimam inſilijt;

Ne ſe pollueret, maluit ille mori.

SED multò artificioſius id fecit apud Chriſtianos nominatiſſima Martyr EVPHRASIA. quæ ad proſtibulum damnata, quod Idolis ſacrificare nollet cùm ab improbo iuuene inuaderetur inuita, hac eum arte eludens, & pudori ſuo conſuluit, & martyrium eſt adſequuta. (a) Si, inquiebat, mihi parcas, docebo te pharmacum, quo perunctus, in prælijs nullo telo, vel ferro lædi poteris. Ille promiſit, ſi illius rei fidem faceret. Tum illa, in me cape experimentum; atque cera oleo commiſta inungens collum, illudque extendens, feri, aiebat, quàm potes validiſſimè, non dolebit. Fecit iuuenis ad quod inuitabatur, & vno caput ictu illi reſecuit. En artificioſiſſimam per mortem fugam, in qua calliditatem minimè improbam, conſtantiamque inuictam æquè admireris. Non enim erat Euphraſiæ tunc aliud remedium conſeruandæ caſtitatis, niſi glorioſa mors per piam fraudem quæſita. Ad illam autem coëgit Virginem iuuenis procax eius inhians pudori, quem vt illibatum ſeruaret, mori elegit. Quapropter caſtè, ac ſecundum prudentiam altiſſimam, &c, vt planè mihi perſuadeo, impulſu DEI, decepit inſidiatorem. Qui proinde necis illius auctor cēſeri debet, tum phyſicè, tum moraliter. Quibus nixi fundamentis Theologi, EVPHRASIAM Martyrem eſſe pronunciant, nō homicidam. Ego *Martyrem Caſtitatis* appello, quæ *fuga* militari contra *Aſmodæum*, palmam coronamque fuit adepta.

(a) *Plutar. in Vitâ Demetrij*

MEMBRVM VIII.

RESISTENDO SVPERATVS ASMODÆVS.

SI cui cautum nō eſt animi, quantum fuit heroinæ EVPHRASIÆ, quandò in periculo verſatur Caſtitas virginalis, ſuadeo, vt alio modo mortē fugiat fornicationem. Si irriteris ad flagitium, reſiſte, lingua, manu, calce, pugno, vnguibus. Si hæc non ſufficiant, ſtringe ferrum ſi habes ad manum, repelle inuaſorem, â te amoue nefarium inſidiatorem: non ceſſat, vibra gladiolum, cum moderamine inculpatæ tutelæ: theſaurum pretioſiorem auro gemmiſque defende: punge, perfora, ſeca, ſi alio pacto è manibus ſtupratoris te eripere non potes: trucida, ſi extrema ſit neceſſitas, ne trucideris. Licet. Vis vi omni iure repellitur. Hoc ſibi perſuaſum habuit adoleſcentulus vt caſtiſſimus ſic fortiſſimus PELAGIVS Hiſpanus, cuius factum generoſum narrant Hiſpani Scriptores complures, ſed optimè antiquiſſimus, qui tunc vixit, eademque in loco verſatus interfuit *Ragbuel*, ex quo, ceteriſque fide dignis

mititati Euangelicæ maximè congruum eſt, in hac re, non ouiculam agere, ſed pantheram. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, aiebat Euangelicæ mititatis conditor. Matthæi x.

* * *

Membrvm IX.

FVGIENDVS ET FVGANDVS ASMODÆVS.

Eſt hoc nouum Stratagema in *Militia Sacra*, *Fugere* hoſtem inſequentem ſimulque *Fugare*, quod ignotum eſt in profana, in qua multos cautè, callidè, artificioſè fugiſſe reperio, & à pugna ſe ſubduxiſſe: neminem fugiendo, hoſtem, æquè, ac ſi cum illo præliaretur, fugaſſe. Nam, quod Numidæ fugaces ita vincere dicantur, falſum eſt. Hi ſiquidem in bellicis conflictibus cedunt quidem, & fugam mentiuntur, mox autem, vbi opportuna fert occaſio, in hoſtem ſe conuertunt, rurſusque maiore impetu, quàm prius, inuadunt. *Miles Chriſtianus* Aſmodæum eiusque copias fugiens, nec à *fuga* conuerſus, *fugat* nihilominus. Dignum fuit hoc ſtratagema ingenio virtuteque Thomæ Aqvinatis, iuuenis omnibus naturæ ac gratiæ donis excultiſſimus. Hunc cum ex *Fuga*, quam ne Religionem deſereret, inierat fratres *Milites Profani* retraxiſſent, ac cuſtodiendum ſatellitibus apud carcerariũ tradidiſſent, voluerunt, vt cum *Aſmodæo* manus confereret. Erat muliercula venuſta ſpecie, quæ haud ita pridem nupta omni ſe nefanda libidine contaminaret. Hanc vt caſtiſſimum adoleſcentem aggrediatur, inuitant. Illa lucri cupiditate illecta ingreditur, *Thomamque* laſciuia verborum & omni alio illecebrarum genere ad rem nefariam ſollicitat. At *Thomas* animaduertens impuris illius lenocinijs ſe non nihil commoueri, inuocato nomine Iesv & Virginis Mariae, titione, quem è foco ſubduxit, impudentem procacemque fœminã à ſe abegit, *fugauitque*. Clauſo deinde oſtio, *Titione* eodem Crvcis figuram in pariete depinxit, proſtratusque in terram multis cum lacrymis Dominum, vt ſibi perpetuæ continentiæ & integritatis donum largiri dignaretur deprecatus eſt. Vix autem leni correptus ſomno erat, cum duo eximio ſplendore fulgentes Angeli adeſſe viſi ſunt, qui cingulo renes eius ſtringentes omnem impuræ libidinis motum abſtulerunt. Facerem idem, dicis, ſi mihi in ſimili conflictu ad manus eſſet titio. Non opus *Titione*, mi Adoleſcens, ad fugandam meretriculam, vel hac nocentiorem in eodem ſexu laſciuum hircum. Dabo aliud inſtrumentum, cuius eſt facillima paratura. Sed vt vſus quoque edoceatur, accipite breuiter, quomodo fugiendo fugauerit Aſmodæi agmina, Edmvndvs inter adoleſcentes caſtos celeberrimus, in matura ætate *Archiepiſcopus Cantuarienſis*.

Hic floridus Adoleſcens, vt virginitatis integritatem; (cuius à puero fuerat, manſitque ſemper ſtudioſiſſimus) illibatam conſeruaret, Deo caſtitatis votum, rationis compos factus, nuncuparat. Non tulit hoc *Aſmodæus*. Itaque cùm litteris operam daret ſcholaris puellam, hoſpitis, apud quem morabitur, filiam amo-

amore impudico inflammat. Illa Adoleſcentem, oculo, nutu ſignisque alijs ad turpia prouocat, & cùm nihil proficeret, apertis verbis ad nefarios ſolicitat amplexus. Horret ille ſcelus, ac velut peſtem fugiens, verbis petulantiam acrioribus inſectatur. Sed cùm improba neque tunc abſiſteret, paullulum ille ſecum deliberans, qua-nam poſſet eam viâ ad ſanam mentem perducere, ad horam condictam adeſſe iubet. Sperans meretricula ſe voti compotem fore, adeſt. Tum *Edmundus* monet vt veſtem ſuperiorem ponat. Nec mora apprehenſam lacertoſus iuuenis virgis acerrimè cædit, ac ſtultitiam, quæ erat alligata in corde eius, virga diſciplinæ fugat. Et ſanè, tantum virgarum ictus valuerunt, vt nunquam amplius eiuſmodi tentatione pulſata ſit: quod ipſa deinde eſt faſſa. Si virgam attingere non placet puerorum terriculamentum, habetote ad idem officium ſcuticam, quæ equitum alicubi eſt propria è neruis bouinis, quibus in extremitate annexæ ſint ſtellulæ deargentatæ, ne terreant, antequam ſentiantur. Tunc, ſi irritemini, ad numerum pulſate irritantem ſeriò, ac viriliter, autum ſpondere, quod ſecundò non aduenict. Sed tunc fortaſſe aliud ordietur ſtratagema *Aſmodæus*, quod tentauit cum *Edmundo*, quem quia tam aperta mali ſpecie euertere non potuit, per matronam quandam, ſatis, vt videbatur, honeſtam, ſubtilius aggreditur. Ea enim officij prætextu, quædam illi munuſcula obtulit, vt ijs animum emolliret, & ad aſſentiendum cupiditati ſuæ, alliceret. Quod cùm animaduerteret ad caſtitatem ſuam attentus ſemper *Edmundus*, quæſiuit, num marito conſcio & aduuente, his ſe donarijs tam liberaliter afficeret? Reſpondit illa: nil metuas, optime Adoleſcens: inter nos agitur: nihil horum nouit vir meus: nec ſcire velim ipſum, me tibi tam eſſe officioſam. Tum ille, vt fugeret irritamenta voluptatis, ac tentatricem fugaret, ego, ait, inſcio marito, ab eius coniuge nihil accipio. Apage, nullam magis fugio, quam mulierem illecebroſam, & dona ferentem. At quid ſi improuiſò, & inopinatè me aggrediatur quiſpiam? quid ſi in platea, vel campo. Deſunt-ne ijs in locis ſaxa & lapides? ſi ſolus repellere nequis importunũ ſolicitatorem, vel ſolicitatricẽ, aduoca ſocios: hic lapidatio non feneſtrarum, quæ à quibuſdam clam noctu committitur, ſed ſatellitum Aſmodæi, palã, & meró die eſt licita. Exemplo præiuit caſtiſſimus adoleſcentulus BERNARDINVS, de quo hæc narrantur, Cùm ſceleratus quidam verbis ac nutibus inhoneſtis ſuum indicaſſet impurum ac nefarium animi deſiderium, idque non ſemel, ſed ſæpius, *Bernardinus* rogat quoſdam ſuæ ætatis honeſtos adoleſcentes, ſibi vt in hac re veniãt ſubſidio, quo à ſcelerati illius hominis vexatione ſe excutiat. Iunctis capitibus monet vt lapides colligant. Tum inueſtigant hominem, quem cum inueniſſent, loco parum opportuno, Bernardinus iuſſit dare operam, vt poſſet aliò pertrahi. Vt autem ſalaciſſimus nebulo vidit Bernardinum nefanda rurſus cupiditate commotus, numos ei aureos oſtendit vt animum illius integerrimum pelliceret. Hic exclamat *Bernardinus*: inique, ſceleſte, flammis exurende: ad eum, ad eum, ad eum commilitones, ſimulque in hominem ruit.

Ad

Adſunt Sodales,clamoribus & lapidibus ſuccurrunt, ſceleſtum caput impetunt. Ille ſaxorum imbrem metuens,cùm iam pluere inciperent, in pedes ſe coniecit; fugientem lapidibus inſequuti ſunt paruuli. Ita *Aſmodæum* fugit *Bernardinus* occaſionibus ſe ſubducendo, fugauitque impetēdo eius ſatellitem. Quo ſtratagemate tantam apud omnes pudicitiæ inuiolatæ ſibi exiſtimationem conciliauit, vt non ſolùm nihil coram ipſo ex domeſticis quiſquam auderet impudicè loqui, ſed omnes alij etiam ad morum verborumque honeſtatem eius exemplo prouocarentur.

VERVM non ſemper lapidum aceruus eſt in promptu. Suggero itaque inſtrumentum, quo nunquam deſtitueris: eſt enim naturale, ſemper præſens. Vſum diſce ab eodem *Bernardino*. Cùm neſcio quis penè puero: nam nondum tertium decimum annum exceſſerat, turpe aliquod verbum ingeſſiſſet, ſentiens caſtitatis Amator eximius quorſum ille tenderet, manu ad ſonantem alapam infligendam conformatâ, colaphum dedit tam ſonorum, vt procul auribus percipi potuerit: ille coram aſtantibus pudefactus tacitè ex eius ſe conſpectu ſubduxit. Multis verò poſt annis, eodem loco concionem habente Bernardino, viſus eſt ille ipſe ita corde compungi, & lacrymas fundere, ac ſi acri percuſſus eſſet flagello. Nec deſunt exempla poſteriorum temporum, & æui quoque noſtri, quæ in nonnullis æquè magnam admirationem habent, in alijs autem faciliorem imitationem.

ANNO M.D.LXXXVI. Neapoli adoleſcens in re lauta, & ampla ſatis familia, abiectis inanium curis, totum ſe ad ſeria conuerterat. Inde ſuſpicio familiaribus incidit, eum neſcio cuius vitæ conſilium animo verſare. Hoc vt eximerent, mentem eius ad alia auocare ſtuduerunt, peſſimo conſilio, peſſimo exemplo, peſſimo incepto. Non fœminam forma bona, ſed quæ parum honeſtè pudicitiam habuerat, eo immiſerunt, vbi meridiari ſolebat, magnis oneratam promiſſis, ſi voluptatis illecebra animum adoleſcentis infringeret. Verùm mens ſanctis cogitationibus imbuta lenocinijs imperuia eſt. Os enim illud impudens, perfrictámque frōtem, ea verborum vi, atque acri oratione verberauit, vt inſueto pudore ſuffuſa receſſerit. *Aſmodæo* in carnis tentationibus concitandis egregiam operam locant ſæpe peſtilentes ſocij, qui ſunt in eius exercitu, & cùm ipſi vndequaque pudicitiam omnem profligarint, aliorum quoque famam atque pudorem atterere nituntur. Quomodo hi ſuperandi? diſcite exemplo noſtri temporis.

ANNO M.D.XCII. *Adoleſcens Peruſinus*, Sodalis B.M.V. Peruſij die Dominico, qui proximè cineralia præit, cùm ſe ſtudiorum cauſſâ domi contineret, cubiculi oſtium digiti crepitu pulſati audit, ſurgit, aperit: impudentem mulierculam eo à duobus contubernalibus perductam aſpicit, & haud ſequus, quàm ſi viperam vidiſſet pedem refert, *fuga* ſalutari, peſſulo ianua firmata. Per ſtare illa, crebroque pulſu ſolicitare aditum. Pudicus adoleſcens cum ſe oppugnari ſentiret ad B.M.V. confugit, preces litaneuticas de illius titulis ingeminat; alia vota magno animi feruore pronunciat. Interim petulans fœmina per vim molita ianuam, irrumpit.

Quid faceret? vim vi propulſat, calcibus, pugnis, verberibus primum impetum frangit; tum ingenti animo in obſiſtentes illatus, eos deijcit, elabitur, ſpoliaque opima FVGIENS reportat ſeruatæ Caſtitatis. Recentius eſt, & huius ſeculi.

ANNO M. DC. XII. *Sodalis Parthenius Pultouienſis*, laſciuius ab impura muliercula appellatus, FVGA ſe in conclaue interius coniecit. Quocùm inſequuta cum fuiſſet ſcelesta, aliudque prætereà effugium non pateret, ni laberetur, ex alta ſe feneſtra non ſine diſcrimine eiecit. Sed incolumis ad terram, quaſi per funem delapſus eſt. Non enim ſolus timor alas addit, ſed etiam caſtitas, quæ cùm ſublimem mentem euehat, corpori quoque pondus detrahit, & cæleſte facit. Itaque Adoleſcentes Academici, ſi glorioſam vultis reportare de hoſte domeſtico victoriam, ſi importuniſſimum ſuperare duellatorem, ſi luxuriæ Præſidem ſternere, ſi Cupidinem pede calcare, ſi Comum in poteſtatem redigere, ſi Venerem ſub iugum mittere, ſi de Aſmodæo generis humani vaſtatore triumphum agere, nolite voluptatis impuræ titillationibus importuna contentione conatuque reluctari, ſed omnes eius illecebras, quàm citiſſimè, diligentiſſimèque euitate. Hoc eſt, quod Doctor Gentium, & Ductor Militum Chriſtianorum breuiſſimè, ſed neruoſiſſimè dixit, edixitque baſilicè:

Fugite Fornicationem.

COMMENTATIO II.

FVGA PECCATI

Quaſi à facie Colubri fuge Peccata. Eccl. XXI. 2.

MEMBRVM I.

PECCATVM, SERPENS, ANGVIS, COLVBER.

SAPIENS filius Sirach, Auctor libri Eccleſiaſtici, capite XXI. aurei illius Opuſculi, docet omni armorum genere agendum eſſe contra *Peccata*, tanquam hoſtes infenſiſſimos, ſed omnibus inſtrumentis offenſiuis defenſiuiſque præfert FVGAM, quaſi hæc ſit expeditiſſima vincendi quantumlibet numeroſum Peccatorum exercitum, & ex eo quodlibet ſingulare. *Fili, inquit, peccaſti? non adijcias iterum.* Pugnaſti cum peccato, ſuperatus eſt: noli iterũ talem inire pugnã in qua vincaris. Vnde legit Tigurina: *Si peccaſti fili, ne pergas peccare*, id eſt, ne iterũ pecces. At, ſi oppugner ab hoſte validiſſimo quomodo repugnabo? Reſpondet, *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Tigurina vertit. *Tanquam à conſpectu ſerpentis fuge peccatum.* Alij: *tanquam ſerpentem fuge peccatum.* Quam primum in conſpectum venerit Peccatum, *fugam* arripe. Quando faciem micare animaduerteris, moram omnem

omnem abrumpe: non expectes donec totum corpus irruerit, Per *faciem Colubri* intellige partem illam, quæ extollitur & eminet, ideoque prima occurrit, quæ eſt caput, in quo veneni eſt officina, ac præcipuum receptaculum. Quamuis enim paſſim dicatur, quod Phyſici etiam aſſerunt, venenum ſerpentum eſſe in cauda: non negant tamen illud diffundi, & ad caput penetrare, vbi eſt pyxidula toxici.

At quæ ſpecies ſerpentis denotatur nomine Colubri? Philologi ſerpentem abſolutè vocant anguem veneniferum, qui in terra ſerpit, Anguem & Hydrum, qui in aqua, Draconem, qui in templo, Colubrum, qui vmbras nemorum incolit, ſed ſæpe confunduntur hæc nomina. Viri eruditi (*a*) eſt illa opinio, Sapientem Siracidem per Colubrum deſignaſſe Aſpidem. Quod apud profanos etiam eſt vſitatum. Sic Poëta de Cleopatra loquens quæ morſu aſpidis interiit, colubrum nominat: (*b*)

Brachia ſpectans ſacris admorſa colubris.

In illius autem animantis capite, ceu in peſtilitatis promptuario, veneni malignitas maximè dominatur. Quod alio loco diuinarum Scripturarum confirmari poteſt. Nam vbi Latinus Interpres legit illud Moſis carmen execratorium: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*: Chaldæus habet: *Caput aſpidum crudelium.* (*c*) Quare cùm de aſpide eſt ſermo, venenum & caput rectè iunguntur, aut vnum per alterum ſignificetur vt contentum per continens, & è conuerſo. Hortatur ergo Eccleſiaſticus Militem quemuis ſpiritualem: *Quaſi à facie Colubri*, hoc eſt, velut ab hiante capite, & venena ſpargente aſpidis *fuge peccata.* Quis non fugiat illum exercitum, in quo ſinguli milites in morem aſpidis, dentem nudant, linguam triſulcam vibrant, noxium virus, & mortem flatu certo certius immittunt? Itaque meritò omnibus in *Militiâ Chriſtiana* nomen profeſſis datur documentum illud militare: *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.*

(a) *Ludouic. Creſſollius in Myſtagogo l. b.3. cap. 39* (b) *Proſper. lib.3* (c) *Deuter. xxxii, 33.*

MEMBRVM II.

PECCATVM, HYDRA, BASILISCVS, DIABOLVS.

PER *Colubrum* plerique Interpretes, magis vniuersè quemlibet Serpentem intelligunt: nam cum quolibet *Peccatum* rectè comparatur: etiam cum *Hydro* ſeptem capitum, quot ſunt peccata capitalia: cum *Baſiliſco* quoque, nam ſolo viſu, quos aſpicit, necat. An non etiam cum *Serpente*, per quem Diabolus Euam decepit? Certè, Rabanus malignitatem peccati conſiderans, non ſolùm cum eo ſerpente, verum & cum Diabolo ipſo confert: præferre fortaſſe poterat. (*a*) A *facie Colubri*, inquit, id eſt, Diaboli. *Coluber enim ille antiquus, qui ſemper colit vmbras peccatorum, & regnat in filijs tenebrarum interitum noſtrum ſine ceſſatione deſiderat, ideoque nobis ſuggerit opera facinoroſa.* Et ſanè, *Peccatum* eſt Diabolo nocentius, ideoque magis

(a) *Diabolus Coluber.*

gis fugiendum. Serpenti verò ſimilem eum facit D. Chryſoſtomus (a) *Primò*, quia deorſum ad terram, & terrena hominem trahere ſatagit. *Secundò*, quoniam, vt ſerpens in ſpinis, ſic Dæmon in diuitijs latitat, & ſe occultat: qui ſi ſpinas incideris, illico aufugiet. *Tertiò*. Sicut ſerpens incantatur carmine; haud ſecus Diabolus exorcizatur ac fugatur per inuocationem nominis Chriſti, & CRVCIS potentiam.

AT quare *Fugienda peccata*? Addit cauſſam Eccleſiaſticus *Si acceſſeris ad illa, ſuſcipient te*: ſenſus eſt, reſpiciendo ad *Colubrum*, ore hianti & auido crudeliquè ac cipient te: mordebunt: animæ vitam ac ſanguinem haurient. Vel intuitu cuiuslibet ſerpentis, *Peccata* ſuſcipient te, velut ſerpentes, ſuis ſpiris, vt te mordeant, & virus ſuum inſtillando, animam perimant. Addit Sapiens, vt malignitatem & ferocium Peccati magis exprimat: *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.* Non ſolùm eſt, inſtar *Colubri, Peccatum*, ob virulentiam, & clandeſtinum morſum letiferum: ſed etiam Leonis, ob ſæuitiam, ferociamque, quâ crudeliter animam laniat, niſi *Fugâ* te eripias, tandemque occidit adimendo vitam gratiæ, & in gehennam pertrahendo. Expreſſit id verſibus S. Paulinus laudans S. Felicem.

Vt faciem Colubri Salomon Peccata *timeri,*
Horrerique monet, dicens, armata leonis
Dentibus Et vere. quoniam velut ore ferino
Saua vorant animam, quā viceris agra voluptas.

(a) *Hom. VIII. in Ep. ad Roman.*

MEMBRVM III.

PECCATVM, RHOMPHÆA, GLADIVS BICEPS, ASPIS.

ALIAM comparationem ſubdit Eccleſiaſticus, ſimilem dicens eſſe *Peccatum Rhomphaæ*, ſiue *Gladio* vtrimque ſcindenti: *Quaſi Rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas.* Peccatum omne eſt inſtar gladij bicipitis, vtrimque acuti, ſeu duas habentis acies velut ora, quibus peccatorem ſecet, mordeat, deuoret, quibus oſſa, id eſt, animæ intima diſſecet ipſamquè animam trucidet. Quis talem hoſtem non fugiat? Si conſultum tibi vis in hac & in altera vita: *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Quæ ſententia ſuadet etiam *Fugam* militarem *Occaſionum* de quâ ſuperius actum. Qui à periculo vult eſſe procul, non tantum ſerpentem & colubrum fugit, ſed, etiam *faciem colubri* id eſt, Occaſionem peccati. Qui enim ad occaſionē & illecebram peccati accedit, ab ea ſuſcipitur, implicatur, dementatur, occiditur.

NEC illud omittendum, quod obſeruat Ludouicus Creſſollius in Myſtagogo *Aſpidem* non tantum morſu atque dente nocere conſueſſe, verùm etiam afflatu, & teterrimi humoris iniectione. Vnde certæ aſpides nominatæ ſunt *ptyades*, quaſi dicas, *ſputantes*, quod venenum in oculos hominum expuant, è quo cæcitas miſerrima oriatur. Certè illas ſputo ſuo excæcare lumina occurrentium, Porphyrius eſt auctor. Hinc etiam ſomnus infelix conſequitur, veternumquè deteſtandum cum ferreo ſopore coniunctum: quare

Luca-

Lucanus (a) Aſpidem appellat *ſomniferam:*

Aſpida ſomniferam tumida ceruice leuauit.
alius *ſomniculoſam.*

Sed hæc duo, *Somnum* & *Cæcitatem* non vlla magis in corporibus *Aſpis*, quàm *Peccatum* in animis facit. Cuius venenum dum in hominem incidit, vt teterrimæ belluæ ſputum, quamprimum reddit illum veternoſum, atque oculis ſapientiæ prudentiæqúe priuat. Vulgata denique eſt parœmia *Morſus aſpidis*, de immedicabili vulnere, atque odioſo malo dicitur, cui vix vlla medicina fieri poſſit, quod inter quatruor horas hominem exanimet. Quam ob cauſſam Nicander, Aſpidem σχετισσαν, *crudelem*, & ἰοχέαιραν, *veneno gaudentem* vocat. Accedit & illud in morſu *Aſpidis*, quod ſint adeò tenuia eius veſtigia in corpore, vt vix appareant, tam ſubtilis tamqúe potens eſt veneni vis ad facile penetrandum, ſeqúe inſinuandum in interiora. Quod excellenti quadam ratione Peccati vim naturamqúe declarat. Sæpe enim nec opinantibus nobis, & nihil minus ſentientibus ſubit cor ipſum, vitæ arcem, & tenui morſu magnum inuehit malum ac deplorandum.

(a) *Libro ix.*

Itaque meritò omnibus in Militiâ Chriſtianâ nomen profeſſis datur, & inculcatur identidem iſtud Documentum Militare

Quaſi à facie Colubri fuge Peccatum.

S.
D. I.
H. E. G.

INDEX

INDEX

LIBRORVM. COMMENTATIONVM.

Membrorum. Articulorum. Paragraphorum. Rerum memorabilium. & Verborum.

DE ECCLESIA MILITANTE. ET MILITIA CHRISTIANA.

Partis Tertiæ Numerus indicat paginas.

LIBER I.

MILITIA CHRISTIANA EQVESTRIS.

I. COMMENTATIO. Chriſtus Imperator Eques. 1.

Ecce Equus albus: & qui ſedebat ſuper illum habebat Arcum: & data eſt ei Corona: & exiuit vincens, vt vinceret. Apocalyp. vi. 2. 1.

MEMBRA. 1. Milites Chriſtiani eſſe poſſunt, ſi velint, Equites Velleris Mariani, & Agni immaculati. 1.

2. Chriſtus Reſurgens, tanquam Eques prodit è Sepulchro, quia Victor. Rex. Imperator. 2.

3. Chriſtus Reſurgens, velut Eques rectè concipitur, quia Bellator. 5.

II. COMMENTATIO. Equi Chriſti Primarij. 6.

MEM.

1. Equus Chriſti, Humanitas Diuinitatis. 6.

2. Equus Peculiaris Verbi Diuini, Humanitas Chriſti, 8.

3. Equa Sponſi, Humanitas Chriſti. 10.

4. Crux Equus Chriſti, 12.

III. COMMENTATIO. Equi Imperatoris Chriſti, Apoſtoli. Viri Apoſtolici. Fideles Chriſtiani, 13.

MEM.

Qui aſcendes ſuper Equos tuos: & Quadrigæ tuæ ſaluatio. Habacuc III. 8.

Vt iumentum factus ſum apud Te: & ego ſemper Tecum. Pſal. Lxxii. 23. 23.

1. Chriſti Rediuiui Apparitio multiplex tempore Paſchali, 13.

2. Apoſtolis, ceu Equis Chriſti, conuenit munus portandi Dominum, 15.

3. Apoſtolis, & Fidelibus Chriſtianis, tanquam Equis Chriſti conuenit Indoles bellica, 17.

4. Apoſtolis & Fidelibus Chriſtianis, quatenus Chriſti Equis conuenit Celeritas, Patientia. Obedientia, 19.

5. Apoſtolis, & Fidelibus Chriſtianis, tanquam Equis Chriſti, conuenit pugnax Audacia, 18.

6. Apoſtolis & Fidelibus Chriſtianis, quatenus Chriſti Equis, conuenit Fidelitas erga Dominum ſuum, 20.

7. Apoſtolis. & Fidelibus Chriſtianis, velut Chriſti Equis, conuenit Victoriæ Cupiditas, 21.

8. Apoſtolis & Fidelibus Chriſtianis, quatenus Equis Chriſti conuenit peculiariter, Docilitas, & Ars bellandi, 22.

9. Apoſtoli, Viriquè Apoſtoliei bellè repræſentantur Equis albis, 24.

10. Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis, quatenus Chriſti Equis, conuenit peculiariter Ingenium & Iudicium, 25.

IV. COMMENTATIO. Inſtrumenta ad equitandum neceſſaria, 28.

Ecce Equus Albus: & qui ſedebat ſuper illum, exiuit vincens, vt vinceret. Apocalypſis vi. 2. 28.

Equi-

Equitatui Pharaonis aſſimilaui te. Canticorum 1.8. 28.
Vt iumentum factus ſum apud Te: & ego ſemper Tecum. Pſal.lxx.11-23, 28.
1. Ad equitandum Quædam Equo, Quædam Equiti ſunt neceſſaria, aut vtilia, 28.
2. Ephippium. Eius vſus. 29.
3. Ephippij Allegoria. In Humanitate, tanquam Equo Chriſti, conſiderat Myſticus Vnionem Hypoſtaticam, velut Ephippium, 30.
MEM.
4. Ephippium Crucis, quatenus fuit Equus Chriſti, Obedientia, 31.
5. Ephippia Apoſtolorum, quatenus fuerunt Equi Chriſti, 31.
6. Capulus Ephippiorum, quæ imponuntur Apoſtolis, Viris Apoſtolicis, Fidelibus Chriſtianis, Animabus iuſtis, vt molliter portent DEVM Chriſtum-ne, 33.
7. Ephippiorum Vincula. Antilena. Poſtilena. Cingula. Myſticè, 35.
8. Stapia equeſtris. Allegoricè, 37.

V. COMMENTATIO. Calceatus Apoſtolicus Calcei Apoſtolorum, quatenus ſunt Equi Chriſti, 37.
1. Calceus, Patientia, 37.
2. Analogia Patientiæ cum Calceo equino, 39.

VI. COMMENTATIO. Frenum Apoſtolorum, quatenus ſunt Equi Chriſti, 41.
Frenum. Symbolicè. Gratia. Prudentia. Diſcretio. Calamitas. Beneficia diuina. Ceremoniæ. Laus Dei, 41.

VII. COMMENTATIO. Phaleræ Equorum Chriſti, 46.
MEM.
Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut Turturis. Collum tuum ſicut Monilia.
Murenulas aureas faciemus tibi, Vermiculatas argento Cantic.1.9.10.
1. Phaleris ornantur Equi, 46.
2. Phaleræ Equorum Chriſti, inſtar Tutulis, 47.
3. Phaleræ Equorum Chriſti, ceu Monilia. Symbolicè, 50.
4. Phaleræ Equorum Chriſti, ſicut Murenulæ. Myſticè, 52.
5. Phaleræ incomparabiles Humanitatis Chriſti, & Chriſtiparæ, tanquam Equorum Imperialium, 54.
6. Equorum Tintinnabula. Hiſtoricè & Allegoricè, 56.

VIII. COMMENTATIO. Dotes Equorum Chriſti. *Ecce Equus Albus: & qui ſedebat ſuper illum, habebat Arcum.* Apoc.vi.2. 60.
MEM.
1. Equo eſt neceſſaria Cura Equitis: & Exercitatio Equiſonis, 60.
2. Equus bonus agnoſcit Dominũ ſuum, 61.
MEM.
3. Equus Chriſti Saluatoris à pauore & trepidatione ſit liber, 64.
4. Equus Chriſti non terreatur vmbris, & fallacibus rerum apparentium imaginibus, 66.
5. Equus Chriſti difficultatum, tanquam foſſarum Tranſilitionem non horreat, 68.
6. Equi Chriſti non ſint Tortores, Cruciantes, Succuſſatores, 72.
7. Equus Chriſti non ſit Refractarius. Singularis. Solitarius. Contumax. Sed promptiſſimè obſequens, 73.

IX. COMMENTATIO. Equorum vitia, quæ à Chriſti Equis abeſſe debent, 76.
Viſitauit Dominus Exercituum gregem ſuum, & poſuit eos, quaſi Equum Gloriæ ſuæ in Bello. Zachariæ IIdo. 76.
MEM.
1. Expeditio Chriſti Militaris. Monomachia. Hippomachia. Dodecaiugum Equorum nobiliſſimorum Apoſtoli. 76.
2. Equorum vitia; & vt Incurabilia, & quæ curari poſſunt. 78.
MEM.
3. Equus Calcitroſus. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare* Actuu.ix 5. 79.
4. Equus Sternax, Cæſpitator, Effrenis, 87
5. Equus Mordax. 88.

LIBER II.

EQVITATVS ANGELICVS.

ALLOQVVTIO

Ad Academicos Chriſtianos. 89.

I. COMMENTATIO. Equitatus Angelici Multitudo. Pompa. Magnificentia. Potentia. 90.

MEM.

1. Equitatus Chriſti numeroſiſſimus. 90.
2. Equitatus Angelis Supputatio. 91.
3. Equitatus Angelici Multitudo, Deo Exercituum Domino conueniens. 95.
4. Equitatus Angelici Pompa facit, vt facilè ſpernatur omnis Pompa humana. 95.
5. Equitatus Angelici numeroſitas magnam ingenerat belli tempore, & in quolibet periculo erga Dominum Exercituum fiduciam. 97.
6. Equitatus Angelicus in Equis albis. 98.
7. Equitatus Angelicus, Alatus. 100.

II. COMMENTATIO. Equi Angelorum. *Vidi cælum apertum. Et ecce Equus Albus. & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax: & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Et Exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in Equis Albis.* Apocalypſ. XIX. 11. 14. 102.

MEM.

1. Pompa Chriſti aſcendentis in Cælum, Equitatu Angelico comitante. 102.
2. Deſignantur Angelorum Equi. 103.
3. Equorum Angelicorum Color. 105.
4. Equi Angelorum, Albi, Rufi, Varij. 107.

III. COMMENTATIO. Equitatus Angelici Quadrigæ, Bigæ, Currus Militares. 109.

MEM.

1. Vſus Curruum Militarium. 109.
2. Curruum Militarium Multitudo. Cura. Duces. Ciuitates. 111.
3. Currus. Bigæ. Quadrigæ in Equitatu Dei Militari. 112.
4. DEI Zabaoth: Domini Exercituum Currus, Biga, Quadriga. 113.
5. Currus & Quadriga Chriſti, quà Imperatoris Militiæ Chriſtianæ. 115.

LIBER III.

EQVITATVS HVMANVS 117

Equitatui meo in Curribus Pharaonis aſſimilaui Te, Amica mea. Cantic. I. 9.

I. COMMENTATIO. De Hominibus in Eccleſiâ Militante Equitatum humanum Domini Exercituum, & Chriſti Imperatoris conſtituentibus. 117.

MEM.

1. Equitatus DEI duplex: Angelorum & Hominum. 117.
2. Comparatio Equitatus Humani cum Angelico. 118.
3. Equitatus DEI Humanus conſtituitur ex Apoſtolis: Viris Apoſtolicis: Iuſtis quibuſlibet hominibus, ſeu Animabus Sanctis. 120.
4. Laus Hominis iuſti ex aſſimilatione cum Equitatu Angelico. 122.
5. Sancta MARIA Deipara eſt Equitatus integer in Militia Sacra. 123.
6. Eccleſia. Deipara. Anima, rectè concipiuntur, vt Equites, immò, vt Equitatus. 125.
7. Conſolatio & Fiducia in ſubſidio diuino ex Aſſimilatione Eccleſiæ Militantis afflictæ cum Equitatu DEI in Curribus Pharaonis. 127.

II. COMMENTATIO. Equi Figurati. Allegorici. Symbolici. Quibus vtitur Equitatus DEI ex hominibus collectus. 129.

Equus paratur ad diem belli: Dominus autem Salutem tribuit Prouerbiorum XXI. 31.

MEM.

1. Exercitus Chriſti Imperatoris, Peditatum Equitatumque habet, ſelectum magis & inuictum, quam numeroſum. 129.
2. Equi Apoſtolorum, Metaphorici. Allegorici Symbolici. 130.
3. Equus paratus ad diem belli. 133.
4. Equus & Equa, ſecundum Allegoriam eſt multiplex. 135.

ARTICVLVS.

1. Equus vel Equa: Vita lubrica. Laſciuia. Luxuries. 135.

2. Et-

2. Equus-Poteſtas. Dignitas Regnum. Imperium, 135.
3. Equus. Superbia. Faſtus. Arrogantia. 138.
4. Equus Seculum Mundus.
5. Equa Animus. Anima. 139.
6. Equus Equa. Affectus. Memoria. Voluntas Vita. 142.
7. Equus Equa. Corpus. Caro 142.
8. Equus. Corpus Peccati 144.
9. Equi. Equæ. Actiones hominis. Membra corporis, 146.

III. COMMENTATIO. Equus Chriſtianorum Equitũ communis, GRATIA DEI. 149.
Similiter equitat, quem Gratia Dei portat. Thomas de Kempis, lib. 2. de imitat. Chriſti capite 9.
MEM.
1. Analogia, inter Equum & Gratiam Dei, 149.
2. Equo Gratiâ iter Virtutis inchoandum. perficiendum, 150.
3. Equo-Gratiâ iter ad Statum Religioſum; & in eo ad Perfectionem. Ac in quolibet ſtatu ad Pietatem incundum & peragendum eſt, 151.
4. Equi-Gratiæ Neceſſitas. Valor. Pretium, 153.
5. Equus-Gratia-Dei eſt Donum diuinum. 154.
6. Equus-Gratia Dei, Expeditisſimus. Celerrimus. Velociſſimus, 156.
7. Equus-Gratia Dei, non docetur, cùm ſit Artifex. Aſcenſu facilis. Non excutiens. Inuulnerabilis. Indeficiens, 159.
8. Gratia triplex, Præueniens, Comitans, Subſequens, Equo triplici deſignari poteſt, 160.
9. Gratia Equus incomparabilis, 162.

IV. COMMENTATIO. Equitatus Humani Quadrigæ, Trigæ, Bigæ, Currus militares. 163
Qui aſcendis ſuper Equos tuos, & Quadrigæ tua ſaluatio. Habacuc III. 8. 163
Currus Dei decem millibus multiplex, Pſalmo LXVII. 18.
MEM.
1. Currus militaris eſt Anima. Equi ſunt Virtutes & Paſſiones. Auriga & Agitator Chriſtus. 163.
2. Quadriga Euangelium. Equi Euangeliſtæ, Apoſtoli, homines iuſti Princeps Quadrigarius Chriſtus: ſecundarius, Miles Chriſtianus. 164.
3. Quadriga, Eccleſia Præſes DEVS. Auriga CHRISTVS. Agitatores Bellatoreſque Milites Chriſtiani. 166.
4. Quadriga, Mundus totus. Mundus ſublunaris. Quattuor Plagæ Mundi. 167.
5. Quadriga ex quattuor hominis Facultatibus, & quattuor Paſſionibus compoſita vtitur in prælio Miles Chriſtianus. 169.
6. Triga ex tribus Animæ rationalis Potentijs conſtans in Militia Chriſtiana vtilis, 169.

V. COMMENTATIO. Frænum Equitis Chriſtiani, 171.
MEM.
1. Fræni neceſſitas ad regendum Equum, & dirigendam Quadrigam, 171.
Equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.
Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus. S. Iacob Epiſtola Cap. III. 3.
2. Frænum Equitis Chriſtiani ad Equorum omnium vſus accommodatiſſimum eſt Gratia Dei, 172.
3. Frænum Equitis Chriſtiani Diſcretio 172
4. Frænum Equitis Chriſtiani Prudentia Ratio. Sapientia. Conſilium. Exemplum maiorum. 175.
5. Frænum Equitis Chriſtiani Lingua 177.
6. Frænum Linguæ, Timor Domini. Sapientia. Scientia Prudentia. Diſcretio Circumſpectio. Silentium. Sermo, 178.
7. Frænum Equitis Chriſtiani Studium Literarum, 183.

VI. COMMENTATIO. Equitatus Militiæ Diabolicæ, 185.

Omnis Equitatus & Currus Pharaonis, & vniuerſus Exercitus perſequebatur Iſraëlem, ſed Equos & Aſcenſores eorum deiecit DEVS Dominus Exercituum, in mare Exodi xlv. 15.

MEM

1. Equitatus Hoſtilis. Equi & Equites Luciferi. 168.
2. Currus Diabolici Exercitus. 188.

VII. COMMENTATIO Miſcellanea Equites. Equi. Equitatus. 192.

MEM.

1. Equites, Religioſi. 192.
2. Equus Religioſi quà Militis, Mundus, ſeu Seculum. 193.
3. Equus Religioſi, quà Militis, Intentio bona, 194
4. Equites Viri perfecti. 194.
5. Equus, qui eſt Corpus, ſubneruandus, 195.
6. Equi, Ratio & Senſualitas. 196.
7. Equitum Robur, Exemplum, Æſtimatio. Vita ſpectata 196.
8. Equus generoſus horret flagitium reuerentiæ maternæ contrarium, 198.
9. Equus myſticè 198.
10. Equus Mundus, 198.
11. Equi qualitates variæ, 199.
12. Equus duplex, Equitis tam profani, quam Sacri, ſeu Chriſtiani, 199.
13. Equitum diſcrimen in Sacra profanaque Militia. 200.
14. Equitis Chriſtiani Inſtrumenta, 200.
15. Equitum Chriſtianorum Cenſus 201.
16. Currus Militares, 201.
17. Equus Amator. Amatus Salax. libidinoſus, 201.
18. Equitum Cenſura, 201.
19. Equi Domini. Chriſtiani obſequentiſſimi, 201.
20. Apoſtoli Equi generoſiſſimi, 201.
21. DEIPARA Equitatus Dei 201.
22. Equus Papalis, 202.
23. Diſtributio Equitum in Militia Chriſtianâ, 202.

LIBER IV.

MILITIA CHRISTIANA PEDESTRIS 203.

Turba ſequuta ſunt Eum Pedeſtres de Ciuitatibus. Matthæi xix. 15.

Pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc. Et exiens vidit turbam multam IESVS Marci vi. 33. 203.

I COMMENTATIO. Peditatus Militiæ Chriſtianæ. Allegoricus. Symbolicus. Myſticus. 203.

MEM

1. Exinanitio Filij DEI repræſentata Militariter Deſcenſu ex Equo. 203.
Semetipſum exinaniuit formam Serui accipiens. Ad Philipp. xvii.
2. Deſcenſus ex Equo. Nota eſt Humilitatis Signum ſe humiliantis, 204.
3. Parabola Samaritani Euangelici, de iumento deſcendentis ad iuuandum ægrum, Filium DEI Deſcenſu humiliantem ſe repræſentat. 205.

II. COMMENTATIO. Peditatus Militiæ Diabolicæ.

MEM.

1. Copioſus eſt Peditatus Luciferi. 206.
2. Prima Cohors Superbiæ in Peditatu Luciferiano, 207.
3. Superbiæ Pes, Cauſſæ variæ, cur Superbiæ Pes attribuatur. 208.
4. Superbia Vnipes. Superbi Vnipedes, 209.
5. Cohors Humilitatis opponenda Cohorti Superbiæ, 210.
6. Secunda Cohors Cupiditatis in Peditatu Luciferiano. 211.
7. Cohors Liberalitatis oppoſita Cohorti Cupiditatis. 214.
8. Tertia Cohors Iræ Peditatus Luciferiani. 215.
9. Cohors Manſuetudinis contraria Cohorti Iracundiæ. 216.
10. Quarta Cohors Luxuriæ Peditatus Luciferiani. 216.

11. Cohors

11. Cohors Caſtitatis aduerſaria Cohortis Luxuriæ, 217.
12. Quinta Cohors Gulæ Peditatus Luciferiani, 218.
13. Cohors Sobrietatis inimica Cohortis Intemperantiæ, 219.
14. Sexta Cohors Inuidiæ Peditatus Luciferiani, 219.
15. Cohors Benignitatis oppoſita Cohorti Inuidiæ, 210.
16. Septima Cohors Acediæ Peditatus Luciferiani, 210.
17. Cohors Pietatis contraria Cohorti Acediæ, 21.
18. Peditatus Chriſtiani Pedes, Recti, Plantati, Vitulini, Loti. 212.

LIBER V.

MILITIA CHRISTIANA NAVALIS.

I. COMMENTATIO. Militiæ Naualis Antiquitas. Vſus. Neceſſitas, 224.
MEM.
1. Militia Naualis antiquis & huius æui Principibus fuit ſemper, vt hoſtium terror, ita Ciuium & Regnorum tutela, 224.
2. Chriſti Militia Naualis, 225.
3. Naues ad Claſſem conſtituendam neceſſariæ, 226.

II. COMMENTATIO. Prima Claſſis Chriſti, ex Eccleſijs, tanquam nauibus parata, 226.
MEM.
1. Eccleſia Catholica Nauis Prætoria, 226.
2. Eccleſia Catholica Nauis Oneraria, 229.
3. Nauis Oneraria B. MARIA, V. 230.
4. Nauis Petri, 230.
5. Nauis Symbolum, multa Chriſtianis bona portendit. 231.

III. COMMENTATIO. Secunda Claſſis Chriſti, ex Corpore humano, ac eius Membris, & Anima eiuſque Potentijs, ceu Nauibus, 236.

Facta eſt quaſi Nauis. Prouer. XXXI, 10. 236.
MEM.
1. Corpus humanum quomodo conſideretur, vt Nauis ſolitaria: Quomodo vt Claſſis integra ex Nauibus, 238.
2. Anima Hominis iuſti Quomodo conſideranda ſit, vt Nauis vna. Quomodo, vt Claſſis integra, 239.
3. Vita hominis veluti Nauis conſiderandi. 240.

IV. COMMENTATIO. Tertia Claſſis Chriſti, ex Virtutibus, Donis cæleſtibus, & Sacramentis, tanquam Nauibus, 245.
MEM.
1. Virtutum & Donorum vt Nauium ad Claſſem integram deſignatio, 245.
2. Sacramenta Eccleſiæ, Naues Onerariæ Claſſis Chriſti, 246

V. COMMENTATIO Claſſis Cacodæmonis. 247.
MEM.
1. Prima Claſſis Luciferi, Synagoga Satanæ, ex Speciebus infidelitatis, vt Nauibus, 247.
2. Secunda Claſſis Luciferi, Improbitas multiplex, ex peccatis, & Vitijs, ceu Nauibus, 248.

VI. COMMENTATIO. Claſsis Animata Chriſti & Luciferi. 248
MEM.
1. Homo tum Phiſicè, tum Moraliter conſideratus vt Nauis. Analogia multiplex inter Hominem Bonum, Iuſtum, Pium, & Nauem, 248.
2. Armamenta Nauis Animatæ, Quæ eſt Homo Iuſtus, 252.
3. Homo improbus Nauis inter multas in Claſſe Cacodæmonis. 256.

VII. COMMENTATIO. Prima Pugna Naualis Eccleſiæ Militantis, cum Tempeſtate magna, quæ eſt Perſequutio, 262.
Facta eſt Tempeſtas magna in mari: & Nauis periclitabatur conteri. Ionæ 1. 4.

MEM.

1. Hypotypoſis Claſsium oppoſitarum Chriſti & Luciferi, 262.
2. Vis Tempeſtatis maritimæ ad diſsipandam & ſuperandam quamlibet numeroſiſsimam, & potentiſsimam Claſſem Nauium, 264
3. Prima Tempeſtas in Claſſem Chriſti, Perſequutio Eccleſiæ per Tyrannos & Hæreticos, 265.
4. Secunda Tempeſtas in Claſſem Chriſti Perſequutio Ordinum Religioſorum, per Tyrannos, Hæreticos, Maleuolos, Falſos Fratres, 266.
5. Claſsis Cacodæmonis, Tempeſtate à Deo immiſsâ repentè perit, 267.
6. Tertia Tempeſtas in Claſſem Chriſti. Tentatio à Carne, Mundo, Cacodæmone. 269.

VIII. COMMENTATIO. Pietas Chriſtiana Quædam neceſſaria, vt vel Tempeſtas ſedetur; vel, vt in Tempeſtate ſituta Claſſis, docet, 273.

Facta eſt tempeſtas magna in mari, & Nauis periclitabatur conteri Ionæ 1.4.

Aſcendente IESV in Nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt Nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum: Domine, Salua nos, perimus. Et dicit eis IESVS. *Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna. Porrò, homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.* Matt. VIII. 23. 24.

MEM.

1. Nauigatio in Mari periculoſa ſemper propter Tempeſtates, 273.
2. Devs ſuppliciter inuocandus ad Tempeſtatem ſedandam, 275.
3. Patronus Tutelaris adſciſcendus contra Tempeſtatem, 277.
4. Patroni Nautarum inuocandi contra Tempeſtatem, 278.
5. Ieiunium Orationi copulandum contra Tempeſtatem, 280.
6. Crux erigenda, reſpicienda, ſolenda, vt Nauis habenda. CRVCIFIXVS in Naui adorandus, 281.
7. CRVX Carauacenſis Tempeſtati obijcienda, 282.
8. Chriſti Præſentia realis Euchariſtica Nauem Tempeſtate iactatam liberat. 284.
9. Reliquiæ Sanctorum Tempeſtates in mari ſedant, 286.
10. Claui Chriſti Crucifixi Tempeſtates leniunt & auertunt. 288.
11. Agni Dei cerei Benedicti Tempeſtatibus opponendi, 289.

IX. COMMENTATIO. Religio orthodoxa ſuggerit opportuna ad ſedandam Tempeſtatem, vel ſuperandam remedia, 293.

Nauicula in medio maris iactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus, Matthæi XIV. 24. 293.

MEM.

1. Fiducia in Chriſtum Theanthropon Cui Venti & Mare obediunt, 293.
2. Anchoris firmanda Nauis, 294.
3. Saburranda eſt Nauis, 298.
4. Antenna cum velo ſubmittenda, 298.
5. Euertendum mare, 299.
6. Deo agendæ gratiæ poſt tempeſtatem deuictam. 299.

X. COMMENTATIO Induſtria & Experientia varia ſuggerit contra Tempeſtatem remedia, 300.

Facta eſt tempeſtas magna in mari, & Nauis periclitabatur conteri. Ionæ 1. 14. 300.

Compulit IESVS Diſcipulos aſcendere in Nauiculam. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus. Matth. XIV. 22. 24. 300.

MEM.

1. Manus operi admoueantur, 300.
2. Malorum conſortium ad Nauem non admittatur: Admiſſum ablegetur. 301.
3. Probi in Nauem admittendi, 304.
4. Nauis exoneranda, 306.
5. Nauis ſuccingenda, 308.

XI. COMMENTATIO. Arcanum Prouidentiæ

tiæ Diuinæ in varijs Tempeſtatum euentibus, 309.

Mem.

1. Remedia humana fallibilia. Certè, non ſunt æquè in-fallibilia, quæ adhibentur contra Tempeſtates remedia. 309.

2. Exemplum fiduciæ in Devm in Nauigatione,& Tempeſtatibus. 310.

3. Spectaculum miſerabile Tempeſtate vnâ, & communi Naufragio pereuntium multorum, nullo bonorum malorumque diſcrimine, 311.

4. Voluntas Dei in Tempeſtate, & poſt illam, honoranda, 313.

LIBER VI.

NAVMACHIA CHRISTIANA ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quâ poſt pugnam cum Tempeſtate, deſcribitur multiplex prælium nauale cum hoſtium Claſſibus, 316.

I. Commentatio. Prima Paraſceue, ad Congreſſum hoſtilem in Mari. In quâ exhibetur Compoſitio loci. Repræſentatio Claſſium aduerſariarum. Cohortationes Ducum oppoſitorum Claſſicum. Et quæ cauenda vniuerſim initio, 316.

Aſcendens IESVS in vnam Nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra reduceret puſillum; Et ſedens docebat de Nauicula. Lucæ v. 316.

Mem.

1. Exhortatio ad Claſſiarios Chriſti ad ſuos. Luciferi ad ſuos, 316.

2. Præcautione vtendum: Claſſiſque è Portum ſpacioſum Mare educenda, 316.

Duc in altum. Lucæ v. 4.

3. Naues à terrâ deducendæ, 321.

4. Documenta Militiæ Naualis, pro Nauigantibus ad Chriſtianæ Perfectionis ſtatum, 325.

II. Commentatio. Secunda Paraſceue ad Conflictum hoſtilem in Mari. In quâ deſcribitur Nauium diſpoſitio. Nauicularium incitatio. Velorum extenſio. Ventorum captatio, 315.

Annuerunt Socijs, qui erant in alia Naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Lucæ v. 325.

Mem.

1. Claſſis in partes diſtributio, 325.

2. Signum Claſſicum, 327.

3. Ventorum obſeruatio, & procuratio ad pugnam naualem neceſſaria, 328.

4. Venti cum Gratia Dei comparatio, 329.

III. Commentatio. Tertia Paraſceue ad prælium nauale in Mari. 332.

In qua diſſeritur de Maris conditionibus, & eius ad præliandum neceſſaria notitia. 332.

Qui deſcendunt in nauibus facientes operationes in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Pſalmo cvi. 23. 332.

Mem.

1. Maris, in quo pugnandum conditio Præfecto Claſſis inueſtiganda, 332.

2. Quinque Maria in Orbe terrarum, in quæ diſtingui poſſunt, maximæ aquarum, quæ vſpiam ſunt, congregationes, 334.

3. Tria Maria, Senſu Allegorico. Spirituali. Myſtico. 335.

4. Maris Myſtici triplicis conditiones variæ, 335.

IV. Commentatio. Prælium Nauale Claſſium oppoſitarum. Chriſti & Luciferi, 339.

Nolite timere State & videte magnalia Domini. Dominus quaſi Vir pugnator: Omnipotens nomen eius: Currus Pharaonis, & Exercitum eius proiecit in Mare. Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in Mari. Abyſſi operuerunt eos. Deſcenderunt in profundum, quaſi lapis. Exodi xv.

Mem.

1. Anacephalæoſis præcedentium, 339.

2. Duplex modus confligendi in Mari. 340.

3. Luciferi Velificatiò aperta & occulta contra Chriſti Claſſem Allegoricam, 340.

4. Luciferi Velificatio plena contra Chriſti Claſſem Tropologicam & Animatam. Quam apertè inuadit, & oppugnat tentationibus varijs, 341.

5. Luciferi opera ſubaquanea contra Claſ- ſem

ſem Tropologicam, & Animatam Chriſti fidelium Pœnitentiæ operibus deditorum, 342.
6. Oppugnatio Claſſis Scrupuloſorum, 344.

V. Commentatio. Stratagema Nauale.
Oppugnatio Prætoriæ hoſtilis, 345.
Combuſtio Claſſis inimicæ,
Cogitationes Conſilijs roborantur. Et gubernaculis tractanda ſunt bella. 345
Mem.
1. Prætoria hoſtilis inuadenda, 345.
2. Luciferi in Prætoriam Chriſti conatur. Cacodæmon nititur expugnare Prætoriam Claſſis Allegoricæ Chriſti, 347.
3. Satan extrema tentat, vt Prætoriam Claſſis Tropologicæ Chriſti expugnet, 347.
4. Artificium comburendi Claſſem inimicam, 348.
5. Inuentum Luciferi ad comburendam Claſſem Chriſti, Tropologicam Virtutum, & Animaram hominum fidelium, 351.
Concupiſcentia eſt Nauis incendiaria, 351.
6. Inuentum Chriſti ad liberandam Claſſem ſuam ab incendio Luciferi. Subtractio incentiuorum, 352.
7. Terriculamentum inane à Motibus Primo-primis Concupiſcentiæ velut à Nauiculis incendiarijs, 355.

VI. Commentatio. Harpagonum vſus in pugna nauali, 355.
Mem.
1. Harpagones. Manus ferreæ. Corui, 355.
2. Inſtrumenta naualia Luciferi, quibus vtitur in conflictu marino, tanquam Harpagonibus, Coruis, Manibus ferreis, 356.

LIBER VII.

MILITIA CHRISTIANA OBSIDIONALIS.

ARS

Et Obſidendi. Et Obſidium tollendi: ECCLESIÆ MILITANTIS.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Et circumdabunt te, & coangustabunt te vndique. Lucæ xix. 43. 361.

I. Commentatio. Ars Obſidendi, & liberandi Vrbem ab obſidione multa complectitur, eſtque magnificienda à Ducibus & viris Militiæ addictis.
Mem.
1. Obſidio duplex Propria & Metaphorica, Externa & Interna. Corporalis & Spiritualis. Vrbis & Hominis. 361.
2. Delineatio Hominis inſtar Vrbis obſidendæ & obſeſſæ. 362.
3. Obſidio bipartita. Breuis aut Subita: Longa aut Diuturna, 363.
4. Obſidio Cacodæmonis, 364.

II. Commentatio. Obſidio præuidenda, 365.
Mem.
1. Quid faciendum expectanti obſidionem, 365.
2. Concordia ante, & in Obſidione neceſſaria, 366.
3. Conſilium & Concilium. Ad amoliendam obſidionem, aut fortiter ſuſtinendam maturè capiendum eſt conſilium, 367.
4. Sancti conſulendi. Adſciſcendi in Concilium bellicum aliquando Viri, Sanctitate aut pietate eximij. 368.
5. Principes in conſilium adhibeantur, 370.
6. Fortitudo inuicta ſit conditio Conſiliarij bellici ante, & in obſidione, 370.
7. Conſilium pro Homine obſeſſo. Homine, ceu Ciuitate animatâ, obſeſſo vndique, A Quibus, & Quale capiendum ſit Conſilium. 374.
8. Exequutio in Concilio decretorum, Ante & in Obſidione, 376.

III. Commentatio. De Fiduciâ in Deum. Cooperatione humanâ. Exequutione maturâ eorum, quæ iudicata ſunt vtilia Obſidionis tempore, 378.
Mem.

MEM.
1. Fiducia & cooperatio. Quomodo copulanda ſint, Fiducia in Deo & Cooperatio humana belli tempore, 378.
2. Præuidentia & Præſumptio. Quomodo, & A quam multis peccetur Præſidentia de Auxilijs diuinis, cooperationem humanam ſpernentibus, vel negligentibus, 379.
3. Præſidentia in Bello exitioſa. 381.
4. Præſidentiâ Auxilij diuini, ſpretâ cooperatione humanâ, tentatur Deus Auxiliator, in Bello potiſſimum, 382.
5. Vſus Cauſſæ ſecundæ iungendus eſt Fiduciæ in Deo, Cauſſa primâ. 384.
6. Exemplis ſtabilitur Nexus Fiduciæ in Deo cum cooperatione humana, 385.

O

IV. COMMENTATIO. Subducere & ſuppeditare Obſidentibus & obſeſſis neceſſaria. Nexus cum Antecedentibus, 387.
MEM.
1. Aqua auertenda à Caſtris obſidentium. Et inducenda in Vrbem obſeſſam, 387.
2. Induſtria Regis Ezechiæ in auertenda aquâ à caſtris obſidentium. Et augenda in vrbe Ieroſolymitanâ obſeſſâ, 390.
III. Vrbs animata Homo, ante Obſidionem, & dum obſidetur habeat obturata capita Fontium, quorum aqua vſui eſſe poſſet eſſe obſidentibus. 391.

V. COMMENTATIO. Muri. Valla. Mœnia. ædificanda, reſtauranda, ſtabilienda, ante, & in Obſidione, 393.
MEM.
1. Murorum ambitus, Vrbium ante & in Obſidione eſt tutela, 395.
2. Diligentia Regis Ezechiæ in ædificandis reſtaurandisque Muris: & ſeparandis Mœnibus Vrbis Ieroſolymitanæ obſidendæ, 395.
3. Muri Ciuitatis Animatæ. Qui-nam ſint. Et quomodo ſint inſtaurandi, 396.

ARTICVLI.
1. Murus-Concordia, 397.
2. Murus-Virtus omnis, 398.
3. Murus-Humilitas, 399.
4. Murus-Manſuetudo, 399.
5. Murus-Præcepta Sapientiæ, 400.
6. Murus Æquanimitas, 400.
7. Murus Silentium, 401.
8. Muri Dentes & Labia, 401.
9. Muri-Timor DEI & Hominis, 401.
10. Murus Prudentia. 401.
11. Murus-Conſtantia Perſeuerantia, 403.
12. Murus-Eccleſia Catholica, 404.
13. Murus-Anima Iuſti, 404.
14. Murus-Magiſter Morum, 404.
15. Murus Paſtor Animarum, 404.
16. Murus-Candidatus Martyrij, 404.
17. Murus-Protectio diuina, 406.
18. Murus-Chriſtus. Angelorum Cuſtodia. Apoſtoli. Doctores. Prælati. Martyres. Euchariſtia, 406.
19. Muri-Sacerdotes, 406.
20. Murus-Eccleſia Sancta. 407.
21. Murus-Bona Conſcientia, 407.
MEM.
4. MARIA DEIPARA, Reipublicæ, Vrbis, Regni, Imperij, Regionis Murus incomparabilis. 407.

VI. COMMENTATIO. Obſidio Ieroſolymitana, 409.
Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Lucæ XIX. 43. 409.
MEM.
1. Memoria obſidionis imminentis eſt perquam vtilis ad incolarum ſalutem, 409.
2. Obſidio Ieroſolymitana, Exemplum Seueritatis diuinæ. Exemplar. Calamitatis extremæ. Idea Obſidionis duriſſimæ. 411.
3. Obſidio Ieroſolymitana, Figura Obſidionis homini circa finem vitæ mortalis imminentis. 415.

VII. COMMENTATIO. Obſidionis auertendæ induſtria: Exercere Miſericordiæ opera erga Calamitoſos, 417.

Pone quaſi noctem umbram tuam in meridie Abſconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei, Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris. Iſaiæ XVI.3.4. 417.

MEM.

1. Conſilium Iſaiæ Prophetæ, ad euitandam Obſidionem, & inde ſequutura mala, 417.
2. Conſilium Prophetæ Iſaiæ Exemplis Sacris, & auctoritate comprobatur, 418.

LIBER VIII.

MILITIA CHRISTANA:

Eſt Fugæ & Conſiſtentiæ.

Ars fugiendi laudabiliter Eccleſiæ Militantis.

I. COMMENTATIO. Fuga Laudanda. Vituperanda. Quæ Qualiſque in Militia cum Sacra, tum Profana ſit laudanda. Quæ Qualiſque vituperanda, 422.

MEM.

1. Controuerſia de Fuga Militari, 422.
2. Fuga in Militia malè plerumque ſonat, 429.
3. Fortitudo Heroica ſuadet interdum occurrere hoſti copioſo cū paucis; & præliari potius, quàm fugere. Exemplum Iudæ Machabæi Herois Inclyti, 414.
4. Prudentia Militaris docet, præſtare interdum, cum impar eſt exercitus, pugnandi copiam negare, & moderatè ſuas copias ſubducere, 428.
5. Cautelæ in Fugâ Militari: ne Duci ſit ignominioſa, & damnoſa Reipublicæ, 429.

II. COMMENTATIO. Fuga Occaſionum peccata præcedentium, 431.

MEM.

1. Exercitus ex occaſionibus Peccatum præcedentibus conflatus, 432.

MEM.

2. Occaſiones Fuga declinandæ ſunt, 433.
3. Pœnæ Militares non fugientium occaſiones proximas, 434.
4. Damna ab Occaſionibus, ſi cum ijs confligatur, & non fugiantur. 437.

III. COMMENTATIO. Fuga rerum diuerſiſſimarum, 445.

MEM.

1. Fuga Gloriæ Eccleſiaſticæ, Religioſæ, Politicæ. Pontificatus. Epiſcopatus. Abbatiæ. Presbyteratus. Regni. Imperij. Ducatus, 446.
2. Fuga Perſequutionum, 474.
3. Problema. Verum fuga aliquando à fortitudine imperetur. Tertulliani Paradoxum, 449.

IV. COMMENTATIO. Fuga Seculi, per Auerſionem à Peccato, Conuerſionemque ad Deum, 453.

MEM.

1. Fugiendum eſt Seculum, non ſermone magis & linguâ, quàm opere & Effectu, 453.
2. Fuga Seculi. Quid ſit? Quæ Ciuitates Refugij? Quod Fugæ Seculi præmium? 454.
3. Fuga Seculi glorioſa. Exempla fugientium glorioſè. In ſeculo, quà ſeculo, non eſt niſi Peccatum, Malitia, Nihil, 455.
4. Fugiendum Seculum quàm primùm. Citò velociter. Fuga velox Seculi fæcunda virtutum eſt. Seculum Meretrix, 456.
5. Seculum fugiendum multis de cauſsis. Præcipua. Eſt Malitiæ locus Officina improbitatis Fuga Spiritualis quid? 475
6. Fuga Seculi figurata in Iacob Patriarcha, Dauide, Suſanna, Paulo, Loth, alijſque Sanctis veteris & Noui Teſtamenti, 458.

V. COMMENTATIO Fuga Mundi per ingreſſum in Statum religioſum, 459.

MEM

1. Fuga Mundi neceſſaria. Ex principiis bellicis probatæ Militiæ Corporalis & Spiritualis, 459.
2. Fuga Mundi dirigenda ad Montem Perfectionis Euangelicæ, qui eſt Status Religioſus. 460.

VI. COMMENTATIO. Fuga Laſciuiæ, Luxuriæ,

riæ, Incontinentiæ, Voluptatum Carnis, Mollitiei, Turpitudinis, Obſcænitatis, Veneris, 462.

Fugite fornicationem. 1. Corin. vi. 18. 462.

MEM.

1. Delineatio Exercitus Laſciuiæ, cuius Ductor eſt Aſmodæus, 462.
2. Aſmodæus Fornicationis Spiritus, 464.
3. Spiritus Fornicationis cur dictus Aſmodæus? 466.
4. Sub Aſmodæi Signis Propudia, 467.
5. Fugiendum Subitò ad conſpectum agminum, quæ ducit Aſmodæus, 468.
6. Fuga Ioſephi Patriarchæ, 471.
7. Fugienda morte Luxuria, 471.
8. Reſiſtendo ſuperatus Aſmodæus, 473.
9. Fugiendus & Fugandus Aſmodæus, 475.

VII. COMMENTATIO. Fuga Peccati, 478.

Quaſi à facie Colubri fuge Peccata. Eccleſiaſtici xxi. 2.

MEM.

1. Peccatum, Serpens, Anguis, Coluber, 478.
2. Peccatum, Hydra, Baſiliſcus, Diabolus, 479.
3. Peccatum, Rhomphæa, Gladius biceps, Aſpis.

AVCTORES SELECTI.

Abulenſis
Acta Concilior.
Acta Canonizat. SS.
Adamus Contzen.
Adamus Tanner.
Adrianus Iunius.
Æſchylus
Æneas Syluius
Alexander ab Alex.
Alfonſus Salmeron.
Aldus Manutius
Aloyſius Lipoman.
S. Ambroſius
S. Antoninus
Antonius Balinghen.
Antonius Thyleſius.
Annales Bohemici
S. Auguſtinus
Alcuinus
Andreas Fruſius.
Apuleius
Amalarius

S. Baſilius.
V. Beda.
S. Bernardus
Benedictus Pererius
Benedictus Iuſtinianus
Boethius
Bayfius.
S. Bonauentura.

Cælius Rhodiginus
Cæſar Baronius
C. Cæſar
Caſpar Sanctius
Cicero
Claudianus
Cornelius de Lap.
S. Chryſoſtomus
S. Cyrillus
Chriſtophorus à Caſtro
Clemens Alexandrinus.
Conimbricenſes Philoſ.

Dio Caſſius
Dubrauius

Euſebius
Euerardus VVaſſenbergius.
Euthymius

Famianus Strada
Feſtus.
Franc. Philelphus.
Franc. Suarez.
Florus Germanicus
Feſtus Pompeius
Franc. Ribera
Franc. Sacchinus.
Franc. Haræus.
Franc. Coſterus
Franc. Bencius
Frontinus.

Gabriel Ripa.
Gabriel Inchinus
Gabriel Vaſquez.
Gregor. Turonen.
Gloria Bell. Bauari
Guliel. Pariſien.
Georg Stengelius.
Goropius Becanus.

Heſychius.
Hiſtoria Tripartita.
Hieronymus Platus
Hieronymus Prado
Herodotus.
Horatius Turſellinus
Hiſtoria Societatis IESV.
Hugo Cardinal.
Hugo Victorin.
Hiſtoria Lauſiaca.
Hermoldus.
Hieronymus Magius.

Iacobus Damianus
Iacob Pamelius.
Iacobus Pintus.
Iacobus de Valentia.

Ioa Bapt. Vilalpandus.
S Ignatius Loyola.
Ieremias Drexelius.
Ioan Lorinus.
Ioann. Dauid.
Imago I. Seculi Societ.
Ioannes Pineda.
Ioan Maldonatus
Ioan. Magnus.
Iuſtus Lipſius
Ioann. Valtrinus.
Ioſephus Hiſtoricus.

LAurent. Beyerlinck
Laurentius Surius
Ludouicus Creſſollius
Leo Imperator.
Ludouicus Molina.

MArcus Fuggerus
Magiſter Sententiarum
Martinus de Roa
Matthæus Raderus
Montanus.

NIcolaus Orlandinus.
Nicolaus Serarius

OLaus M.
Onuphrius.
Ordo Romanus.
Oppianus

PEtrus Iarricus.
Petrus Opmerus
Petrus Faber.
Plato.
Plinius.
Plutarchus
Philo Carpathius.
Philo Hebræus.
Polydorus Vergilius.
Plautus.
Placidus Samperus.
Perotus.
Prudentius.
Polybius.

RObertus VValturius
Robertus Bellarminus
Rupertus Abb. Tuitienſis

SAxo Gramm.
Statius
Strabo
Seneca vterque
Solinus
Silius Italicus.
Suetonius
Sylua allegorica
Simon Maiolus
Simon Metaphraſtes

TAcitus
Thomas Aquinas
Thomas Anglicus
Tertullianus
Theodorus Studita.
Theodoretus.
Theophylactus.

VAler. Max.
Varro Gram.
Vincentius. hiſt.
Vincentius Ferrerius
Virgilius.
Vita SS. PP.

VVOlphangus Lazius

XEnophon
Xiphilinus.

ERRATA

INVENIVNTVR nonnulla, poſt iteratas recognitiones, correctionesque, quid aliud expectes à Typothetis, Typographisque linguarum peregrinarum imperitis, nec maternæ ſatis gnaris, properantibus, vacillantibus, ignauis, lucrum ſolùm ſpectantibus ſuum, non librorum decus, aut Auctoris honorem? qui illud vſurpare poteſt quod iam olim Martialis:

Non meus eſt error, nocuit Librarius ipſe.

ANNO DOMINI M. DC. LI.

Ætatis meæ LXXIV. *Religioſæ vitæ* LIV.

Sacerdotij XLVIII.

IESVS ✠ MARIA

M. S.

X
G7